BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
22 M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27

10.3.57.

Digitized by Google

JOSEPHI WEISSENBACH
BREMGARTENSIS HELVETII
THEOLOGIÆ DOCTORIS

DE ELOQUENTIA PATRUM

LIBRI XIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN USUM
ECCLESIASTICORUM.

VOLUMEN VIII.
Operis LIBRUM XI. complectens.

SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMTIBUS FRATRUM VEITH BIBLIOPOLARUM
MDCCLXXV.

Google

[illegible]

Elenchus Voluminis VIII.

Liber XI.

De Eloquentia Patrum.

Alios exhibet Locos; ad ea ſcilicet Argumenta, ſive moralia ſive dogmatica, quæ etſi non ſunt frequentiſſima, ſæpe nihilominus ſolent pro Concione adhiberi.

Titulus:

I.	De *Æternitate* generatim. -	pag. 1
	Caput I. } *Ut priore Libro.*	
	Caput II. }	
II.	De *Ambitione.* - - -	5
III.	De *Amicitia.* - - -	13
IV.	De *Amore* proprio. - - -	18
V.	De *Baptiſmo.* - - -	23
VI.	De *Cæcitate* Spiritus, ſeu *Occæcatione* (ut alii appellant) - - -	31
VII.	De *Carne*, ſeu Corpore noſtro: Et tam ea, quæ in favorem contra præpoſteros ejus hoſtes, quam quæ in odium contra præpoſteros ejus amatores faciunt.	36
VIII.	De *Conformatione* ad divinam Voluntatem.	47
IX.	De *Conſcientia.* - - -	53
X.	De *Correptione* fraterna. - -	64
XI.	De *Cruce*, cum illa Domini, tum altera morali, quæ in illius communicatione & amore eſt ſita. - -	71
XII.	De *Electione* Status, & quæ huc ſpectant.	79
XIII.	De *Excuſationibus* in Peccatis. -	87

Titulus:

XIV. De *Exemplo*, triplici ſenſu; ſcilicet: ut ad Ædificationem, Confirmationem dictorum, & Cautelam facit. pag. 93
XV. De *Fervore*, Profectu & Studio Perfectionis. 101
XVI. De *Fiducia* in Deum, & oppoſita illi Diffidentia. 109
XVII. De *Fine* ultimo Hominis. 113
XVIII. De *Fortitudine*, vera & falſa. 118
XIX. De *Gratitudine* & Ingratitudine erga Deum ac Homines. 123
XX. De *Humilitate*. 130
XXI. De *Intentione*, rectaque in operando Voluntate. 138
XXII. De *Invidia*. 145
XXIII. De *Ira*. 150
XXIV. De *Judicio* temerario, ſuſpicionibus &c. 155
XXV. De *Juriſdictione* & Immunitate eccleſiaſtica. 161
XXVI. De *Juventute*, & quæ huc pertinent. 168
XXVII. De *Liberalitate*, Luxu, Prodigalitate. 173
XXVIII. De *Longanimitate* Dei. 179
XXIX. De *Miſericordia*, variiſque ejus Operibus, ab Eleemoſyna jam ante tractata diſtinctis. 183
XXX. De *Miſſæ* Sacrificio. 189
XXXI. De *Mollitie* moderna; ſeu voluptaria, delicataque Vita. 195
XXXII. De *Mortibus* Carorum, Luctuque reprimendo. 202
XXXIII. De *Mortificatione*, externa & interna. 208
XXXIV. De *Obduratione*, Frigore, Stupore & Inſenſibilitate Animi. 212
XXXV. De *Obedientia*; tam erga Deum, quam alios ejus locum tenentes. 218

XXXVI.

Titulus:

XXXVI. De *Operibus* bonis, ſeu recte factis. *pag.* 224

XXXVII. De *Oratione*; tam generatim, quam ſpeciatim. - - - 230

XXXVIII. De *Otio*. - - - 240

XXXIX. De *Pace* & Concordia. - - - 244

XL. De *Paſſionibus* & Affectionibus Animæ, generatim. - - - 249

XLI. De *Peccatis*, quæ dicunt, alienis. - - 256

XLII. De *Peccatis*, quæ ſola Cogitatione, vel Deſiderio admittuntur. - - 261

XLIII. De *Peccatis* occultis, quæ per Ignorantiam, Inadvertentiam & Oblivionem fiunt. 265

XLIV. De *Perſeverantia*. - - - 269

XLV. De *Pœnis* & ſuppliciis divinis, publicisque Calamitatibus. - - - 274

XLVI. De *Pontifice* maximo. - - 280

XLVII. De *Prædeſtinatione*, & Reprobatione. 289

XLVIII. De *Præſentia* & Memoria Dei. - 294

XLIX. De *Præſumptione*. - - 300

L. De *Proſperitate*, & Rebus ſecundis. 304

LI. De *Providentia* divina. - - 309

LII. De *Religioſis*, & Rebus omnibus, quæ ad iſtos propius referuntur. - 316

LIII. De *Reſpectu* humano, & Verecundia in Studio Virtutis. - - 324

LIV. De *Sacerdotio*. - - 331

LV. De *Sacrilegiis*. - - - 341

LVI. De *Salibus*, Facetiis, Cantilenis; ſive inhoneſtis, ſive contumelioſis. - 346

LVII. De *Scriptura* divina. - - 351

LVIII. De *Servitute* Dei & Mundi. - 360

LIX. De *Spe*, & oppoſita illi Deſperatione, 369

Titulus:

LX.	De *Statibus*, diverſisque in Eccleſia viventium Conditionibus. - *pag.*	376
LXI.	De *Superbia*. - -	383
LXII.	De *Superſtitionibus*. - - -	388
LXIII.	De *Temperantia* generatim. -	394
LXIV.	De *Templis*, Reverentia ibi exhibenda &c.	398
LXV.	De *Tempore*. - -	406
LXVI.	De *Tentationibus*. - -	411
LXVII.	De *Tepore*, Acedia, & ſimilibus.	418
LXVIII.	De *Traditionibus* in re Fidei & Morum.	422
LXIX.	De *Veritate*, Mendacio, Simulatione.	426
LXX.	De *Veſtibus*, & quocunque Ornatu Corporis. - - -	431
LXXI.	De *Zelo*, vero & falſo.	436

DE ELO-

Digitized by Google

DE

ELOQUENTIA PATRUM

LIBER XI.

Alios exhibet Locos; ad ea ſcilicet Argumenta, ſive moralia ſive dogmatica, quæ etſi non ſunt frequentiſſima, ſæpe nihilominus ſolent pro Concione adhiberi.

TITULUS I.

De *Æternitate* generatim.

CAPUT I.

Loci elegantiores in eam materiam.

Non habet tempus æternitas. Omne enim tempus ipſa eſt. Quod facit pati non poteſt. Caret ætate, quod non licet naſci. Deus ſi eſt vetus non erit; ſi eſt novus non fuit. Novitas initium teſtificatur, vetuſtas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio & fine eſt, quam a tempore arbitro & metatore initii & finis. Tertullianus *Libro I. contra Marcionem. cap.* 8.

Quanto tempore vis tibi præſentis vitæ uſuram extendi? Equidem non puto tibi plus quinquaginta annis vitæ ſupereſſe, ut ad extremam ſenectutem venias: imo ne hoc quidem certum nobis eſt; nam qui ne usque ad veſperam de vita ſecuri ſumus, quomodo tot fore vitæ annos affirmare poſſumus? Neque id tantum latet, ſed etiam futura rerum mutatio. Perſæpe enim licet vita in longum tempus producatur, non pari gradu procedunt voluptates: ſed ſtatim atque affuerunt, dilabuntur. Verum per me licet pone ſi vis te tot annos victurum eſſe, nec ullam fore in rebus tuis mutationem: quid hoc eſt ad infinita ſæcula? quid hoc ad acerbos illos, & intolerabiles cruciatus? Hic enim tam bona quam mala finem habent, & quidem celerrimum; illic vero utraque immortalibus ſæculis æquantur; nec dici poteſt quantum differant a præſentibus. S. Chrysostomus *Paræneſi* 1. *ad Theodorum, numero* 8.

Ad *Horam* pro tempore debemus accipere. Ad comparationem enim æternitatis omne tempus breve eſt. S. Hieronymus *Commentario in caput I. Epiſtolæ ad Philemonem.*

In æternitate nec præteritum quidquam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum quaſi nondum ſit, ſed præſens tantum; quia quidquid æternum eſt ſemper eſt. S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 2.

Quidvid vis dicis de æternitate. Ideo quidquid vis dicis, quia quidquid dixeris minus dicis. Sed ideo neceſſe eſt aliquid dicas ut ſit unde cogites quod non poteſt dici. *Idem Enarratione in Pſalmum* 60.

Appende mille annos contra æternitatem. Quid appendis contra infinitum quantumcunque finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, ſi dicendum eſt etiam millia millium, quæ finem habent

habent cum æternitate comparari non poſſunt. *Idem concione 2. in Pſalmum 36 poſt medium.*

Omnia ſpatia ſæculorum definita, ſi æternitati interminæ comparentur, non exigua æſtimanda ſunt, ſed nulla. *Idem Libro XII. de Civitate Dei, cap.* 12.

Apud Deum nunquam craſtinus, nunquam heſternus dies eſt, ſed ſemper hodie. Non menſium circulis volvitur annus, non ſuccedentibus aut decedentibus tranſigitur menſis diebus. Non horæ mutantur, non variantur tempora vel momenta, ubi dies nec termino clauditur nec initio inchoatur. *Idem Oratione de quinque hæreſibus, cap.* 4.

Nonne vides, ut etiam in hac vita quisque providus locum aut agrum, in quo diutius ſe commoraturum putat, copioſis in uſum ſarciat impendiis? Et ubi parvo quis erit tempore, parva providet: ubi majore, majora procurat. Nobis quoque, quibus inpræſentiarum breviſſimis anguſtiis coarctantibus *tempus* eſt, in futuro ſæcula erunt, competentibus copiis vitam exaugeamus æternam, competentibus inſtuamus exiguam, ne proviſione perverſa impendamus brevi tempori curam maximam, & maximo tempori curam brevem. S. Eucherius *Paræneſi ad Valerianum, initio.*

Iſtud quod & cum arctum ſit placet placeat magis ſi poteſt eſſe perpetuum: & quod apud nos pretium habet cum finem habeat, ſit nobis ſupra pretium, ſi poteſt eſſe ſine fine. *Idem ibidem.*

Manebit absque dubio hominem vita aut in beatitudinis aut in miſeriæ conditione perpetua. Nunc chariſſimi in poteſtate vitæ præſentis eſt, ut beatum ſit quidquid perpetuum erit. Eusebius Gallicanus, *& ſub hoc nomine verius idem Eucherius, homilia 7. de Paſcha.*

Si bona quærimus, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus; ſi autem mala pertimeſcimus, illa ti-

meamus, quæ a reprobris ſine fine tolerantur. S. Gregorius M. *Libro VII. Indictione* 15. *Epiſtola* 29. *alias* 26. *ad Andream.*

Dic nunc quanta tempora luxuriæ, quæ deliciarum ſpatia comparare vis talibus pœnis? Centum placet annos deliciis dare? Adde & alios centum: ſi libet decies centum adde: & quæ erit ex his ad æternitatem comparatio. B. Rabanus Maurus *Libro III. ad Bonoſum Abbatem, qui eſt de modo pœnitentiæ, cap* 10.

Temporalia quæque velut æternitatis ſemina jaciuntur. S. Bernardus *Tractatu de converſione ad Clericos, cap.* 8.

CAPUT II.

Fontes ex Patrum Operibus, unde plures alii Loci peti poſſunt.

Dionysius, Areopagita *habitus, Libro de divinis nominibus, cap.* 10. Quid ſit tempus & æternitas, ſeu ævum. Adde *Scholia* S. Maximi in eum locum.

S. Gregorius Nazianzenus *Orationibus* 38. *&* 42.

S. Chrysostomus *Parœneſi I. ad Theodorum lapſum*, præclariſſime. *Homilia* 9. *in II. ad Corinthios. Item in medio Moralis homiliæ* 28. *in ad Hebræos.*

S. Hieronymus *Epiſtola* 110. *alias* 60. *ſeu potius apud Hieronymum Epiphanius ad Joannem Hieroſolymitanum.* Item *Commentario in caput* 1. *Epiſtolæ ad Titum*, & *Commentario in caput* 30. *Ezechielis.*

S. Augustinus *Concione* 2. *in Pſalmum* 36. *circa medium, a verbis:* Jam cum ſequeris viam Chriſti, *admirabili facundia* ſolatur labores noſtros ex æternitate mercedis. *Item Libro XII. de Civitate Dei, capitibus pluribus. Enarratione in Pſalmum* 76.

Item

Item *Enarratione in Pſalmum* 89. Denique in tributo ipſi *Tractatu de triplici habitaculo, capite* 3. *in fine.*

S. EUCHERIUS *Epiſtola Parænetica jam laudata.*

EUSEBIUS GALLICANUS *homilia* 10. *ad Monachos, in fine.*

SEVERINUS BOETHIUS *ad finem Libri V. de conſolatione Philoſophiæ* fuſius diſputat de æternitate.

S. GREGORIUS M. *Libro IV. Dialogorum, cap.* 44. de æternitate pœnarum. *Et Libro XVI. Moralium, capite* 43.

Plura dant Tituli: *Cœlum. Infernus. Tempus. Salus* &c.

De æternitate Dei locos plures collegit Tournelyus, Theologus præſtans, *in Tractatu de Deo, a pagina mihi* 233.

TITULUS II.

De *Ambitione.*

CAPUT I.

Loci.

Omnis adeundi honoris Eccleſiaſtici abſcinderetur ambitio, ſi ſe judicandos potius quam judicaturos hi qui præeſſe volunt populis judicarent. ORIGENES *Commentario ad Romanos.*

Altius tolluntur, ut decidant altius. MINUTIUS FELIX *in Octavio, verſus finem.*

Rex es? tam times, quam timeris, & quamlibet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es. *Idem ibid.*

Illum vides, qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura. Quibus hoc ſordibus emit ut fulgeat? S. CYPRIANUS *Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

An tu vel illos putas tutos, illos inter honorum infulas & opes largas ſtabili firmitate ſecuros quos regalis aulæ ſplendore fulgentes armorum excubantium tutela circumſtat? major illis quam ceteris metus eſt. Tam ille timere cogitur quam timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore ſublimitas. Sit licet ſatellitum manu ſeptus & clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur: quam ſecuros non ſinit eſſe ſubjectos, tam neceſſe eſt, ut non ſit & ipſe ſecurus. Ante ipſos terret poteſtas ſua quos facit eſſe terribiles. *Idem ibid.*

Fœnore quodam nocendi quam fuerit amplior ſumma dignitatis ac honorum tam major exigitur & uſura pœnarum. *Idem ibid.*

Remigare, antequam ſciamus, gubernare tentamus. S. EPHRÆM *ad imitationem Proverbiorum Tomo I. novo, græcolatino pag.* 107.

Si cuncti mandare atque imperare voluerimus, quis ſubditus erit, aut obediet? Si cuncti honorare deſideramus, quis honorem exhibebit? *Idem ibidem pag.* 76.

Utinam eodem quo Gethæi cruciatu doloris angerentur, ſedentariaque pœna afficerentur, ut inſana eorum præſidendi cupiditas congruenti ſupplicio vindicaretur. S GREGORIUS NAZIANZENUS *Carmine* 11. *quod eſt ad Epiſcopos.* *

Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos. S. AMBROSIUS *Libro IV. in Lucam, ad caput* 4.

** Quid facis homo? alii redditurus es rationem factorum tuorum, & alium teſtem citas eorum, quæ

* Quod idem interpres ſic verſu reddidit:
Ac Gethæo utinam morbo premerentur, ut æquum eſt,
Pœnas ob ſedem meritas in ſede luentes!

** Vides machinam ſolertiſſimi oratoris, eo ſcilicet ſpectantis, ut dimiſſa concione multus hac de re in populo ſermo eſſet.

quæ facis? alium habes judicem, & alium adhibes ſpectatorem? S. Chrysostomus *homilia 3. de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum, *poſt initium.*

Nec ſatis religioſa velis videri, nec plus humilis quam neceſſe eſt, ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis, miſericordiæ, atque jejunii arbitros declinantes hoc ipſo cupiunt placere quod placere contemnunt: & mirum in modum laus dum vitatur appetitur. S. Hieronymus *Epiſtola 22. ad Euſtochium.*

Dic quæſo te omnibus iſtis laboribus noſtris quo ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei cauſa militamus? majorne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio quam ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile plerumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? S. Augustinus *Libro VIII. Confeſſionum, cap. 6.*

Honor te debet quærere, non tu ipſum. *Idem Sermone 39. alias homilia 13. ex 50.*

Gloria noſtra tu eſto, propter te amemur, & verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te non defendetur ab hominibus vituperante te, nec eripietur damnante te. *Idem Libro X. earund. Confeſſ. cap. 36.*

Quid eſt quod caducos honores auro comparant, & nolunt gratis accipere ſempiternos? S. Petrus Chrysologus *Sermone 144. ad finem.*

In honoribus hujus mundi, ut cetera taceam quæ æſtimari dignitas poteſt rerum, cum ad hanc promiſcue cum bonis mali ambitione conſcendant! & non unius meriti viros unus honor ambiat, dignoſque & indignos non jam diſcernat dignitas, ſed confundat? Ita, quæ meliores deterioribus præferre debebat, æquare cœp·, novoque modo optimi, ac peſſimi viri nusquam fere minus

 diſcri-

diſcrimen eſt, quam in honore. S. Eucherius *Paræneſi ad Valerianum, ante medium.*

Quid omnium aliud dignitas ſublimium, quam proſcriptio civitatum? aut quid aliud quorumdam, quos taceo, præfectura, quam præda? nulla ſiquidem major pauperculorum eſt depopulatio, quam poteſtas. Ad hoc enim honor a paucis emitur, ut cunctorum vaſtatione ſolvatur. Quo quid eſſe indignius, quid iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia, quas non emunt. Commercium neſciunt, & ſolutionem ſciunt. Ut pauci illuſtrentur, mundus evertitur. Unius honor orbis excidium eſt. Salvianus *Libro* 4. *de gubernatione Dei, ante medium.*

Decorari *Pallio* volumus, forſan moribus indecori; dum nihil in epiſcopali cervice ſplendiduis fulget, quam humilitas. S. Gregorius M. *Libro III. Indictione* 11. *epiſt.* 56. *alias* 54. *ad Joannem Epiſcopum Ravennatem.*

Humiliantur ut poſtmodum impune ſuperbiant: ſe pediſſequos exhibent, ut præcedant, & velut propoſita venalitatis menſa fœnerando ſervitium mercantur imperium. S. Petrus Damiani *Libro II. Epiſt.* 3.

Ducem te conſtituerunt, & data eſt tibi facultas ut miſer ſis, & amplius non quieſcas. Cumulatur materia ſolicitudinum & inter ærumnas cor ipſum exedentes neceſſum eſt vultum induere gaudioſum. Numquid in honore ſine dolore, in prælatione ſine turbatione, in ſublimitate ſine vanitate quis eſſe poteſt? Miſeri juxta Philoſophum mercedem miſeriarum amamus, & ipſas exceramur! *Idem Sermone de S. Nicolao, qui & legitur apud Bernardum.*

Si quæris gloriam omnibus invidiæ ſemina præbuiſti. Inflatus es, & ventilatorio ſpiritu plenus dirumperis, nec attendis quot te ſequantur, ſed

ſed quot præcedant. Conglomerantur omnes ad detrahendum tibi, ad maledicendum linguas acuunt & argutiſſimus es, ſi vel linguam vel manum invidorum poſſis evadere. Ecce unde glorioſus eſſe volebas, inglorius eſſe convinceris. Nullum enim inexorabilius perſequitur multitudo, quam illum, qui ſibi multitudinis arrogat principatum. *Idem ibid.*

S. Bernardus *propoſito Chriſti ſubditi exemplo:* Diſce, *exclamat,* homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Evangeliſta: *Et erat*, inquit, *ſubditus illis.* Haud dubium quin Mariæ & Joſeph. Erubeſce ſuperbe cinis. Deus ſe humiliat & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus tuo te præponis auctori? Utinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti Deus reſpondere dignetur quod & ſuo increpando reſpondit Apoſtolo: *Vade*, inquit, *poſt me Satana; quia non ſapis ea quæ Dei ſunt.* De ipſo namque dictum eſt; *Et erat ſubditus illis.* Si hominis o homo imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum ſequi auctorem tuum. Si non potes forſitan ſequi eum quocunque ierit, dignare vel ſequi quo tibi condeſcendit. *Homilia* 1. *ſuper* Miſſus eſt.

Nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido quam libidinem dominandi. *Idem Libro III. de Conſideratione cap.* 1.

Tunc potiſſimum volunt dominari, cum profeſſi fuerint ſervitutem. *Idem Libro IV. de ead. cap.* 2.

Infelix ambitio, quæ ambire magna non novit! quærens de modico creſcere, & de maximo minui. *Idem in Declamationibus, propius finem.*

Multorum turpitudo latuit, donec honoris aſſumptio palpebras vulgaris famæ aperiens in publicam deduxit notitiam quod ſtatus humilior occultabat.

tabat. Nam dignitas indignos oſtendit. PETRUS BLESENSIS *Epiſtola* 131. *ad Nepotem.*

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de Pœnitentia, cap. ultimo*, agit de moleſtiis ambitioſorum Idem *Libro de habitu muliebri, capite itidem ultimo*, de ambitione, quæ eſt in pompa.

ORIGENES *Homilia* 3. *in Acta*, de onere præfecturæ Eccleſiaſticæ. Item *Homilia* 5. *in Pſalmum* 36. quam ſint fluxi honores.

LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, cap.* 11. in ambientes honorem ex monumentis publicis.

S. EPHRÆM *Sermone ad correctionem eorum, qui vitioſe vivunt, & honores appetunt Tomo I. novo, pagina* 111.

S. BASILIUS M. *Homilia* 5. *Hexaemeron, eleganter.* Item *homiliis* 3. *in illud:* attende tibi ipſi; *& homilia* 20. *de humilitate.* Denique *capitibus pluribus conſtitutionum monaſticarum.*

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 21. *de S. Athanaſio, prope initium*, de ambitione eccleſiaſtica. Idem agit de eadem *Oratione* 27. *quæ eſt de ſeipſo, & ad eos, qui ipſum cathedram Conſtantinopolitanam affectare dicebant. Ac pluribus aliis, quæ ſunt de rebus ſuis, præſertim* 32. Nec omittendus eſt locus *Oratione* 28. *prope finem*, de certamine præcedendi. Adde & 20. *in laudem Baſilii.*

S. AMBROSIUS *in Apologia David poſteriore, cap.* 3. poteſtatem eſſe incentivum peccandi. Idem *Libro II. de officiis, cap.* 23. non eſſe diuturna, quæ machinatur ambitio

S. CHRYSOSTOMUS *Homiliis* 5. *&* 50. *in Geneſin. Homilia*

Homilia 2. *in Pſalmum* 48. potenter, elganterque in ambientes pompam & monumenta.

Homilia 3 *in Acta*, de periculis atque moleſtiis Prælatorum.

Homiliis 8. 17. *&* 29. *in ad Romanos.*

Homiliis 12. *&* 55. *in I. ad Corinthios.*

Homiliis 24. *&* 29. *in II. ad Corinthios.*

Homilia 10. *in ad Epheſios.*

Homilia 15. *in ad Philippenſes,* de miſeriis vel ſummarum dignitatum.

Homilia 7. *in ad Coloſſenſes.*

Homilia 8. *in I. ad Theſſalonicenſes,* in ambitum pompæ atque ſplendoris.

Homilia 1. *in II. ad Theſſalonicenſes.*

Homilia 2. *in ad Titum.*

Homilia 34. *in ad Hebræos.*

Præcipue vero *homilia in Eutropium: homilia* 17. *in ad Romanos,* & *homilia* 52. *in Acta.* Nec omitte *Librum* 2. *de compunctione cordis: Librum priorem ad Viduam juniorem: Libros ſex de Sacerdotio: homiliam* 18. *ad populum.* & *homiliam in illud:* Utinam ſuſtineretis modicum quid, *Tomo III. Montfauconi.* &c. &c.

S. Hieronymus *Epiſtola* 60. *alias* 3. *ad Heliodorum, in fine.* Et *Epiſtola* 108. *alias* 27. *ad Euſtochium,* ubi de fuga gloriæ in diva Paula.

Synesius, *poſt initium orationis de regno,* de materia, quam magnates Tragœdiæ ſuppeditant.

S. Augustinus *Libro V de civitate, cap.* 17. ex eo, quod Gentiles pro gloria vana fecerunt, urget Chriſtianos, idipſum potius pro gloria vera ſuſcipere. Plura quoque habet *cum eodem Libro, tum præcedentibus duobus.* Adde & *Quæſtionem* 36. *ex* 83.

S. Isidorus Pelusiota *Libro IV. epiſtola* 145. in Ambitionem: Item *Libro III. epiſtola* 133 de ejus-

ejusdem inanitate: & *Libro V. epiſtola* 152. ut eam commutemus cum ambitu meliore.

S. PETRUS CHRYSOLOGUS *Sermone 9.*

S. EUCHERIUS *Parœneſi ad Valerianum, ante medium, præclare.*

S. JOANNES CASSIANUS *Libris XI. & XII.* de Inſtitutis Renuntiantium.

S. NILUS *de octo vitioſis cogitationibus, capite 7. & 8.*

S. LEO *Epiſtolis pluribus*, quibus coërcet ambitionem eccleſiaſticam.

S. SIDONIUS APOLLINARIS *Libro II. epiſtola* 13. *egregie.*

JULIANUS POMOERIUS *Libro III. de vita contemplativa, cap.* 20.

SEVERINUS BOETHIUS *Libro II. de conſolatione Philoſophiæ, a proſa 6.* Et iterum *Libro III. ſæpe.*

S. JOANNES CLIMACUS *Gradu* 22.

S. GREGORIUS M. *in Paſtorali cura:* Et fuſe *Libro VIII. Moralium, capitibus pluribus.* Item *ad finem Libri XXIV. eorumdem Moralium.*

S. ANTIOCHUS *Homilia* 43.

S. PETRUS DAMIANI *Opuſculo XXI. de fuga dignitatum eccleſiaſticarum:* Et *Opuſculo LVI. de fluxa mundi gloria deſpicienda.*

HILDEBERTUS CENOMANENSIS *Libro de honeſto & utili: Titulo* de Prælatione, *præclare.*

S. BERNARDUS *Libro III. de Conſideratione.*

Tractatu de gradibus humilitatis & ſuperbiæ.

Epiſtola 237. *ad Eugenium Papam.*

Epiſtola 42. *ad Henricum Senonenſem. Eſt hodie inter Tractatus.*

Epiſtolis compluribus, in cauſa ſchiſmatis, præcipue 126.

Sermone 6. in Pſalmum 90.

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro VII. Policratici, pluribus capitibus:* atque iterum *fuſe Libro VIII. operum ejusdem.*

PE-

Petrus Blesensis *Epiſtola* 14. de aulicorum ærumnis. Adde *Epiſtolas* 28. & 131. atque etiam *Tractatum de peregrinatione Jeroſolymitana.*

Innocentius III. *de vilitate conditionis humanæ, Libro II. a cap.* 26. *fuſe.*

B. Humbertus *Epiſtola eximia ad Albertum magnum.*

Dionysius Carthusianus *Opuſculo contra ambitionem.*

Plura vide Titulis: *Magiſtratus. Epiſcopatus. Superbia. Humilitas. Cognitio ſui.*

TITULUS III.

De *Amicitia.*

CAPUT I.

Loci.

Non eſt amicitia vectigalis, ſed plena decoris, plena gratiæ. Virtus eſt enim amicitia, non quæſtus; quia non pecunia quæritur ſed gratia, nec licitatione pretiorum ſed concertatione benevolentiæ. S. Ambrosius *Libro III. de officiis, cap.* 2.

Tanta res eſt bonus amicus, ut & loca, & tempora propter ipſos amentur. Sicut enim a ſplendidis corporibus flos emanat in loca vicina, ita etiam amici ad loca ad quæ acceſſerint ſuam emittunt gratiam: & ſæpe cum absque amicis in illis locis fuerimus, flemus recordantes dierum, in quibus cum illis verſati ſumus, & gemimus. Verbis explicari non poteſt quantam affert voluptatem & lætitiam præſentia amicorum. Soli autem ſciunt, qui experiuntur. S. Chrysostomus *Homilia* 2. *in I. ad Theſſalonicenſes.*

Obſecro te, ne amicum, qui diu quæritur, vix invenitur, difficile ſervatur, pariter cum oculis mens

mens amittat. S. Hieronymus *Epiſtola* 3. *alias* 41. *ad Ruffinum.*

In amicis non res quæritur, ſed voluntas; quia alterum ab inimicis ſæpe præbetur, alterum ſola charitas tribuit. *Idem Epiſtola* 33. *nunc* 68. *ad Caſtrutium.*

Amicitia, quæ deſinere poteſt, vera nunquam fuit. *Idem Epiſtola ſupra laudata ad Ruffinum.* *

Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, ac cibos, blandasque ac dulces literulas ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias & lepores & riſu dignas urbanitates, & ceteras ineptias amatorum in comœdiis erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur: quanto magis in Monachis, & Clericis. *Idem Epiſtola* 2. *nunc* 52. *ad Nepotianum.*

Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico; aut quia eſt in illo: aut ut ſit in illo. Hæc eſt vera dilectio. Propter aliud ſi nos diligimus, odimus potius quam diligimus. S. Augustinus *Sermone* 336. *olim* 256. *de tempore.*

O nimis inimica amicitia! *Idem Libro III. Confeſſionum, cap.* 9. *Quod & repetit S. Bernardus Sermone* 24. *in Cantica.*

Elige illum ** amicum tuum præ omnibus amicis tuis; quia cum omnia tibi ſubtracta fuerint, ſolus ille tibi fidem ſervabit. In die ſepulturæ tuæ, & cum omnes amici tui recedent a te, ille te non derelinquet. *Idem, ſeu Auctor Manualis, capite* 24.

Idem narrationem de mortuo amico ſuo ita concludit: Beatus, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari ſunt, qui non amittitur

* Cum quo ipſe ejus rei luculentum poſtea exemplum fuit.

** Intelligit Chriſtum.

titur Deus noſter. Deum enim nemo amittit, niſi qui dimittit. *Libro IV. Confeſſionum, cap.* 9.

Qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum convincitur amare, ſed commodum. JULIANUS POMOERIUS *Libro III. de vita contemplativa, cap.* 25.

Manifeſtis patet indiciis amicus bonorum, nec in altero mores quiſquam hominum, niſi quos in ſe formavit amplectitur. S. ENNODIUS *Parœneſi didaſcalica, ſeu opuſculo* 6.

An hoc inter minima æſtimandum putas quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aſpera, hæc horribilis fortuna detexit? Hæc tibi certos ſodalium vultus, ambiguosque ſecrevit. Diſcedens ſuos abſtulit, tuos reliquit. Quanti hoc integer, &, ut videbaris tibi, fortunatus emiſſes? Deſine nunc amiſſas opes quærere; quod pretioſiſſimum genus divitiarum eſt amicos inveniſti! SEVERINUS BOETHIUS *De Conſolatione Philoſophiæ Libro II. Proſa* 8.

Quem proſperitas amicum fecit, adverſitas inimicum reddet. *Idem.*

O amicitia, res inter mortales admodum pretioſa! ſed quanto carior, tanto rarior, quo abiiſti? PETRUS CLUNIACENSIS *Libro I. epiſtola* 5.

Nec dum quid ſit amicitia didicit, qui aliam ejus vult mercedem, quam ipſam. AELREDUS ABBAS *Libro II. de ſpirituali amicitia, propius finem.*

Falſo ſibi præclarum amicitiæ nomen aſſumunt, inter quos eſt convenientia vitiorum, quoniam qui non amat, amicus non eſt. Non autem amat hominem, qui diligit iniquitatem. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Qui vero ſuam non diligit, animam utique alterius amare non poteſt. *Idem ibidem Libro I. circa medium.*

O quot ſub ſpecie charitatis ſeducuntur, & ſeducunt! S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Libro de Diſci-*

Diſciplina, & *perfectione monaſticæ converſationis*, *cap.* 12.

CAPUT II.

Fontes.

Athenagoras *creditus*, *Libro de vero & perfecto amore*, *egregie*.

S. Basilius M. *Sermone aſcetico* 4. & 5. *qui in nova editione regulis fuſioribus præmittuntur.* Item *Homilia ſuppoſita in aliquot Scripturæ locos*, *dicta in Lacizis.* Utrobique de periculis amicitiarum peculiarium, & ſenſualium. *Idem* de iiſdem acerrime *Sermone* de abdicatione rerum, ſeu de renuntiatione ſæculi, ubi digitum in flammas Pentapolis intendit.

S. Gregorius Nazianzenus *Orationibus* 7. *initio*, & 20. *fuſius.* *

S. Asterius Amasenus *Homilia* 5. in locum Evangelii ſecundum Matthæum: an liceat homini dimittere uxorem &c. loquitur de amicitia ex convictu & conſuetudine admirabili quadam ſuavitate.

S. Ambrosius *Libro I. de officiis*, *cap.* 32. de amicitia ſociali, quam dicunt benevolentiam. Et *Libro III. de iiſdem*, *cap. ultimo toto.*

S. Chrysostomus *Libro I. de Sacerdotio.*

Homilia 49. *in Matthæum*, de delectu amicorum.

Homilia 61. *in Matthæum*, de vera, falſaque amicitia.

Homilia 40. *in Acta*, *præclare.*

Homilia 23. *in ad Romanos*, de optima, perfectaque amicitia, *toto Morali.*

Homilia

* Perfectiſſimum exemplar amicorum dant in ſcriptis ſuis SS. Baſilius M. & Gregorius Nazianzenus. Locos collegit Godefridus Hermant in *vita illorum Libro XI. cap.* 19.

Homilia 9. *in ad Epheſios*, de ſecretis amicorum.

Homilia 2. *in I. ad Theſſalonicenſes, ſupra laudata, fuſe.*

S. Hieronymus *in caput* 7. *Michææ, luculenter.*

Commentario in caput 1. *Eſaiæ, ad verba*: omnes diligunt munera, de amicis ex ſpe lucri.

Commentario in caput 4. *Eccleſiaſtis.*

Synesius *Epiſtola* 139. *ad Herculianum.*

S. Augustinus *Libro II. Confeſſionum, cap.* 2. de amicitia ſenſuali, deſinente in libidinem.

Libro III. Confeſſionum, capitibus 1. & 3. *de eadem.*

Libro IV. Confeſſionum, capitibus 8. & 9. de natura & ſuavitate amicitiæ.

Libro VIII. Confeſſionum, cap. 6. de amicitia Principum.

Epiſtola 155. *nunc* 258. *ad Martianum*, quod qui non eſt amicus Dei, neque hominis eſſe poſſit.

Epiſtola 73. *alias* 15. *ad Hieronymum*, de diſſoluta amicitia.

Libro 83. *Quæſtionum, quæſtione* 71.

Libro XIX. de Civitate, capitibus 5. 8. 9.

Libro XIX. de eadem, capitibus 5. & 8. de amicitiæ periculis.

Enarratione in Pſalmum 131. *circa medium*, de amicitiis potentum.

Sermone 385. *alias homilia* 38. *ex* 50. *pulchre.*

S. Joannes Cassianus *Collatione XVI. fuſe.*

S. Sidonius Apollinaris *Libro IV. epiſt.* 14. ubi monet, quoſdam amicis veluti floribus uti; tamdiu gratis, quamdiu recentibus.

S. Gregorius M. *Libro VII. Moralium, capitibus* 24. & 25.

S. Antiochus *Homiliis* 64. & 65. de arcano tenendo, & committendo.

S. DOROTHEUS *Doctrina* 9. Quantum ſuſpiciones noceant amicitiæ.

S. BERNARDUS *Sermone* 24. *in Cantica*, de amicitia peculiari in præjudicium aliorum.

AELREDUS *Abbas Libris III. de ſpirituali amicitia.* [a]

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro III. Policratici, cap.* 12.

PETRUS CELLENSIS *Libro XII. epiſtola* 7.

PETRUS BLESENSIS *Tractatu duplici de amicitia chriſtiana*, qui falſo hactenus *Caſſiodoro* tribuebatur.

GUILBERTUS TORNACENSIS *Tractatu de pace, & tranquillitate animi, cap.* 24. *quod non in terrenis amicitiis ſit pax quærenda.*

LUCAS TUDENSIS *Libro I. cap.* 17. *Tomo XXV. Bibliothecæ Patrum Lugdunenſis Maximæ, pag.* 209.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Loco citato*, ubi alia de periculis amicitiæ clancularîæ in monaſteriis. Idem de amicitia agit *Tractatu de triumphali Chriſti agone, capite* 14.

TITULUS IV.

De *Amore* proprio.

CAPUT I.

Loci.

Cui idoneus videri poteſt, qui ſibi vilis eſt? S. AMBROSIUS *Enarratione in Pſalmum* 38.

Quomodo talis iſte alium diliget, qui ſemetipſum non diligit? aut cui non iſte inimicus erit, qui ſibi ipſi amicus eſſe non potuit. *Creditus* CLEMENS *Romanus Libro III. Recognitionum, num.* 53.

S. Au-

[a] Auguſtini *Liber de amicitia*, non niſi corruptus & compilatus Aelredi Dialogus eſt.

S. Augustinus *ad verba illa Servatoris:* Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam: Magna, *exclamat*, & mira ſententia quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor ut pereat, odium ne pereat! Si male amaveris tunc odiſti; ſi bene oderis tunc amaſti. Felices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando. *Tractatu* 51. *in Joannem, ſub medium.*

Fieri non poteſt, ut ſeipſum qui Deum diligit non diligat. Imo vero ſolus ſe novit diligere, qui Deum diligit. *Idem Libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap.* 26.

Deus te rogat, ut tui miſerearis, & non vis? Cauſam tuam apud te agit, & a te non poteſt impetrare? Et quomodo te audiet ille in die judicii ſupplicantem, cum tu eum pro te ipſo nolueris audire rogantem? *Idem creditus, Sermone* 29. *in Appendice nova, alias* 102. *de Tempore.* Profecit ex Salviano, qui *Libro* 3. *ad Eccleſiam Catholicam, num.* 19. hoc ipſum efficacius multo proponit.

Quid miſerius miſero non miſerante ſeipſum! *Idem Libro I. Confeſſionum, cap.* 13.

Quo devius ac præceps hominum amor raperis? Scis ea quæ tibi obveniunt diligere, & ipſum te diligere neſcis? Foris eſt quod amas, extra te eſt, quod concupiſcis. Revertere potius in te, ut ſis tibi charior quam tua. S. Eucherius *in Parœneſi ad Valerianum, poſt initium.*

Certe ſi ad te quiſpiam rerum haud ignarus accedat, malis ipſum te amet, quam iſta quæ tecum ſunt: idque eligas, ut ille vitæ tuæ potius quam opibus tuis affectum ſuum conferat. Vis hunc homini fidem ſervare non rebus. Quod tibi tribuere velis alium, ipſe hoc tibi qui es tibi fidiſſimus tribue. Nos potius, nos amemus quam noſtra. *Idem in eadem Parœneſi, proxime poſt ſuperiora.*

Numquid poteſt cuilibet quidquam ſe ipſo propius, numquid charius inveniri? Suam unicuique veſtrum animam, ſuam ſalutem, ſuam ſpem commendamus. Nihil plane durius vobis, nihil inhumanius, nihil tam ſerum, nihil tam impium dici poteſt, a quibus impetrari omnino non poteſt, ut vos ipſos ametis! Salvianus *Libro* 3. *ad Eccleſiam Catholicam, numero* 9.

Quæ cum, ita ſint, dicite mihi quæſo omnes Chriſtum amantes ſi eſſe ulli omnino homines tam ſævi, ac tam crudeles adverſum inimicos ſuos poſſunt, quam ſunt iſti adverſum ſe? Nulli quippe ſunt tam feri, tam inhumani qui non vel deſperatos jam atque morientes adverſarios ſuos perſequi deſinant; iſti ſe ipſos etiam in morte poſiti perſequuntur. An non eſt hoc perſecutio, aut eſſe alia major poteſt exhæredari hominem a ſeipſo, extorrem bonorum omnium fieri & quaſi in exilium a ſe ipſo agi? Atque hoc non communi more, aut uſitato; ſed novo & crudeliſſimo. Omnes enim exules, etſi corporibus ablegantur, animis non eliminantur. Etſi animo captivi ſunt, cordibus tamen ſi volunt liberi perſeverant. Hoc autem unde nunc loquimur, novum exilii genus atque tormentum eſt, ſcilicet ubi in exilium anima ipſa mittitur, ubi e facultatibus ſuis ſpiritus abdicatur. O quanto leviores ſunt extranei & carnales inimici! Illi enim corporum tantum hoſtes ſunt, vos & animarum. Leve eſt itaque in comparatione facinorum veſtrorum illorum odium. Facile eſt enim quidquid in præſenti ſæculo nocet. Illud grave, illud pernicioſum eſt, quod in æternitate jugulabit. Et ideo Salvator ipſe: *Nolite,* inquit, *eos timere, qui poſſunt corpus occidere, animam autem non poſſunt* Facile eſt ergo odium quod corpus lædit, non lædit animam; quia læſo corpore anima extra damnum eſt, & paſſionibus carnium beatitudo ſpirituum non interpolatur.

latur. Illud itaque illud inexpiabile malum eſt, illud æſtimari omnino non poteſt, quod totum omnino hominem ſine fine damnabit. Et ideo leviores vobis inimici veſtri ſunt quam vos ipſi. Omnis ſiquidem inimicitia morte diſſolvitur; vos contra vos ita agitis ut inimicitias veſtras nec poſt mortem evadatis. *Idem Libro 2. ad Eccleſiam Catholicam, ipſo fine.*

O quam cavendus cæcus amor ſui, cui cuncta odio ſunt! S. Joannes Damascenus *Titulo XIII. litera* Φ, *olim Libro III. cap.* 111. *Parallelorum, ex Evagrio.*

Optimus æſtimator rerum, qui nihil ſuorum ſibi præferendum exiſtimet. S. Bernardus *Sermone* 30. *in Cantica.*

Et legibus humanis ſtatutum & in cauſis tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus ſervatum ſcio, ſpeciales amicos cauſantium non debere admitti ad judicium; ne vel fallant, vel fallantur amore ſuorum. Quod ſi culpam amici tuo judicio amor illius aut minuit aut prorſus abſcondit: quanto magis amor tui tuum contra te judicium fallit! *Idem Libro de gradibus humilitatis & ſuperbiæ, cap.* 4. *num.* 14.

Hippocrates & ſequaces ejus docent animas ſalvas facere in hoc mundo: Chriſtus & ejus diſcipuli perdere. Quemnam vos e duobus ſequi magiſtrum eligitis? *Idem Sermone* 30. *in Cantica.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Ephræm *inter Parœneſes,* atque etiam *in Tractatu de vita ſpirituali* de Philautia agit.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 1. *num.* 25. de præpoſtero ſui amore, qua nobis ipſi nocemus. *Idem Oratione* 16. *quæ eſt de pauperum amore*, huc facit.

S. AMBROSIUS *Enarratione in Pſalmum* 35. *initio*, de iis, qui ſibimetipſis nocent.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 25. *in I. ad Corinthios, toto Morali,* omnia eſſe facienda non ad propriam, ſed communem utilitatem. Addatur *Homilia* 7. *in II. ad Timotheum, initio:* & *Homilia* 9. *in I. ad Theſſalonicenſes, ad finem.*

S. AUGUSTINUS *Libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, jam laudato capite.*

Libro XIV. de Trinitate, cap. 14. *præclare.*
Tractatibus 51. & 123. *in Joannem.*
Libro ipſi ſuppoſito de ſubſtantia Dilectionis.
Libro ſuppoſito de Spiritu & Anima.
Sermone 330. *alias* 29. *ex* 40. *novis.*
Sermone 96. *alias* 47. *de diverſis.*
Sermone 90. *alias* 14. *ex* 40. *novis.*

S. PROSPER *de vita contemplativa Libro III. cap.* 22. ut & alios præter nos ipſos amemus, *egregie.*

SALVIANUS *Libro* 3. *laudato* plura habet, & *egregia.*

S. BERNARDUS *Libro de Converſione ad Clericos, cap.* 4. ubi amorem ſui præclare explicat ſimilitudine ſcalpentis ſeſe hominis ſcabie obſiti. Rurſum huc facit in *Apologia ad Guilielmum Abbatem, poſt medium!* Item *Sermone ſupra laudato in Cantica.*

RICHARDUS A S. VICTORE *in Pſalmum* 25. *fuſe* de ſuggeſtionibus amoris proprii.

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo III. ſermone* 22. *extraordinario,* qui eſt de amore proprio.

Plura reperies in Titulis: *Anima. Salus. Status & Officia. Mortificatio. Paſſiones* &c. *Amor Proximi. Amor Dei. Finis ultimus.*

TITU-

TITULUS V.

De *Baptiſmo.*

CAPUT I.

Loci.

Confugite ad aquas iſtas; ſolæ ſunt enim, quæ poſſint vim futuri ignis extinguere. S. Clemens Romanus *creditus, Epiſtola* 4. *ad Julium & Julianum, verſus finem.*

Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani. Tertullianus *in Apologetico, cap.* 18.

Qui ſe filium Dei profitetur, cur non exemplum Patris imitatur? reſpondere nos decet natalibus noſtris, & quos renatos per Deum conſtat, degeneres eſſe non congruit. Pontius Diaconus *in vita divi Cypriani.*

Quis fidelium neſciat, ſingulare baptiſma virtutum eſſe vitam, criminum mortem * nativitatem immortalem, cœleſtis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium? *Libro V. de Schismate Donatiſtarum, adverſus Parmenianum,* Optatus Milevitanus.

Hanc aquam nec effundere licet, nec rurſus haurire. S. Zeno Veronenſis *Invitatione* 1. *ad fontem.*

Quid plura commemorare attinet? Baptiſmus omnium Dei beneficiorum præclariſſimum eſt, & præſtantiſſimum. S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 40. *initio.*

Aqua cum nihil aliud ſit quam aqua, ſuperna gratia illi benedicente in eam quæ mente percipitur, hominem renovat generationem. Quod ſi quis mihi dubitando & ambigendo negotium exhibeat,

* Hoc ex Cypriani *Epiſtola* 2. *ad Donatum* mutuatur.

hibeat, interrogans, qua ratione aqua regeneret, dicam optimo jure ad eum: oſtende mihi modum nativitatis quæ fit ſecundum carnem, & ego tibi vim regenerationis quæ ſecundum animam fit exponam. Dices fortaſſe quaſi quamdam rationem reddens, ſemen cauſa eſt effectrix hominis? Audi igitur contra a nobis, quod aqua quæ benedicitur purgat & illuminat hominem. Quod ſi mihi rurſus contra ſubjicias: quomodo? clamabo contra te vehementius: quomodo humida atque informi natura homo fit? Atque de omni creatura ita oratio progrediens in unaquaque exercebitur, qui cœlum? qui terra? qui mare? qui res ſingulares? . . . Ubique divina vis & efficacitas incomprehenſibilis eſt, nullaque vel ratione vel arte explorari poteſt. S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione in Baptiſmum Chriſti.*

Creditus AMBROSIUS, *cum præmiſiſſet Nazarium necdum baptizatum ad Sanctitatem perveniſſe:* Quid ad hæc, *ſubjicit*, nos infelices reſpondere poterimus, qui poſt nitorem baptiſmi, poſt collatum nobis ſacra regeneratione candorem, poſt aquiſitam indumenti nuptialis angelicam dignitatem in peccatorum cœnum relapſi & in antiqua criminum volutabra revoluti niveum veſtimentum tetris iniquitatum ac libidinum contagiis ſordidamus, & holoſericam, in qua ſigillum divinæ imaginis acceperamus impreſſum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus: & poſt ſingularem Dei noſtri indulgentiam innovata fœdamus, integra reſcindimus, expiata violamus, repetentes opera non jam undis purganda, ſed flammis? *Sermone* 55. *in Natali* SS. NAZARII & CELSI, *in appendice Editionis Maurinæ.*

Abluti ſemel eſtis baptiſmo ſalutari; nolite de fonte in cœnum regredi. S. GAUDENTIUS BRIXIENSIS *Tractatu* 9.

Non

Non poſſum parcere tranſiens purificationi Judæorum immundæ. Lavant polluta corpora: abluta ſtatim polluunt. Semper lavant, ſemper impuri ſunt. *Idem ibid. ſuperius.*

Non naſcimur, ſed renaſcimur chriſtiani. S. Hieronymus *Libro adverſus Vigilantium, cap.* 3. *

Idem putatus Epiſtola ad Demetriadem, hortatus, ut ſemper ſe filiam Dei meminiſſet, in baptiſmo ſuſceptam: Honor tuus, *ait,* te ad ſolicitudinem tui propoſiti admoneat. Et nullus debet eſſe ibi negligentiæ locus, ubi tam præclara ſervanda ſunt. Pretioſior quæque veſtis timidius cuſtoditur a macula. Multo quæſita auro gemma majori ſolicitudine poſſidetur, & generaliter grandi cura magna quæque ſervantur. Unde & tu ſi te ipſam bene cuſtodire cupis, debes honorem tuum ſemper pretiumque cogitare. Tanto enim ſe unusquisque negligentius utitur, quanto ſe exiſtimat viliorem. *In appendice operum Hieronymi.*

Quid miraris, quia homines a Deo naſcuntur? attende ipſum Deum natum ex homine. S. Augustinus *Tractatu* 1. *in Joannem.*

Maxime fratres mei filios veſtros fideles attendite, quos fidedixiſtis cum baptizarentur. Sed forte negligit malus filius vel monita patris vel objurgationem, vel ſeveritatem? Tu imple perſonam tuam; Deus de illo exiget ſuam. *Idem Enarratione in Pſalmum* 50. *in fine.*

Audivimus fratres! quo nos tulit divina dignatio, quo paternitas extulit nos ſuperna. Credamus nos Dei filios, reſpondeamus generi, vivamus cœlo, patrem ſimilitudine referamus. Ne perdamus vitiis quod ſumus per gratiam conſecuti. S. Chrysologus *Sermone* 10.

Bb 5 Quem-

* *Cui gemellum eſt illud* Augustini: Non facit generatio, ſed regeneratio Chriſtianos. *Libro III. de peccatorum meritis, cap.* 9.

Quemadmodum infuſa lebetibus aqua, ſi admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit; ita Spiritus efficacitate ſenſibilis aqua in divinam quamdam & ineffabilem vim transformatur, omnesque demum, in quibus fuerit, ſanctificat. S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *Libro* 2. *in Joannem. pag.* 147.

Ecce quidquid iniquitatum ſempiternus gehennæ ignis excoquere, & expiare vix poſſit, ſubito ſacro fonte ſubmerſum eſt: & de æternis debitis breviſſimo lavacri compendio cum indulgentiſſimo creditore tranſactum eſt. EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia* 7. *de Paſcha.*

Homo fonte tingitur, & momentaneo lavacro ab inveterato malo primi parentis abluitur: ſub aquis relinquitur, quidquid flammis debebatur. *Idem ibid.*

Agnoſce o Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire! Memento cujus capitis & cujus corporis ſis membrum. Reminiſcere quia erutus de poteſtate tenebrarum translatus es in Dei lumen & regnum. Per baptismatis Sacramentum Spiritus Sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſubjicere ſervituti! quia pretium tuum ſanguis eſt Chriſti, qui in veritate * te judicabit, qui in miſericordia te redemit. S. LEO *Sermone* 1. *in Nativitate Domini.*

Quomodo illud quantæve bonitatis æſtimabimus, quod eo tempore, & inter tales naſci (nos) voluit, per quos ad fidem ſuam, & Sacramenta pervenimus! videmus innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod nobis gratulamur eſſe conceſſum. Cum quibus una eſt & nobis conditio illi derelicti ſunt

* i. e. *juſtitia* juxta phraſin Scripturæ.

ſunt per juſtitiam, nos vocati ſumus per gratiam. S. ANSELMUS *Meditatione* 16. *initio.*

Baptizari iterum non poſſumus; & tamen vice baptiſmatis contra quotidiana peccata quotidianum fontem lacrimarum habemus. Etſi ſæpius baptizari prohibemur per aquam, nunquam prohibemur per pœnitentiam. HUGO A S. VICTORE *Annotat. elucidator. in Pſalmum* 41.

Sine cauſa ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor. S. BERNARDUS *in vita Malachiæ.*

CAPUT II.

Fontes.

DIONYSIUS, *dictus* AREOPAGITA, *Libro de eccleſiaſtica Hierarchia, cap.* 2.

TERTULLIANUS *Libro de Baptiſmo.*

S. CYPRIANUS *Epiſtola citata, pluribusque aliis.* Adde tributum illi *Sermonem de baptiſmo Chriſti.*

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS *Præfatione in Catecheſes illuminatorum. Catecheſibus* 3. 7. 17. illuminatorum: & *Catecheſibus* 1. & 2. *myſtagogica.*

S. EPHRÆM *Tomo III. novo, de Abrenuntiatione in S. Baptiſmate facta, pag.* 215. Item *eodem Tomo, ſermone quodam de pœnitentia, pag.* 398. Et *Sermone compunctorio, Tomo I. novo, pag.* 28.

S. BASILIUS M. *Libris duobus de Baptiſmo: homilia in S. baptiſma: Libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium, capitibus pluribus.*

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 40. *in S. baptiſma.* Item *Oratione,* quæ hanc proxime præcedit *in S. Lumina,* de baptiſmo Chriſti.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione in baptiſmum Chriſti.*

Oratione in baptiſmum differentes.

Oratione de infantibus, qui præmature abripiuntur.

Ora-

Oratione magna Catechetica, capitibus aliquot.
Oratione 2. *in Orationem Dominicam.*
Oratione 7 *de Beatitudinibus*, quibus ultimis de filiatione divina, & nobilitate hominis in baptiſmo regenerati agit.

S. Pacianus *Sermone de Baptiſmo*, ad Catechumenos.

S Ambrosius *Libro de initiandis: Libris quatuor primis de Sacramentis.* Idem *Libro II. in Lucam, cap.* 3. & *Sermone* 18. de baptiſmo Chriſti ſermonem habet.

S. Chrysostomus *in homiliis ad illuminandos*, ſeu, quod eſt idem, ad baptizandos.
Homiliis 11. 12. *&* 83. *in Matthæum.*
Homilia 3. *in ad Epheſios.*
Homilia de baptiſmo Chriſti, Tomo II. novo.
Homilia ſuppoſita de Pſeudoprophetis, circa medium, ubi ſunt calentes figuræ de Abrenuntiatione, atque operibus profeſſioni contrariis.

S. Hieronymus *Epiſtola* 69. *alias* 83. *ad Oceanum*, efficacitatem Sacramenti hujus limitem nullum habere. Adde *Sermonem* ejus *Suppoſitum de Epiphania, in Appendice*, de baptiſmo Chriſti. Et quæ in *Dialogo adverſus Luciferianos* de valore baptiſmi hæreticorum.

S. Augustinus *Libris ſeptem de baptiſmo contra Donatiſtas.*
Libro de unico baptiſmo contra Petilianum.
Libro I. de nuptiis & concupiſcentia.
Epiſtola 98. *alias* 23.
Tractatu 5. *in Joannem* de baptiſmo Chriſti, & Joannis.
Libro III. de peccatorum meritis & remiſſione, ubi inter cetera *cap.* 9. cur liberi parentum jam mundatorum nihilominus mundandi, *egregie.*

Con-

Concione ad Catechumenos contra Judæos, Paganos & Arianos; præclare de Renuntiatione.

Sermone alias 29. *de Tempore, nunc* 136. *in appendice*, de baptiſmo Chriſti.

Epiſtola ad Petrum & Abraham, nunc primum reperta a Godefrido Beſſelio, Abbate Gottwicenſi, *de pœnis parvulorum ante Baptiſmum decedentium*. Eſt in noviſſima Editione Auguſtini Veneta.

S. Cyrillus Alexandrinus *Loco dato* fuſe de Baptiſmo Chriſti, & Joannis. Item *Libro* 3. *de Adoratione in Spiritu, & veritate.*

S. Paulinus *Epiſtola* 32. *olim* 12. *ad Severum* in Carmine, quod baptiſterio inſcribit.

S. Leo *Sermonibus* 4. & 5. *de Nativitate*, ubi regenerationem Chriſtiani comparat cum generatione Chriſti.

Salvianus *Libro* 4. *de Gubernatione*, peccata Chriſtianorum multo eſſe graviora quam aliorum; fuſe iſtuc & varie.

S. Fulgentius *Libro de Incarnatione, & gratia Jeſu Chriſti, cap.* 7. Filios Dei adoptivos haud ſecus ac filium naturalem de Spiritu S. procreari.

Victor Vitensis *Libro III. de perſecutione Vandalica;* ubi narrat inſigne factum de candida veſte, qua baptizati induebantur.

S. Martinus Bracarensis *Epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum, de trina merſione*, quem editurum ſe promiſit Cardinalis D'Aguirre.

S. Joannes Damascenus *Libro IV. fidei orthodoxæ, cap.* 10. & *Parallelorum Libro I. cap.* 55.

Leidradus *Libro de Sacramento Baptiſmi, & Epiſtola de Abrenuntiatione in baptiſmo fieri ſolita. Eſt apud Mabillonium Tomo III. Veterum Analectorum.*

Odil-

ODILBERTUS de argumento eodem, *apud eundem ibidem, Tomo IV.*

THEODULPHUS AURELIANENSIS *Libro de ordine baptiſmi.*

ALCUINUS *Epiſtolis duabus de Baptiſmi ceremoniis.*

AMALARIUS FORTUNATUS *Libro de S. Baptiſmate ad Carolum magnum, qui hactenus Alcuino erat ſuppoſitus.*

S. AGOBARDUS *Conſultatione de Judaicorum mancipiorum Baptiſmo.*

FULBERTUS CARNOTENSIS *Epiſtola* 1. *egregie.*

FRANCO AFFLIGINENSIS *Libro* 9. *de Gratia, ſeu beneficentia Dei;* ubi de Baptiſmo Chriſti, & Chriſtianorum.

HUGO VICTORINUS *Libro II. de Sacramentis, Tractatu* 6.

PETRUS CLUNIACENSIS *contra Petrobruſianos;* ubi *fuſe* de baptiſmo.

S. BERNARDUS *Sermone* 1. *de Epiphania;* ubi *pulchre* de baptiſmo Chriſti: & *Sermone* 66. *in Cantica. Idem Epiſtola* 77. *ad Hugonem a S. Victore* parvulis non baptizatis fidem parentum ſuorum imputat.

RICHARDUS A S. VICTORE *de ſuperexcellenti baptiſmo Chriſti.*

INNOCENTIUS III. *Libro de Sacramento Baptiſmi.*

PANTALEO, *ex Diacono Presbyter Conſtantinopolitanus, oratione in S. Lumina, in Auctario, quod anno* 1648. *edidit Combefiſius.*

S. THOMAS A VILLANOVA *Concione in Dominicam III. Adventus;* ubi præſertim de pactis baptiſmi eſt legendus.

Vide etiam Titulos: *Peccatum originale. Gratia. Feſtum Pentecoſtes. Opera.* Fontibus complures alios ſuperaddit Gener in *Bibliotheca* ſua *Theologica.*

TITU-

TITULUS VI.

De *Cæcitate* Spiritus, ſeu *Occæcatione* (ut alii appellant.)

CAPUT I.

Loci.

Præclara eſt animadverſio Tertulliani, duplicem diſtinguentis cæcitatem, & qua oculi utrique officio videndi renuntiare poſſunt; dum vel non vident ea, quæ revera ſunt, vel dum quæ minime ſunt, videre ſe tamen nihilominus arbitrantur. *In Apologetico, cap.* 9.

(Homo) ob animæ cum corpore conjunctionem deterior factus eſt, ac luto usque adeo hæſit, ut nec in veritatis radios mentis aciem intendere, nec ſupra inferiora hæc aſſurgere queat; idque cum deſuper originem traxerit, & ad ſupera vocetur. Hunc cæcitatis ergo miſerum exiſtimo etiamſi res hujus vitæ illi ex animi ſententia fluant; tantoque etiam miſeriorem, quanto magis a ſecundo, ac felici fluxu deluſus fuerit, ſibique aliud quodpiam bonum vero bono præſtabilius eſſe perſuaſerit; malum utique malæ opinionis fructum decerpens, nimirum ut vel tenebris mulctetur, vel eum tanquam ignem videat, quem ut lumen minime cognovit. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 21. *initio.*

Qui nequitiæ ſeſe dedidit quaſi ebrietate obrutus id non novit, quod nempe ægrotet. Atqui hoc maximum graviſſimumque eſt nequitiæ malum quod eos qui in illam incidunt, propriæ ſuæ perniciei magnitudinem videre non ſinat; verum dum in luto jacent, unguentis ſe frui putant. S. Chrysostomus *Homilia* 11. *in ad Romanos, in Morali.*

Ubi-

Ubique nequitia malum eſt, maxime vero cum nihil putat emendatione agere; & quod gravius eſt cum putat ſatis eſſe ſi alios corrigat. Quæ ſignificans Chriſtus duces illos vocabat cæcos cæcorum. Nam ſi cum cæcus non ſe putat duce opus habere, id extrema calamitas & miſeria eſt, cum ipſe alios vult ducere, cogita in quantum barathrum (eos) dejiciat. *Idem Homilia* 74 *in Matthæum.*

Tenebræ metuendæ ſunt morum, non oculorum; & ſi oculorum, non exteriorum ſed interiorum; unde diſcernitur non album & nigrum, ſed juſtum & injuſtum. S. AUGUSTINUS *Tractatu* 35. *in Joannem, initio.*

Fiant viæ eorum tenebræ, & lubricum. Horrenda via! tenebras ſolum quis non horreat? lubricum ſolum quis non caveat? *Idem Concione* I. *in Pſalmum* 34.

De cæcitate Judæorum eleganter AUGUSTINUS *Oratione de* 5. *hæreſibus, cap.* 4. Utinam quomodo dæmones Judicem, ſic homines agnoſcerent Salvatorem! ecce dæmones viderunt & tremuerunt; homines viderunt, & occiderunt: dæmones confeſſi ſunt, homines perſecuti ſunt. Quæ infelicitas & quanta miſeria imparem etiam dæmonibus inveniri!

Obſcuratio cordis, excæcatio mentis, parva eſt pœna? Si quis furtum faciens ſtatim oculum perdidiſſet, omnes dicerent, Deum præſentem vindicaſſe: oculum cordis amiſit, & ei peperciſſe putatur Deus? *Idem Enarratione in Pſalmum* 57. *poſt medium.*

Quotusquisque eſt qui intelligat infelicitatem hominis, cujus cor jam cæcum eſt? Tollantur oculi corporis; omnes homines miſerum dicunt: perdat oculos mentis, ſed tamen circumfluant omnia temporalia, felicem appellant; ſed qui ſimiliter oculos men-

mentis perdiderunt. *Idem Concione 2. in Pſalmum 68. poſt medium.*

Tanta eſt cæcitas hominum de cæcitate etiam glorian tium. *Idem Libro III. Confeſſionum, cap. 3.*

Væ cæcis ducentibus, & cæcis ſequentibus! *Idem Libro contra Epiſtolam Parmeniani, cap. 4. poſt medium.*

Non ſunt tales tenebræ noctis, quales illæ ſunt, quæ de confuſione veniunt peccatorum. S. CHRYSOLOGUS *Sermone 3. poſt initium.*

De cæcitate in pœnis publicis elegantiſſime SALVIANUS: Et o quanta eſt infideliſſimarum *.mentium cœcitas! damnationem perferimus judicantis Dei, & necdum nos agnoſcimus judicari. Et mirantur aliqui ſanctorum quod exemplo noſtro ceteri non emendentur, qui nihil adhuc tale tolerarunt; cum tormentis noſtrarum iniquitatum nec ipſi quidem qui jam a Deo plectimur corrigamur. O ſuperbiam non ferendam! plurimi pœnas peccatorum ſuorum perferunt, & intelligere cauſas pœnarum nemo dignatur. Sed eſt cauſa evidens quæ hanc ſuperbiam facit; ſcilicet quia etſi aliqua jam patiamur, nondum tam patimur quam meremur. *Prope finem Libri 5. de Gubernatione.*

Perverſa anima rebus præſentibus dedita in terrenis voluptatibus reſoluta abſcondit ſibi mala ſequentia; quia prævidere futura refugit quæ præſentem lætitiam perturbant: dumque in præſentis vitæ oblectationibus ſe deſerit quid aliud quam clauſis oculis ad ignem vadit? S. GREGORIUS M. *Homilia 39. in Evangelia, ante medium.*

Cum ſuperna quæ amiſerunt non conſiderant eſſe ſe heu miſeri! in bonis putant. Nequaquam enim ad veritatis lucem, cui conditi fuerant, mentis

* Sic enim lego, loco: *infidelis malarum.*

tis oculos erigunt, nequaquam ad contemplationem patriæ æternæ deſiderii aciem tendunt; ſed ſemetipſos in his ad quæ projecti ſunt, deſerentes, vice patriæ diligunt exilium quod patiuntur; & in cœcitate quam tolerant quaſi in claritate luminis exultant. *Idem Libro I. Moralium, cap.* 25.

Eat itaque nunc & ad quaslibet blaſphemias præſumendo prorumpat! voluptatum ſuarum nequitias impleat, aliena rapiat, innocentium oppreſſione ſatietur, &, quia necdum percutitur, vias ſuas a Domino aut non videri æſtimet, aut quod pejus eſt approbari. Veniet profecto veniet æterna, & repentina percuſſio; & tunc cognoſcet a Deo cuncta conſpici quando ſe improviſo exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc in pœna ſua oculos aperiet, quos diu clauſos tenuit in culpa. *Idem Libro XXV. Moralium, cap.* 3.

CAPUT II.

Fontes.

Clemens Alexandrinus *Libro II. Strommatum, pagina hodie* 489. inſigni ſimilitudine oſtendit, quomodo cupiditatibus offuſcetur intellectus. *Idem ad finem cohortationis ad gentes* de cæcitate ſpirituali, & admittenda luce divina.

Lactantius *Libro V. Inſtitutionum divinarum, cap.* 1. Palmarem dat locum de cœcis, oblatum lumen recuſantibus.

S. Gregorius Nyssenus *de vita Moſis, præclare*; ubi de tenebris Ægyptiorum, & luce Iſraël.

S. Ambrosius *Libro V. Hexaemeron, cap.* 24. cum agit de noctuis, quæ caligantes in luce ſolum in tenebris vident. Comparat iſtis ſapientes ſæculi hujus, acutos ad terrena, hebetes ad cœleſtia. Idem verſat *Sermone in Malachiam Prophetam.* Multa quo-

quoque huc affert *Sermone* 14. *in Pſalmum* 118. *ad verſum* 1.

S. CHRYSOSTOMUS *Catecheſi ad illuminandos.*
Homilia 2. *in Matthæum, fuſe.*
Homilia 4. *in Joannem.*
Homilia 56. *in eundem.*
Homilia 11. *in I. ad Corinthios.*

S. HIERONYMUS *Epiſtolis* 76. & 68. *olim* 32. & 33. quorum prior *ad Abigaum*, altera *ad Caſtrutium* de cæcitate corporis, qua uterque laborabat. Multa vero accomodari huc ad cæcitatem ſpiritus poſſunt, ut quæ ſit longe gravior, neque recipiat conſolationem.

S. AUGUSTINUS *Sermone* 88. *olim* 18. *de verbis Domini.*
Libro ſoliloquiorum, initio capitis 17. ubi pulchre deſcribit iſtam animi cæcitatem, ſed & aliis ejus Libri capitibus huc facit.
Libro de natura & gratia capite 22.
Libro V. contra Julianum, cap. 3. cæcitatem eam ſimul pœnam & culpam eſſe.
Tractatu 2. *in Joannem.*
Sæpe item *in Enarratione Pſalmorum.*

S. GREGORIUS M. *Libro V. Moralium, cap.* 7. Item *Libro XXIV. Moralium, cap.* 7. *novo*, & *Libro XXV. eorumdem, capitibus multis.* Idem *Homilia* 2. *in Evangelia*, eleganter pro iis, qui liberari a cæcitate iſta deſiderant.

S. BERNARDUS *Sermone* 75. *in Cantica*: & *Sermone* 6. *de Aſcenſione Domini.*

Addantur Tituli: *Cognitio ſui. Scientia. Sapientia. Humilitas. Proſperitas. Superbia.*

TITULUS VII.

De *Carne*, ſeu Corpore noſtro: Et tam ea, quæ in favorem contra præpoſteros ejus hoſtes, quam quæ in odium contra præpoſteros ejus amatores faciunt.

CAPUT I.

Loci.

Ea, quæ in FAVOREM CARNIS contra præpoſteros ejus hoſtes faciunt.

Age jam perora in illa ſanctiſſima & reverenda opera naturæ: invehere in totum quod es: carnis atque animæ originem deſtrue: cloacam voca uterum tanti animalis, id eſt hominis, producendi officinam. Perſequere & partus immunda & pudenda tormenta, & ipſius exinde puerperii ſpurcos, anxios, ludicros exitus. Tamen cum omnia iſta deſtruxeris ut Deo indigna confirmes, non erit indignior morte Nativitas & cruce Infantia & Natura, pœna, & Carne damnatio. Si vere iſta paſſus eſt Chriſtus minus fuiſſet naſci. TERTULLIANUS *Libro III. contra Marcionem, cap.* 11.

Quo nunc facit ad infuſcandam originem carnis nomen terræ ventilare ut ſordentis ut jacentis elementi? cum etſi alia materia excudendo homini competiſſet, Artificis faſtigium recogitari oporteret, qui illam & eligendo dignam judicaſſet, & tractando feciſſet. Phidiæ manus Jovem Olympium ex ebore molitur, & adoratur: nec jam beſtiæ & quidem inſulſiſſimæ Deus eſt ſed ſummum ſæculi numen; non quia elephantus, ſed quia Phidias tantus. Deus vivus & Deus verus quamcunque materiæ vilitatem non de ſua operatione purgaſſet, & ab omni infirmitate ſanaſſet? an hoc ſupererit ut hone-

honeſtius homo Deum quam hominem Deus finxerit? *Idem Libro de Reſurrectione carnis, cap.* 6.

Hoc quoque ad gloriam Carnis exuberat quod proximam Deo (Animam ſcilicet) & continet & ipſius dominationis compotem præſtat. Quem enim naturæ uſum quem mundi fructum, quem elementorum ſaporem non per carnem anima depaſcitur? quid ni? per quam omni inſtrumento ſenſuum fulta eſt, viſu, auditu, guſtu, odoratu, contactu: per quam divina poteſtate reſperſa eſt nihil non ſermone perficiens vel tacite præmiſſo? & ſermo enim de organo carnis eſt; artes per carnem: ſtudia, ingenia per carnem: opera, negotia, officia per carnem: atque adeo totum vivere animæ carnis eſt ut non vivere animæ nil aliud ſit quam a carne divertere. Sic etiam ipſum mori carnis eſt cujus & vivere. Porro ſi univerſa per carnem ſubjacent animæ, carni quoque ſubjacent. *Per quod* utaris, *cum eo* utaris neceſſe eſt. Ita caro dum miniſtra & famula animæ deputatur, conſors & cohæres invenitur, ſi temporalium cur non & æternorum. *Idem ibid. cap.* 8.

Denique, velut clauſulæ loco, eleganter admonet: Hactenus de præconio carnis adverſus inimicos & nihilominus amiciſſimos ejus. Nemo enim tam carnaliter vivit quam qui negant carnis reſurrectionem. Negantes enim ejus pœnam deſpiciunt & diſciplinam. *Ibid. cap.* 11.

Etſi multas (in noſtro corpore) factorum rationes diximus, ſunt tamen & aliæ plures arcanæ, quas, qui fecit, novit Deus; non enim omnes ipſi ſcimus. Ut igitur omnem hominis formationem cum diligentia percurramus, & in unoquoque membro ſapientiam inveniamus, & nervorum, venarum, arteriarum diſtributionem, ſitum, aliorumque omnium formationem conſideremus, nec annus inte-

ger nobis ad hanc expoſitionem ſufficiet. S. Chrysostomus *Homilia* 12. *ad populum, in medio.*

Non contemnas carnem in qua Chriſtus natus eſt & reſurrexit, Non deſpicio lutum quod excoctum in teſtem puriſſimam regnat in cœlo; & tamen miror cur carni detrahentes vivant carnaliter, & inimicam ſuam foveant, & nutriant delicate; niſi forte implere volunt Scripturam dicentem: *Amate inimicos veſtros: benefacite his, qui perſequuntur vos?* S. Hieronymus *Epiſtola* 84. *alias* 65. *ad Pammachium & Oceanum, verſus finem.*

Nihil creatum videmus in hoc corpore utilitatis cauſa quod non habeat etiam decoris locum. S. Augustinus *Libro XXII. de Civitate, cap.* 24.

Ipſa caro honoratur præmiis quæ eſt probata ſuppliciis: ipſa in muneribus gaudebit, quæ in doloribus triumphavit. Eusebius Gallicanus *Homilia* 7. *in Paſcha.*

Sed dicis quid tantopere neceſſe fuit ut ſplendida illa & ſincera divinitas humanæ carnis experiretur injurias? quare non magis aliquod ſpecioſum lucis corpus aſſumpſit? Non ita eſt, non hoc recipiebat ratio redemptionis noſtræ. Numquid lux iſta peccaverat, ut materiam lucis expiaturus indueret? Per hanc itaque materiam creaturæ nec mortis conferre pretium nec reſurrectionis præferre potuiſſet exemplum. Nihil mihi contra hoſtem meum fiduciæ contuliſſet, ſi non in meo corpore triumphaſſet. *Idem Homilia* 11. *in Paſcha.*

Totus hæreo & animi dubius ſum quo pacto ſummum illum creatorem meritis laudibus celebrare poſſim. Omnem etenim mentis cogitationem tanta providentiæ quam circa nos gerit varietas exſuperat, omnis oratio tantæ creationis ſapientiæ cedit, nec ulla tam admirabilem corporum noſtrorum fabricam digne enarrare poterit. Theodoretus *Sermone* 3. *de Providentia, in medio.*

Eſt

Eſt in illo Chriſti homine uniuscuiusque noſtrum carnis & ſanguinis portio. Ubi ergo portio mea regnat regnare me credo: ubi dominatur ſanguis meus me ſentio dominari: ubi glorificatur caro mea me glorioſum eſſe cognoſco. Quamvis enim peccator, de hac tamen communione gratiæ non diffidat; quia etſi peccata nos prohibent, ſubſtantia nos requirit: & ſi delicta propria nos excludunt, naturæ communio non repellit. Nam propter bonitatem divinitatis peculiarem nobis Salvator debet affectum; ſcilicet quia ſicut Deus noſter in ipſo eſt, ita & ſanguis noſter in illo eſt. Miſericordiam igitur mihi debet præſtare divinitas, neceſſitudinem exhibere debet affinitas. Neque enim tam immitis eſt Dominus, ut non diligat carnem ſuam, membra ſua, viſcera ſua. Ait ſanctus Apoſtolus: *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit; ſed nutrit & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam.* Nihil ergo de venia deſperemus Fratres, nihil de odio timeamus. Habemus prærogativam ſanguinis noſtri. In Chriſto enim caro noſtra nos diligit. S. MAXIMUS TAURINENSIS *Homilia* 3. *de Paſchate.*

In ipſum Conditorem injurioſi ſunt qui hominem opus & ſimilitudinem imaginis ejus calumniantur tanquam immundum. Si igitur inviſibilis Dei imago immunda eſt, quomodo omnia quæ fecit Deus erant valde pulchra ac bona? Sed in hæc talia incidunt hæretici propter carnis ſuæ immunditiam naturæ prorſus repugnantem; & quia dæmonis imperio ſeſe anima & corpore ſubdiderunt. S. ANASTASIUS SINAITA *in Viæ Duce, cap.* 14.

Mira dicturus ſum, ſed tamen vera, & omnino indubitata fidelibus. Ipſe Dominus Sabaoth Dominus virtutum & Rex gloriæ ipſe deſcendat ad reformanda corpora noſtra & configuranda corpori claritatis ſuæ. Quanta erit illa gloria quam ineffabilis exultatio quando Creator univerſitatis qui pro

animabus juſtificandis humilis ante venerat & occultus, pro te glorificanda o miſera caro ſublimis veniet & manifeſtus, non jam in infirmitate ſed in gloria & majeſtate ſua. Quis cogitabit diem adventus illius quando deſcendet cum plenitudine luminis præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops & rapientibus illud obviam Chriſto in aëra! Quouſque igitur caro miſera, inſipiens, cæca, demens & prorſus inſana caro tranſitorias, & caducas quærit conſolationes imo deſolationes, ſi forte contingat repelli & indignam judicari hac gloria, magis autem nihilo minus ineffabili in æternum excruciari pœna! S. Bernardus *Sermone* 6. *de Adventu.*

Ea, quæ in ODIUM CARNIS contra præpoſteros ejus amatores faciunt. Non audiſtis ex divinis Scripturis quia certamen eſt inter homines, carni adverſum ſpiritum & ſpiritus adverſus carnem? & neſcitis quod ſi carnem ſolam nutriatis & ipſam frequenti mollitie ac jugi deliciarum fluxu foveatis, inſoleſcet neceſſario adverſum ſpiritum & fortior illo efficietur? Quod ſi fiat eum ſine dubio in ditionem ſuam redactum ſuis coget legibus ac vitiis obedire. Si vero ad Eccleſiam frequenter venias, aurem literis divinis admoveas, explanationem mandatorum cœleſtium capias; ſicut cibis & deliciis caro, ita ſpiritus verbis divinis convaleſcet ac ſenſibus: & robuſtior effectus carnem ſibi parere coget, ac ſuis legibus obſequi. Nutrimenta igitur ſpiritus ſunt divina lectio, orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ, his alitur cibis, his convaleſcit, his victor efficitur. Quod quia non facitis nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere: quia volumus ſed non poſſumus. Volumus continenter vivere, ſed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur ſtimulis ejus. Tu das ſtimulos carni tuæ: tu eam adverſus ſpiritum tuum armas, & potentem facis; cum eam carnibus

nibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris. Origenes *Homilia 9. in Leviticum, poſt medium.*

Quid foves quod paulo poſt interiturum eſt? quid ſaginas te ipſum & pinguefacis? an ignoras quod quanto pinguius tibi corpus conficis, tanto graviorem carcerem animæ ſtruis? S. Basilius M. *Homilia in Pſalmum* 29

Quod vero ſupplicium eſt æque grave atque omni tempore miniſterio ventris obnoxium eſſe? videte enim hunc perpetuum tributi exactorem, ventrem dico, quantam quotidie neceſſitatem afferat exactionis cui etiamſi aliquando amplius quam ſtatutum & ordinatum ſit ante dependerimus, nihil de inſequenti debito anteſolvendo deduximus. Quemadmodum animalia quæ in piſtrino labore conficiuntur tectis oculis vitæ molam circuimus, ſemper per ſimilia obambulantes, & ad eadem revertentes. Dicam tibi hunc ambitum circularem. Appetitus: ſatietas: ſomnus: vigilia: evacuatio: repletio. Semper ab illis hæc & ab his illa & rurſus hæc. Ac nunquam orbem obambulare deſinimus donec extra moletrinum evaſerimus. S. Gregorius Nyssenus *in Monodia Placillæ.*

S. Chrysostomus *cum præmiſiſſet fuſe, ideo nobis carnem adjunctam, ut abjectio ejus elationem ſpiritus reprimeret; ita eleganter concludit:* Si igitur talem imbecillitatem homo circumferens, ita vilitatis ſuæ obliviſcitur, ut etiam adverſus opificem inſoleſcat, quis eum tuliſſet efferentem ſeſe, ſi ea imbecillitate omnino caruiſſet? *Ecloga* 1. *de humilitate animi, Tomo XII. novo.*

Expedit inferius ſubjici ſuperiori, ut & ille qui ſibi ſubjici vult quod eſt inferius ſe ſubjiciat ſuperiori ſuo. Agnoſce ordinem, quære pacem. Tu Deo (ſubjicere) tibi caro. Quid juſtius? quid pulchrius. Tu majori, minor tibi. Servi tu ei, qui

fecit, ut tibi ſerviat quod factum eſt propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendavimus: Tibi caro, & tu Deo; ſed tu Deo, & tibi caro. Si autem contemnis tu (ſubjici) Deo, nunquam ſubjicietur tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris a ſervo. S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 143.

Inſtruant ætatis florem ſæculo arridentem rationis pede conterere & animos juveniles fervidos & infrænes & in foveam luxuriæ impetu carnis ruentes fræno timoris Domini retinere. Carnem proinde tanquam familiarem vitiis non enervandam eſſe deliciis, nec incendium adoleſcentiæ æſtu inflammandum luxuriæ; ſed utrumque ita medio temperandum, ut caro ſpiritus velut ancilla ſerviens nec nimis afflicta ſub faſce ruat, nec laſciva nimis imperium ſpiritus contumaci cervice reſpuat. Franco Affliginensis *Libro XII. de gratia ſeu beneficentia Dei, poſt medium.*

Quomodo dicunt carnales homines: Crudelis eſt vita veſtra. Non parcitis carni veſtræ? Eſto non parcimus ſemini; in quo ei magis parcere poteramus? an non melius eſt illi renovari & multiplicari in agro quam in horreo putrefieri? *Heu computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* Sic vos parcitis carni veſtræ? ſimus nos crudeles interim non parcendo; at vos plane parcendo crudeliores. Siquidem etiam nunc caro noſtra requieſcit in ſpe. Videritis vos ipſi quid ignominiæ interim veſtra ſuſtineat: quid miſeriæ eam maneat in futurum. S. Bernardus *Sermone* 10. *in Pſalmum:* Qui habitat.

Quis ſe extollet ſi carnis ſuæ originem, vitæ calamitatem & finem diligenter inſpexerit? Recogita o homo, ut humilieris, originem tuam. Intellige unde venis, & erubeſce. Adverte ex quo conciperis & humiliare. Nam in putredine conciperis, in ſordibus generaris, in latebris confoveris, & in

dolore

dolore parturiris. Formatus es nempe o homo de pulvere, de luto, de cinere; quodque vilius eſt, de ſpurciſſimo atque fœtidiſſimo ſanguine inſpruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ; & quod deterius eſt in labe peccati, in obligatione delicti. Primam vocem plorando emittis, utpote vallem plorationis ingreſſus. Sed & hoc conſiderare non negligas, quod ſingula quæque naſcentia propria quædam habent munimenta, quibus naturam ſuam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, piſcem ſquamma operit, lana ovem induit, pellis jumenta & feras veſtit, concha teſtudinem excipit. Solus homo inermis naſcitur & nudus, ut eo ad humilitatem fiat pronior quo ſe ceteris rebus in ipſo ſuæ nativitatis primordio intuetur abjectiorem. Qualis vero ſit hominis progreſſus dum vivit, facile, ſi conſideres, agnoſcitur. Tantis namque malis vita ipſius repleta eſt, ut comparatione ejus mors remedium putetur eſſe non pœna. Hanc enim humores tumidant, dolores extenuant, ardores deſiccant, inſomnia morbidant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci diſſolvunt, triſtitia conſumit; ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, & poſt hæc omnia mors interimit, univerſis gaudiis finem imponit; ita ut cum eſſe deſierint nec fuiſſe putentur. Quo autem fine claudatur hominis caro inſinuant ipſa ſepulchra oſſibus plena, fœtoribus intolerabilia, vermibus referta. Nam poſt hominem vermis de ea generatur, poſt vermem fœtor & horror exhalat. Sicque in non hominem vertitur omnis homo. Igitur o ſæculi amatores! o carnis concupiſcentiarum fautores! Cum fœx & limus, cum res viliſſima ſimus, unde ſuperbimus? quare corporis noſtri miſeriam non conſideramus? O mira fatuitas! o ſtupenda cæcitas! o dedignanda vani-

vanitas cordis noſtri, cujus cervicoſos motus omnino domare non poteſt humilitatis tanta materia, quin adhuc ſuperbiat pulvis & cinis. S. LAURENTIUS JUSTINIANUS in Ligno Vitæ, *Libro de Humilitate, cap.* 4.

CAPUT II.

Fontes.

IN *FAVOREM CARNIS.*

TERTULLIANUS *Libris* duobus *ſupra laudatis* complura alia dat in favorem carnis, ex ſalute ſcilicet per eam a Chriſto allata, ex Sacramentis per eam adminiſtratis, exercitis virtutibus, collectis meritis &c.

LACTANTIUS *Libro de opificio Dei.*

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS *Catecheſi illuminatorum* 4.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS *Libro IV. de Demonſtratione Evangelica, cap.* 13.

S. BASILIUS M. *Homilia* 11. *in Hexaemeron.*
Conſtitutionum monaſticarum, capite 2. *&* 4.
Regula 128. *breviore*, ac fuſius *poſt initium, & rurſus ad finem de Virginitate.*

Adde *Homiliam de humana Chriſti generatione*, ubi pulchre docet, Chriſtum nil ſordis contraxiſſe ex carne.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione magna catechetica, cap* 27. tollit præſtanter errorem illum, in Chriſto futuram carnem aliam iſta digniorem. *Libro item de Virginitate, cap* 22. *Oratione de mortuis &c.* plura huc habet.

S. AMBROSIUS *Libro VI. Hexaemeron, cap.* 9.

S. CHRYSOSTOMUS *Homiliis* 11. *&* 12. *ad populum:* item *in caput* 5. *Epiſtolæ ad Galatas.*
Homilia 18. *in I. ad Corinthios.*
Homilia 5. *in ad Epheſios.*

Homi-

Homilia de Reſurrectione mortuorum.

S. Hieronymus *Epiſtola ad Pamachium & Oceanum*, jam ſupra laudata.

S. Augustinus *Libro de Agone Chriſtiano, capitibus pluribus* de carne Chriſti, & carne noſtra.

Eusebius Gallicanus *Homilia de latrone beato*, ne corpori, quod de noſtro Chriſtus aſſumpſit, injuriam inferamus.

Homilia in illud: Arundinem quaſſatam.

S. Nilus *Oratione* 1. *in Paſcha; apud Photium, codice* 276.

Theodoretus *Sermone* 3. & 9. *de Providentia*, de corpore noſtro: & *Dialogo* 3. *Impatiabilis*, de corpore Chriſti.

S. Fulgentius *Libro I. ad Thraſimundum Regem, cap.* 5.

S Gregorius M. *Libro XXX. Moralium, cap.* 19. *novo.*

S. Anastasius Sinaita *Viæ ducis cap.*14. plura præter id, quod jam ſupra allegavi.

Hildebertus Cenomanensis *Libro de querimonia & conflictu carnis & ſpiritus, ſeu animæ.*

Petrus Cluniacensis *fortiſſime Libro II. epiſt.*6.

S. Bernardus *Sermone* 10. *in Pſalmum*: Qui habitat.

Gregorius Palamas, *Epiſcopus Theſſalonicenſis*, habet auream comparationem animæ & corporis.

Plura vide Titulis: *Homo; Reſurrectio;* & Libris Patrum, quos in *Diſſertatione de ratione legendi* contra Manichæos dixi depugnaſſe.

In *ODIUM CARNIS.*

Tertullianus *Libris ſupra jam dictis*, præſertim *capite* 4. illius, quem ſcripſit *de Carne Chriſti.*

Arnobius *Senior Libro* 4. *contra Gentes*, ubi Jovem inſanientem in carnes mulierum, quarum proluviem (ut Deus) ignorare non poſſet, falſiſſime aptiſſimeque exagitat.

S. Me-

S. Methodius *in convivio Virginum.*

S. Basilius M. *Homilia* 5. *Hexaemeron.* Jungit autem carni omnem quem poſſit habere ſplendorem externorum, copiam omnem, omnemque voluptatem. *Item Homilia* 3. *in illud:* attende tibi ipſi. *Et homilia* 21. quod rebus mundanis adhærendum non ſit.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 16. *de pauperum amore; initio* conſertam queritur corpori animam. Item *Carmine* 18. *adverſus carnem.*

S. Gregorius Nyssenus *Oratione de mortuis, & Oratione in funere Placillæ.*

S. Ambrosius *Libro III. Hexaemeron, cap.* 7. ubi pulchre carnem fœno comparat, quod & ſupra Baſilius fecit.

S. Chrysostomus *Sermone: Carnis concupiſcentias ne ſectemur.* Et *Sermone* 2. *de Prophetiarum obſcuritate.*

S. Hieronymus *in caput* 40. *Eſaiæ,* & *Epiſtola* 140. *alias* 139. *ad Cyprianum,* de carnis noſtræ caducitate.

S. Augustinus *creditus Libro de ſalutaribus documentis* egregie ſubin adverſus carnem conclamat.

S. Gregorius M. *Libro XVI. Moralium, cap. ultimo;* ubi carnem jam emortuam oggerit amatoribus ejus.

Simeon *junior, Theologus,* in *Diſſertatione de altercationibus animæ & corporis, verſa a Petro Poſſino, & Epiſtolis S. Nili adjuncta.*

S. Petrus Damiani *Opuſculo XLIX. cap.* 3. graviſſime de putore, ſanie & ſcatentibus in cadavere vermibus.

Hildebertus Cenomanensis *Libro ſupra laudato.*

S. Bernardus *Sermone* 6. *de Adventu.*

Sermone 10. *in Pſalmum:* Qui habitat.

Ser-

Sermone 30. *in Cantica*, ubi fuſe, præclareque de prudentia, & cura carnis.

Sermone 3. *de fragmentis ſeptem miſericordiarum, egregie.*

Sermone in feſto S. Martini.

In Apologia ad Guilielmum Abbatem.

Petrus Blesensis *Epiſtola* 11. ſatis graviter invehitur in corpus.

Gregorius Palamas *in comparatione* jam laudata.

Adde Titulos: *Forma. Mortificatio. Mors. Mulier. Vita humana. Virginitas. Forma & Pulchritudo. Luxuria. Peccatum originale.*

TITULUS VIII.

De *Conformatione* ad divinam voluntatem.

CAPUT I.

Loci.

Ubi fuero, in manu ejus ſum. Faciat quod vult, non diſcedo. Et ſi perire me volet, ipſe me perdat, dum me ego ſervo illi. Tertullianus *Libro de fuga in perſecutione, cap.* 10.

In Evangelio didicimus ne paſſerem quidem cadere ſine voluntate Patris noſtri. Quare ſi quid contigit voluntate contigit conditoris noſtri. Quis autem Dei voluntati reſiſtit? ſuſcipiamus quod accidit. Moleſte enim ferentes neque id quod factum eſt reparamus, ac præterea noſmetipſos perdimus. S. Basilius M. *Epiſtola 6. alias* 189.

Quoniam non id habeo ut dolore vacem, hoc lucri obiter ex dolore facio, quod perfero, & gratias ago, ut in lætis rebus ita etiam in acerbis; quandoquidem illud exploratum habeo nihil rerum noſtrarum apud ſummam rationem expers rationis eſſe.

eſſe. S. Gregorius Nazianzenus *Epiſtola* 69. *ad Philagrium.*

S. Chrysostomus *Libro I. de Providentia, num.* 7. *ſimili a Medicis petito:* Certe cum medicus contraria iis quæ nobis ſalubria videntur præcipit, ſive algens membrum fonti ſubjicere jubeat, ſive alia hujusmodi inexpectata faciat, nunquam reluctamur; ſed cum nobis antea perſuaſerimus, artis illum ratione id facere, prompte ac libenter cedimus, cum tamen ille ſæpius fallatur: Deum vero qui tantum in omnibus a nobis diſtat, qui eſt ipſa ſapientia, qui nunquam falli poteſt magna curioſitate perſcrutabimur? Cumque illi ſimpliciter credamus, a quo facti rationem exigere jure poſſemus, ab illo cui ſoli credendum eſt, eorum quæ geſſerit cauſas ac rationes requiremus, atque hujusmodi ignorantiam indigne feremus? Hæccine ſunt religioſæ mentis ac piæ? Ne quæſo ac ſupplico, ne ad tantam veſaniam progrediamur, ſed in omnibus in quibus ambigimus, illud dicamus: *Judicia tua abyſſus multa!*

Plurima nos facimus quæ cum liberis noſtris noxia eſſe videantur, utilia ſunt tamen, quorum neque illi cauſas quærunt addiſcere, neque nos illis antea perſuadere ſtudemus, id expedire quod facimus; ſed hoc ſolum illos admonemus, ut in omnibus cedant, quæcunque præceperint patres, nihilque ulterius inquirant. Quod ſi parentibus noſtris qui ejusdem atque nos naturæ ſunt, ita morigeri ſumus, neque ulla ratione indignamur: Deo ne indignabimur quod non illius omnia nobis explorata ſint qui tanta excellentia nobis præcellit quantum inter Deum & homines diſcrimen intercedit? Et quid huic impietati par fuerit? *Idem ibidem.*

Bonus eſt Deus, & omnia quæ bonus facit, bona ſint neceſſe eſt. Mariti orbitas irrogatur? plango quod accidit; ſed quia ſic placet Domino æquo animo

animo ſuſtinebo. Unicus raptus eſt filius? durum quidem, ſed tolerabile; quia ſuſtulit ille qui dederat. Si cæcus fuero amici me lectio conſolabitur. Si auditum quoque ſurdæ aures negaverint, vacabo a vitiis, nihil aliud niſi Dominum cogitabo. Imminet ſuper omnia hæc & dura paupeties, frigus, languor & nuditas? extremam exſpectabo mortem, & breve putabo malum quod finis melior ſubſequetur. Conſideremus quid ethicus ille pſalmus ſonet: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum!* Hoc non poteſt dicere niſi ille qui ad univerſa quæ patitur magnificat Dominum & ſuo merito imputans in adverſis de ejus clementia gloriatur. S. Hieronymus *Epiſtola* 39 *alias* 25 *ad Paulam.*

Hæc eſt in hominibus magna & uſitata perverſitas, quia cum debeant vivere ipſi ſecundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere ſecundum voluntatem ſuam; & cum ipſi nolunt corrigi, illum volunt depravari, rectum non arbitrantes quod ille vult, ſed quod ipſi volunt. S. Augustinus *Concione* 1. *in Pſalmum* 48. *initio.*

Ille (peccator) voluit; iſte (Deus) permiſit. Ille injuſte voluit; iſte juſte permiſit. Voluntas injuſta damnetur; permiſſio juſta glorificetur. *Idem Enarratione in Pſalmum* 61. *ad calcem.*

Secundum ſpiritum quantum Domino placet recte ſumus; corpore autem ego in lecto ſum; nec ambulare enim nec ſtare, nec ſedere poſſum. Sed etiam ſic, quoniam Domino placet, quid aliud dicendum eſt niſi quia recte ſumus. *Idem Epiſtola* 38. *alias* 149. *ad Profuturum.*

Nihil tam facile eſt bonæ voluntati, quam ipſa ſibi: & hæc ſufficit Deo. *Idem Sermone* 70 *alias* 9. *de verbis Domini, in fine.*

Superfluum eſt, ut eos * quiſpiam vel infirmitate vel paupertate vel aliis iſtiusmodi rebus ex ſtimet

* Religioſos, pioſque homines.

met eſſe miſeros, quibus ſe illi confidunt eſſe felices. Nemo enim aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo; & ideo non poſſunt cujusquam falſo judicio eſſe miſeri, qui ſunt vere ſua conſcientia beati. Nulli enim, ut opinor, beatiores ſunt quam qui ex ſententia ſua, atque voto agunt. Humiles ſunt religioſi? hoc volunt. Pauperes ſunt? pauperie delectantur. Sine ambitione ſunt? ambitum reſpuunt Inhonori ſunt? honorem reſpuunt. Lugent? lugere geſtiunt. Infirmi ſunt? infirmitate lætantur. SALVIANUS *Libro* 1. *de Gubernatione Dei, prope initium.*

Quam beati eſſemus omnes, ſi, quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam prompte ipſi Deum audire vellemus! *Idem Libro* 2. *de eadem Gubernatione, initio.*

Volumus ut voluntati noſtræ Deus jugiter pareat, cum omnes nos voluntati ejus jugiter repugnemus. *Idem Libro* 5. *de eadem, poſt initium.*

Fiat voluntas tua. Hæc vox capitis ſalus eſt totius corporis. Hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes confeſſores accendit, omnes Martyres coronavit. S. LEO *Sermone* 7. *de Paſſione Domini.*

Sciendum eſt, quia Sathanæ voluntas ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas injuſta; quia a ſemetipſo voluntatem habet, ſed a Domino poteſtatem Quod enim ipſe facere inique appetit, hoc Deus fieri non niſi juſte permittit. S. GREGORIUS M. *Libro II. Moralium, cap.* 10.

Sanctus vir tentante adverſario cuncta perdiderat; ſed tamen ſciens quia contra ſe Satan tentandi vires niſi permittente Domino non habebat, non ait: Dominus dedit, diabolus abſtulit; ſed *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Fortaſſe enim fuerat dolendum ſi quod Dominus dedit hoſtis abſtuliſſet; at poſtquam non abſtulit niſi ipſe qui dedit, ſua recepit,

cepit, non noſtra abſtulit. *Idem Libro II. eorumd. cap.* 18.

Expedit profecto nobis magis omnino non fuiſſe quam noſtros permanere. Nam qui voluerunt ſui eſſe facti ſunt non tantum jam ſui, ſed & diaboli. S. BERNARDUS *Tractatu de gratia & libero arbitrio, ante medium.*

Sane diabolo noſtra nos mancipat voluntas, non ipſius poteſtas. *Idem ibid.*

Quid odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. *Idem Sermone* 3. *de Reſurrectione Domini.*

Semper, quod volunt habent, qui nihil aliud, quam quod habent, velle noſcuntur. S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *de diſciplina, & perfectione monaſt. converſat. cap.* 2.

CAPUT II.

Fontes.

S. CYPRIANUS *Libro de Oratione dominica, ad petitionem* 3. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. *Item Libro de mortalitate,* ubi ex hac ipſa petitione, quam iteramus quotidie, in ruborem dat illos, qui voluntati divinæ ex hoc mundo evocanti parere recuſant.

S. ZENO VERONENSIS *Sermone* 1. *de Abraham,* ubi de animo ejus ad omnem divinum nutum comparato.

S. BASILIUS M. *Homilia* 9. *Quod Deus non eſt auctor malorum.* Adde *Homiliam* 4. *de gratiarum actione: Homiliam* 5. *in Martyrem Julittam,* & *Orationem* 11. *ex compilatis a Simone magiſtro.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione de infantibus præmature abreptis:* Et *Oratione* 4. *de oratione Dominica.*

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia in Pſalmum* 148.

Homilia 2. *in ad Romanos.*
Homilia 20. *in ad Hebræos.*
Homilia ante ſuam expulſionem.
Homilia poſt reditum, Tomo III. Montfauconi, pag. 424.
Opuſculo: Quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo.
Opuſculo ad ſcandalum paſſos.

Quibus etiam jungendus *Liber* 1. *de Providentia,* & *Epiſtolæ aliquot, præſertim illæ, quas ſcripſit ad Olympiadem.*

S. HIERONYMUS *Epiſtola jam laudata,* & *in caput* 5. *Epiſtolæ ad Epheſios.*

S. AUGUSTINUS *in Enchiridio, a capite* 95.
Concione 2. *in Pſalmum* 32.
Concione 1. *in Pſalmum* 34.
Enarratione in Pſalmum 35. *prope finem.*
Enarratione in Pſalmum 61. *jam citata.*
Enarratione in Pſalmum 63. *verſus finem.*
Expoſitione in Pſalmum 144. *ab initio.*

S. PAULINUS, *vel quiſquis eſt auctor Epiſtolæ ad Celantiam, apud iſtum & Hieronymum.*

S. DOROTHEUS *Doctrinis* 1. & 2.

S. ANSELMUS *Libro II. Cur Deus homo? cap.* 19. Chriſtum proponit perfectiſſimum exemplar ſubjectionis ſuæ voluntatis erga divinam.

S. BERNARDUS *Sermone* 26. *de diverſis:* De voluntate noſtra divinæ voluntati ſubjicienda. *Item Sermone* 1. *in converſione S. Pauli,* & *Sermone* 3. *ſupra laudato de Reſurrectione Domini.*

Adde eos Patres, qui ſcripſerunt *in Orationem Dominicam, ad petitionem* 3. Item Titulos: *De Adverſis. De Providentia. De Morbis. De Pœnis publicis. De Obedientia, & conſimiles.*

TITU-

TITULUS IX.

De *Conſcientia.*

CAPUT I.

Loci.

Nec lucrari ſe quiſquam putet, ſi delicti conſcium non habebit; ſcit enim ille omnia in cujus conſpectu vivimus, nec ſi univerſos homines celare poſſumus, Deum poſſumus, cui nihil abſconditum, nihil poteſt eſſe ſecretum. Exhortationes ſuas Seneca a mirabili ſententia terminavit „ Magnum, inquit, neſcio quid, majusque quam „ cogitari poteſt numen eſt, cui vivendo operam „ damus. Huic nos approbemus. Nam nihil pro„ deſt incluſam eſſe conſcientiam; patemus Deo.„ Quid verius dici poteſt ab eo qui Deum noſſet quam dictum eſt ab homine veræ religionis ignaro! Nam & majeſtatem Dei expreſſit majorem eſſe dicendo quam ut eam cogitatio mentis humanæ capere poſſet, & ipſum veritatis attigit fontem, ſentiendo vitam hominum ſupervacuam non eſſe, ut Epicurei volunt: ſed Deo ab his operam vivendo dari, ſiquidem juſte ac pie vixerint: Potuit eſſe verus Dei cultor ſi quis illi monſtraſſet: ac contempſiſſet profecto Zenonem, et magiſtrum ſuum Sotionem ſi veræ ſapientiæ ducem nactus eſſet. *Huic nos*, inquit, *approbemus.* Cœleſtis prorſus oratio, niſi antecederet ignorantiæ confeſſio. *Nihil prodeſt incluſam eſſe conſcientiam; patemus Deo.* Nullus ergo mendacio, nullus diſſimulationi locus eſt; quia parietibus oculi hominum ſubmoventur; Dei autem divinitas nec viſceribus ſubmoveri poteſt, quo minus totum hominem perſpiciat, & novit. Idem in ejusdem operis primo: „ Quid agis, „ inquit, quid machinaris? quid abſcondis? Cuſtos

„ te tuus ſequitur. Alium tibi peregrinatio ſubdu-
„ xit, alium mors, alium valetudo. Hæret hic
„ quo carere nunquam potes. Quid locum abdi-
„ tum legis, & arbitros removes? Putas tibi con-
„ tigiſſe, ut oculos omnium effugias? Demens!
„ Quid tibi prodeſt non habere conſcium habenti
„ conſcientiam? „ Non minus mirabiliter de Conſcientia, & Deo Tullius „: Meminerit, inquit, Deum ſe habere teſtem, id eſt, ut ego arbitror mentem ſuam qua nihil homini dedit Deus ipſe divinius. „ Item cum de juſto, ac bono viro loqueretur. „ Itaque talis vir, inquit, non modo facere, ſed ne cogitare quidem quidquam audebit quod non audeat prædicare. „ Purgemus igitur conſcientiam quæ oculis Dei pervia eſt, & ut ait idem „ ſemper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur: „ putemusque nos momentis omnibus non in aliquo (ut ille dixit) orbis terræ theatro ab hominibus, ſed deſuper ſpectari ab eo qui & judex & teſtis idem futurus eſt; cui rationem vitæ repoſcenti actus ſuos inficiari non licebit. Ergo ſatius eſt aut effugere conſcientiam, aut nos ipſos ultro aperire animum, & perniciem reſciſſis vulneribus effundere. Lactantius *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, cap.* 24.

Quidquid ad referendam vicem ſpectat deteſtemur. Satis enim magna pœna cenſeri debet (hominibus utique probis ac moderatis) cum ii qui moleſtiam intulerunt, metu concutiuntur, meritasque pœnas expectant, propriæque conſcientiæ cruciatu afficiuntur. Nam quæ quisque timet hæc paſſus eſt, etiamſi non patiatur: graviusque a ſe ipſo fortaſſe quàm ab iis qui ſupplicium illaturi ſunt torquetur. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 4. *quæ eſt* 2. *in Julianum.*

Cui abſolvi poteſt, qui nec ſibi innocens eſt. S. Ambrosius *Libro I. de officiis, cap.* 12.

Talis

Talis res eſt virtus, ut illam etiam impugnatores ejus admirentur: talis res eſt malitia, ut etiam ii, qui eam operantur, condemnent. S. Chrysostomus *Epiſtola vetere ad Epiſcopos ob pietatem in carcerem incluſos. Eſt Tomo III. Montfauconi, pagina* 526.

Ferat ſententiam de naturæ bono ipſa conſcientia: inſtruamur domeſtico magiſterio animi, & mentis bona non aliunde magis * quam ab ipſa mente diſcamus. Quid illud obſecro eſt, quod ad omne peccatum aut erubeſcimus aut timemus: & culpam facti nunc rubore vultus, nunc pallore monſtramus, ac trepidante animo etiam in minimis delictis teſtem effugimus, conſcientia remordemur; e diverſo autem in omni bono læti, conſtantes, intrepidi ſumus, idque ſi occultum eſt, palam etiam fieri cupimus, & volumus: niſi quod teſtimonio ſibi eſt ipſa natura, quæ hoc ipſo declarat bonum ſuum, quo ei malum diſplicet: & dum in bono tantum operè confidit, quid ſolum eam deceat oſtendit? Hinc eſt illud quod frequenter carnifice occulto in auctorem ſceleris conſcientiæ tormenta deſæviunt, & latentem reum ſecreta mentis pœna perſequitur: nec ullus poſt culpam impunitati locus eſt, cum ſit reatus ipſe ſupplicium. Hinc eſt quod e contrario innocens etiam inter ipſa tormenta fruitur conſcientiæ ſecuritate, & cum de pœna metuat, de innocentia gloriatur. Eſt enim inquam in animis noſtris naturalis quædam, ut ita dixerim, ſanctitas, quæ velut in arce animi præſidens exercet mali, bonique judicium: & ut honeſtis, rectisque actibus favet, ita ſiniſtra opera condemnat, atque ad conſcientiæ teſtimonium diverſas partes domeſtica quadam lege dijudicat, nec ullo prorſus ingenio, aut fucato aliquo argumentorum colore decipit, ipſis

* Alii legunt: *aliunde magis QUÆQUE, quam*

ipſis nos cogitationibus fideliſſimis & integerrimis ſane teſtibus vel arguit; vel defendit. Auctor *Epiſtolæ ad Demetriadem, in Appendicibus Hieronymi & Auguſtini, initio. Revera eſt Pelagius hæreſiarcha.*

Ipſe eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Fugit ab inimico quo potuerit: a ſe quo fugiet? S. Augustinus *Concione 2. in Pſalmum 36. ante medium.*

Quia veram requiem, quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur, quæris: etiam hic eam inter amariſſimas vitæ hujus moleſtias ſuavem, jucundamque guſtabis, ſi ejus qui eam promiſit præcepta dilexeris. Cito enim ſenties dulciores eſſe fructus juſtitiæ quam iniquitatis: & verius atque jucundius gaudere hominem de bona conſcientia inter moleſtias, quam de mala inter delicias. *Idem Libro de catechizandis rudibus, cap. 16.*

Si haberes in domo tua theſauros, unde ſecurus eſſes, gauderes, & exultares; in corde tuo habes bonam voluntatem, & triſtis es? *Idem creditus, Sermone 270. Appendicis novæ, alias homilia 8. ex 50.*

Serpens ille etſi revocavit morſum, reliquit venenum. Eusebius Gallicanus *Homilia 3. de Paſchate.*

Domini traditorem non invenio a judice eſſe damnatum. Non enim eum damnat Pilatus, non damnat populus; ſed quod eſt gravius, ſe ipſe condemnat, & ceſſante juſtitia judicatur. Quem enim alter judicat, poteſt utcunque eſſe excuſabilis; reus autem ſine excuſatione eſt, qui conſcientiæ ſuæ judicio condemnatur. Quem alter judicat poteſt quandoque a ſuo judice ſperare indulgentiam; qui ſe ipſe judicat, a quo indulgentiam poſtulabit? S. Maximus Taurinensis *Homilia 2. de accuſato & judicato Domino apud Pilatum.*

Nul-

Nullum conſcium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipſum. Alium potes effugere, te autem nunquam. S. Martinus Bracarensis *in Sententiis de Moribus.*

Mala conſcientia ſæpe tuta eſt, ſecura nunquam. *Idem ibidem.*

In omni quod de nobis dicitur, ſemper taciti recurrere ad mentem debemus, interiorem teſtem, & judicem quærere. Quid enim prodeſt, ſi omnes laudent, cum conſcientia accuſet? Aut quid poterit obeſſe, ſi omnes nobis derogent, & conſcientia ſola nos defendat? S. Gregorius M. *Libro I. homilia 9. in Ezechielem, ante medium.*

Unicuique liber eſt ſua conſcientia: & ad hunc librum diſcutiendum, & emendandum omnes alii libri inventi ſunt. S. Bernardus, *aut quisquis eſt auctor poſterioris apud eum Libri de Conſcientia, capite ultimo.*

Nullus de tanta numeroſitate ſpectantium moleſtior oculus ſuo cujusque. Non eſt aſpectus ſive in cœlo, ſive in terra, quam tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit. Non latent tenebræ vel ſeipſas. Se vident quæ aliud non vident. Opera tenebrarum ſequuntur illas, nec eſt quo ſe abſcondant ab illis, ne in tenebris quidem. *Verus* Bernardus *Libro V. de Conſideratione, cap.* 12.

Non immerito timentes, nec ſatis de propria cauſa confidentes, remorſas & remordentes conſcientias *Apoſtolica* conati eſtis delinire *Licentia.* O frivolum ſatis remedium! Quod non eſt aliud, niſi more protoplaſtorum cauteriatis conſcientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. *Idem Epiſtola 7. ad Adamum Monachum.*

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de teſtimonio animæ adverſus Gentes.*

Origenes *Libro II. Periarchon, ſeu de Principiis, cap.* 11.

S. Basilius M. *Homilia* 4. *de Gratiarum actione.* Agit autem de gaudio ſecuræ conſcientiæ. Idem videndus *Regula breviore* 296. ubi ſigna habes conſcientiæ integræ, ſceleriſque puræ.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 15. *in plagam grandinis.*

S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, capitibus* 12. 13. 14. 46. 47.

Libro II. de iisdem, cap. 1.

Libro III. capitibus 3. 4. 5. 14. varia huc habet.

Ennarratione in Pſalmum 35. *verſu* 1.

Ennarratione in Pſalmum 50. *verſu* 4.

Epiſtola 2. *olim* 44. & 19. *ad Conſtantium, ante medium.*

Libro II. de Abel & Cain, cap. 9.

Libro I. de Interpellatione Job, cap. 3.

S. Chrysostomus *Homiliis* 17. & 19. *in Geneſin.*

Homilia 2. *in Pſalmum* 50.

Sermone 5. *de Anna.*

Homilia 55. *in Matthæum.*

Concione 1. *de Lazaro, ad finem:* Et *fuſius Concione* 4. *de eodem.*

Homiliis 1. & 12. *in ad Romanos.*

Homilia 22. *in I. ad Corinthios.*

Homilia 5. *in II. ad Timotheum.*

Opuſculo in eos, qui ſubintroductas domi habent, ſub finem.

Epiſtola 7. *ad Olympiadem.*

S. Hie-

S. Hieronymus *Epiſtola* 1. *alias* 49. *ad Innocentium, de muliere ſepties icta.* Item *præclare ſuppoſita ſibi Epiſtola ad Demetriadem, in Appendice, poſt initium.*

S. Augustinus *Ennarratione in Pſalmum* 35. *ante medium:* Et *Ennarratione in Pſalmum* 45. *fuſe & præclare.* Nec omitte, quæ habet *Ennarratione in Pſalmum* 33.

Eusebius Gallicanus *Homilia jam laudata.*

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro XII. in Joannem, initio;* de iis, qui parvis peccatis anguntur, & magna contemnunt.

S. Leo *Sermone 6. de Paſſione;* id ipſum ventilat, quod Cyrillus.

Julianus Pomoerius *Libro III. de vita contemplativa, cap.* 11.

Severinus Boetius *Libro IV. de Conſolatione Philoſophiæ, paſſim.*

S. Gregorius M. *Libro XII. Moralium, a capite* 39. Et *ad finem tributi ipſi operis in ſeptem Pſalmos pœnitentiales.*

S. Isidorus Hispalensis *Libro II. Sententiarum, cap.* 26. Et *Libro II. Synonimorum, cap. II.*

S. Bernardus *Libro laudato de conſcientia.*

De Converſione ad Clericos, capitibus 3. & 23.

Libro V. de Conſideratione, cap. 12. ubi plura ſuper.

In Declamationibus in: Ecce nos reliquimus.

Epiſtola 7. *citata de Diſpenſatione,* velut vano conſcientiæ ſauciatæ remedio.

Sermone 71. *in Cantica.*

Epiſtola 42. *ad Henricum, Senonenſem Archiepiſcopum, quæ nunc eſt inter Tractatus, cap.* 6.

Petrus Cellensis *Libro de Conſcientia ad Alcherum Monachum.*

S. Bernardinus Senensis *Sermonibus* 52. & 53. *Tomi II. de Conſcientia bona & mala.*

Addan-

Addantur Tituli: *De Præſentia Dei. De Examine Conſcientiæ* &c.

Subjicio quædam de LEGE NATURÆ, ut quæ huc quam proxime ſpectat.

Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Tertullianus *in Apologetico, cap.* 1.

Erat autem antiqua quædam & nativa homini cum Deo communitas, quæ quidem cum diu fuiſſet ignoratione obſcurata, repente tandem e tenebris exiliit, & reſplenduit . . . Sed pravæ quædam a rectoque alieniſſimæ, & manifeſte pernicioſæ ſententiæ hominem cœleſti ſtirpe prognatum abduxerunt a cœleſti vita, & perſuaſerunt in creaturas terrenas adhæreſcere, ſicque humi proſtraverunt. Clemens Alexandrinus *in cohortatione ad Gentes, pag* 21. *editionis novæ Poterianæ.*

Eadem ratione hanc vitæ viam quæri oportet qua in alto iter navibus quæritur; quæ niſi aliquod cœli lumen obſervent, incertis caſibus vagantur. Quiſquis autem rectum iter vitæ tenere nititur non terram debet aſpicere ſed cœlum, & ut apertius loquar, non hominem ſequi debet, ſed Deum: non his terreſtribus ſimulacris, ſed Deo ſervire cœleſti. Itaque ſi oculos in cœlum ſemper intendas, & ſolem qua oritur obſerves, eumque habeas vitæ quaſi navigii ducem: ſua ſponte in viam pedes dirigentur, & illud cœleſte lumen quod ſanis mentibus multo clarior ſol eſt, quam hic quem carne mortali videmus, ſic reget, ſic gubernabit, ut ad ſummum ſapientiæ, virtutiſque portum ſine ullo errore perducat. Suſcipienda igitur Dei lex eſt, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa Sancta, illa cœleſtis, quam Marcus Tullius in libro de Republica tertio pene divina voce depinxit; Cujus ego, ne plura dicerem, verba ſubjeci: „ Eſt quidem vera „ lex recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in om- „ nes, conſtans, ſempiterna, quæ vocat ad officium „ juben-

„ jubendo, vetando a fraude deterreat: quæ tamen „ neque probos fruſtra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi „ nec obrogari fas eſt *; neque derogari ex hac „ aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec „ vero aut per Senatum, aut per populum ſolvi „ hac lege poſſumus: neque eſt quærendus explanator, aut interpres ejus alius, nec erit alia lex „ Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac; ſed „ & omnes Gentes, & omni tempore una lex & „ ſempiterna & immutabilis continebit: unusque „ erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, diſceptator, lator, cui qui non parebit ipſe ſe fugiet ac „ naturam hominis aſpernatus hoc ipſo luet maximas pœnas; etiamſi cetera ſupplicia quæ putantur effugerit.„ Quis Sacramentum Dei ſciens tam ſignificanter enarrare legem Dei poſſit, quam illam homo longe a veritatis notitia remotus expreſſit! Lactantius *Libro VI. Inſtitutionum divinarum, capite* 8.

Eſt in animis noſtris naturalis quædam, ut ita dixerim, ſanctitas, quæ velut in arce animi præſidens exercet mali, bonique judicium; & ut honeſtis rectisque actibus favet, ita ſiniſtra opera condemnat, atque ad conſcientiæ teſtimonium diverſas partes domeſtica quadam lege dijudicat. Hieronymus *creditus Epiſtola ſuppoſita ad Demetriadem, in Appendice.*

Non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint. S. Augustinus *Libro de Spiritu & litera, cap.* 28.

Manu formatoris noſtri in cordibus noſtris veritas ſcripſit: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *Idem initio Ennarrationis in Pſalmum* 57.

Fur-

* Non *abrogari.*

Furtum certe punit lex tua Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? *Idem Libro II. Confeſſionum, cap.* 4.

Nemo eſt qui audeat dicere: bonum eſt adulterium: bonum eſt homicidium, bona fraus, bonum perjurium: nullus prorſus hominum. Nam qui illa faciunt, clamant, mala hæc eſſe quando patiuntur. *Idem Concione* 1. *in Pſalmum* 58. *poſt medium.*

Ite ipſi in veſtræ penetralia mentis, & intus
Inciſos apices, ac ſcripta volumina cordis
Inſpicite, & genitam vobiscum agnoſcite Legem!
Nam quis erit (modo non pecus agri, aut bellua ponti)
Qui vitiis adeo ſtolide oblectetur apertis,
Ut quod agit velit ipſe pati? Mendacia Fallax,
Furta Rapax, Furioſum Atrox, Homicida Cruentum
Damnat, & in Mæchum gladios diſtringit Adulter.
Unus enim pater eſt cunctorum, & ſemine Recti
Nemo caret, ſimilisque omnes produxit origo,
Unde etenim nondum deſcripta Lege fuerunt
Qui placidum ſanctis agerent in moribus ævum,
Nec ſummi Patris ignari, nec juris egeni?
Ergo omnes una in vitam cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus quæ condita libris.

S. Prosper *eleganti Carmine de Providentia Dei, circa medium.*

Quod eſt teſtimonium quod ſemper Domino deſervivit, & nunquam de ejus bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives, & ordinata largitio; per quam humanis cordibus quædam æternæ Legis tabulæ præbebantur, ut

ut in paginis elementorum, & in voluminibus temporum communis & publica divinæ inſtitutionis doctrina legeretur? AUCTOR *Librorum de Vocatione omnium Gentium, Libro II. cap.* 1. *Eſt inter opera Proſperi, & Leonis, & Ambroſii.*

Moralem Diſciplinam mortales omnes natura ipſa perdocuit. THEODORETUS *Sermone* 7. *de Græcis Affectionibus curandis.*

Præcipuum & principale ſpeculum ad videndum Deum eſt animus rationalis, intuens ſe ipſum. *Si enim inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur:* ubi, quæſo, quàm in ejus imagine cognitionis ejus veſtigia expreſſius impreſſa reperiuntur? HUGO A S. VICTORE *Libro III. de anima, cap.* 6.

Adde, ſi velis:

PHILONEM *Libro de Humanitate*, & *Libro de Specialibus Legibus.*

TERTULLIANUM *Libro de teſtimonio animæ adverſus Gentes.*

ORIGENEM *Libro I. Explanationis in Epiſtolam Pauli Apoſtoli ad Romanos; ex verſione non divi Hieronymi, ut mentitur titulus, ſed Ruffini, capitibus* 1. *&* 2.

LACTANTIUM *Libro VI. Inſtitutionum divinarum, capitibus* 8. 9. 10. *&c.*

S. HILARIUM PICTAVIENSEM *Libro XII. de Trinitate, ſub finem.*

S. BASILIUM M. *Homilia* 9. *in Hexaemeron, ante medium.*

AMBROSIUM *creditum, Commentario in caput I. & II. Epiſtolæ ad Romanos.* Atque etiam verum *Epiſtola* 73. *alias* 71. *vel* 41. *ad Irenæum.*

S. CHRYSOSTOMUM *Homilia* 12. *ad populum, fuſe.*

S. HIERONYMUM *Epiſtola* 121. *alias* 151. *ad Algaſiam, Quæſtione VIII. Commentario in Caput* 1. *Epiſtolæ ad Galatas:* Et *in tributa ipſi Epiſtola ad Deme-*

Demetriadem; qui quam *fuſe*, tam *diſerte* agit de naturali Lege.

S. Augustinum *Libro ſupra dato de Spiritu & Litera;* ubi *capitibus* 27. & 28. alia ſuperſunt huc pertinentia: *Libro de vera Religione, ſparſim. Fuſius denique Enarratione in Pſalmum* 57.

Theodoretum *in interpretatione Epiſtolæ ad Romanos, Libroque IX. de græcarum affectionum curatione.*

Facundum Hermianensem *Libro VIII. pro tribus capitulis, cap.* 7.

S. Isidorum Hispalensem *Libro V. Etymologiarum, capitibus prioribus.*

TITULUS X.

De *Correptione* fraterna.

CAPUT I.

Loci.

Plus proficit amica correptio, quam accuſatio turbulenta. Illa pudorem incutit; hæc indignationem movet. Servetur potius quod prodi metuat qui monetur. Bonum quippe eſt ut amicum, magis te qui corripitur credat, quam inimicum. Facilius conſiliis aquieſcitur, quam injuriæ ſuccumbitur. S. Ambrosius *Libro VIII. in Lucam, ad cap.* 17. *initio.*

Quomodo iraſceris aliis, tuæ ipſe reus conſcientiæ? quomodo commoveris, cum debeas eſſe miſerabilis? Qui arguitur, & (quod eſt amplius) a ſemetipſo, curare debet ſua vulnera, non alterum vulnerare. Nemo alium vulnerando ſe ſanat: *Medice cura te ipſum.* Si medicus quanto magis reus prius curare ſe debet? Confiteris peccatum tuum, & medicum te profiteris alienum? Etſi veritatis eſt quod

quod retorques, temporis non eſt. *Idem Enarratione Pſalmi* 37. *num.* 46.

Ne dixeritis, quid mea refert? cur autem ego rerum alienarum curioſus ſim & ſolicitus? Dominus propter nos mortuus eſt; tu vero ne ſermonem quidem profers? Et quam invenies veniam, aut quam reperies excuſationem? Quomodo ad Chriſti tribunal ſtabis cum fiducia, dic mihi tot animarum exitium diſſimulans? Utinam mihi contingat, eo currente * videre, nequaquam vobis opus eſſet, ſed celerrimam adhiberem correctionem. Quoties frater eſt emendandus, etiamſi vita ſit impendenda, ne recuſes. S. Chrysostomus *Oratione* 5. *ad Judæos.*

Sed dixiſti ſemel, & non audivit? Dic igitur bis, & ter, & toties, donec perſuaſus erit. Nobis quotidie loquitur Deus, & non audimus, nec alloqui deſiſtit. Hanc tu quoque curam imitare circa proximum. *Idem Homilia* 16. *ad populum, in fine.*

Quid neglecto vulnere proprio alios niteris infamare? quid me bene tibi & ſedulo conſulentem quaſi phreneticus morſu laceras? Eſto ego flagitioſus ſim, ut vulgo jactitas, ſaltem mecum age pœnitentiam. Criminoſus, ut ſimulas, imitare lacrimas criminoſi: num mea peccata virtutes tuæ ſunt? an malorum tuorum putas ſolatium ſi multos tui ſimiles habeas? S. Hieronymus *Epiſtola* 147. *alias* 48. *ad Sabinianum.*

Plurimum intereſt, quo animo quisque parcat. Sicut enim eſt aliquando miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens. S. Augustinus *Epiſtola* 153. *alias* 54. *ad Macedonium.*

Cœpi plus dolere tacuiſſe me, quæ dicere deberem, quam dolueram dixiſſe quæ dicere non deberem.

* Ad peccandum videlicet.

rem. *Idem Enarratione in Pſalmum* 38. *propius initium.*

Corrige inter te & ipſum ſolum, intendens correctioni, parcens pudori. Forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum, & quem vis facere meliorem facis pejorem. *Idem Sermone* 82. *alias* 16. *de verbis Domini.*

Poſt conciliaturus inter ſe locos in ſpeciem contrarios: VADE, ET CORRIPE INTER TE ET IPSUM SOLUM; atque: *PECCANTES CORAM OMNIBUS ARGUE*, corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipſa vero corripienda ſunt ſecretius. Diſtribuite tempora; & concordat Scriptura. *Ibid.*

In domibus ſuis, in ſecreto peccant. Aliquando nobis produntur . . . nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. *Idem iterum ibid.*

Quid tam pium quam medicus ferens ferramentum? Plorat ſecandus & ſecatur: plorat urendus, & uritur. Non eſt illa crudelitas, abſit ut ſævitia medici dicatur. Sævit in vulnus ut homo ſanetur; quia ſi vulnus palpatur homo perditur. *Idem Sermone* 83. *alias* 15. *de verbis Domini.*

Si quis inimicum ſuum periculoſis febribus phreneticum factum currere videret in præceps, nonne tunc potius malum pro malo redderet ſi eum ſic currere permitteret, quam ſi corripiendum, ligandumque curaret? & tamen tunc ei moleſtiſſimus, & adverſiſſimus videretur quando utiliſſimus & miſericordiſſimus extitiſſet. Sed plane ſalute reparata, tanto uberius ei gratias ageret, quanto ſibi eum minus pepercisse ſenſiſſet. *Idem Epiſtola* 93. *alias* 48. *ad Vincentium. Loquitur autem de conceptione, & pœnis hæreticorum,*

Quidquid ulcerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod

quod voles. *Idem in Epiſtolam ad Galatas, cap.* 6.

In correctione hunc noveris eſſe ordinem obſervandum ut perſonas diligas & vitia perſequaris, ne ſi aliter fortaſſe agere volueris tranſeat in crudelitatem correctio, & perdas quod emendare deſideras. S. Gregorius M. *Epiſtola, cujus numerum, quod enotantem feſellerit, hic præſtat omittere, quam maximo opere tam vaſto in Tomo inveſtigare.*

Ecce quibus laudibus (Apoſtolus) ad aperta correptionis verba deſcendit! ecce in corde audientium quam blanda favoris manu viam diſtr ctæ increpationis aperuit. Prius namque ſuperborum brachia ſtuduit per blandimentorum vincula religare, ut poſtmodum potuiſſet vulnus ſuperbiæ ferro correptionis incidere Erant profecto in Corinthiis & quæ laudari debuiſſent, erant & quæ argui. Peritus itaque medicus prius ſana membra, quæ circa vulnus erant laudando palpavit, & poſtmodum putridum ſinum vulneris feriendo transfixit. *Idem Libro XXIV. cap.* 9.

Palam ſunt arguendi, qui palam nocent. S. Isidorus Hispalensis *Libro III. Sententiarum, cap.* 46.

Dum unus corripitur plurimi emendantur. *Idem ibid.*

Cum dolore abſcindenda ſunt, quæ leniter ſanari non poſſunt. *Idem ibid.*

Cadit aſina, & eſt qui ſublevet eam: perit anima, & nemo eſt qui reputet! S. Bernardus *Libro IV. de Conſideratione. cap.* 6.

Ferveat in nobis zelus iſte, chariſſimi. Ferveat amor juſtitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratres vitia palpet, peccata diſſimulet nemo. Nemo dicat: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* nemo quod in ſe eſt æquanimiter ferat cum viderit ordinem deperire, minui diſciplinam. Eſt enim conſentire ſileſe

cum arguere poſſis; & ſcimus quia ſimilis pœna facientes maneat, & conſentientes. *Idem Sermone in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.*

Rides me, (plagam) forſitan fore incurabilem perſuaſus? noli diffidere. Curam exigeris, non curationem. *Idem Libro IV. de conſideratione, cap.* 2.

CAPUT II.

Fontes.

Clemens Alexandrinus *Libro I. Pædagogi, cap.* 9. *fuſe* de correptione, quam adhibet Deus.

Origenes *Homilia citata* : & *homilia* 1. *in Pſalmum* 37.

S. Cyprianus *Libro de lapſis, ante medium ;* ne palpemus eos, qui peccarunt.

S. Basilius M. *Regulis fuſioribus* 50. 51. 52.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 26. *præclare & fuſe*, qualem eſſe deceat correptionem. *Oratione* 1. *ſeu Apologetico de fuga ſua*, & *Tomo* 2. *de Epiſcopis*. Elegantem quoque ex eo locum Damascenus dat *Libro III. Parallelorum, cap.* 61. qui ubi legatur, non vacat nunc inquirere.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione de ferendis reprehenſionibus* : Et *alia in eos, qui durius & acerbius alios judicant.*

S. Ambrosius *Epiſtola* 40. *alias* 29. & 17. *ad Theodoſium Imperatorem*, de ferenda correptione. Addi & aliæ ejus *Epiſtolæ* poſſunt, *ſive ad iſtum, ſive ad reliquos principes*, quibuscum negotium illi fuit.

S. Chrysostomus *Homiliis* 41. & 43. *in Geneſin.*
Homilia de nomine Abraham, poſt initium. Eſt
Sermo 9. *poſt adjectas in Geneſin*, *Tomo IV. novo.*
Homiliis 17. 24. 60. 61. *in Matthæum.*
Concione 1. *de Lazaro.*

Homi-

Homilia 6. *in ad Romanos.*
Homilia 44. *in I. ad Corinthios.*
Homilia 4. *in ad Hebræos, præſtanter.*
Oratione 8. *contra Judæos.*
Homilia de ferendis reprehenſionibus, Tomo III. Montfauconi.
Libro I. capitibus 2. *&* 3. *de Sacerdotio.*
Libro contra Gentiles, & de S. Babyla.

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 52. *alias* 2. *ad Nepotianum, in fine,* de correptionibus generalibus ſcripto factis.

Epiſtola 117. *alias* 47. *de vitando ſuſpecto contubernio* inſcripta, de iisdem.
Epiſtola 125. *alias* 4. *ad Ruſticum, poſt initium,* de iisdem correctionibus ſcriptis; ſed *ad finem* de privata loquitur correptione.
Nec omitte *Epiſtolam* 40. *alias* 100. *contra Bonaſum, ſive Onaſum, quæ eſt ad Marcellam data,* & rurſum agit de correptione ſcripto facta.
Commentario in caput 18. *Matthæi,* de correptione privata.

S. AUGUSTINUS *Sermone* 383. *alias homilia* 24. *ex* 50.

Sermone 83. *alias* 15. *de verbis Domini.*
Commentario citato in Epiſtolam ad Galatas, ubi plura huc ſuper.
Epiſtola 19. *nunc* 82. *ad Hieronymum,* de correptione facta ab inferiori.
Epiſtola 50. *nunc* 185. *ad Bonifacium comitem.*
Adde *Librum de Correptione, & gratia.*
Ac *Capita* 9. *&* 10. *Libri de utilitate jejunii.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro III. epiſtolis* 121. *&* 397. Item *Libro IV. epiſtolis* 139. *&* 145.

SALVIANUS *Libro* 5. *de Providentia, ſive gubernatione Dei, ante medium,* de omiſſa correptione ex

aliquo metu, & deſperatione fructus. Idem jam ante *Libro* 4. *ejuſdem operis.*

S. HORMISDAS *Papa in Epiſtola ad univerſas provincias.*

S. GREGORIUS M. *Paſtoralis Curæ Parte II. capitibus* 6. *&* 10. *Parte vero III. ſæpiſſime.* Item *Parte IV.* quæ eſt brevis concluſio præclari operis.

In *Librum I. Regum, cap.* 2. ubi agit de corruptione Principum, eamque docet quam cautiſſimam eſſe debere.

Homilia 11. *in Ezechielem.*

Homilia 18. *in eundem,* ubi agit de correptione ab inferioribus contra ſuperiores adhibita.

Libro V. Moralium, cap. 11. de eadem iterum.

Libro XXIV. cap. 16. *Libro XXV. cap.* 8. *Libro XXIX. capitibus* 18. *&* 19.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro III. Sententiarum, capite* 32. *&* 46.

S. PETRUS DAMIANI *Opuſculo* 46. de correptione æquanimiter ferenda.

S. BERNARDUS *Sermone* 42. *in Cantica.* Item *Epiſtola* 2. *ad Falconem, initio.* Idem ſæpiſſime de correptione in ipſos principes expromenda tam in *Epiſtolis,* quam in *Libris de conſideratione,* & *Tractatu de moribus & officio Epiſcoporum ad Henricum, Senonenſem Archiepiſcopum. Erat olim inter Epiſtolas, numero* 42.

Accedunt Tituli: *Zelus. Magiſtratus. Peccata aliena. Scandalum. Juſtitia. Abuſus. Parentes* &c. Item, quæ libro noſtro quarto *de moribus & prudentia Patrum oratoria* dicebamus.

TITU-

TITULUS XI.

De *Cruce*, cum illa Domini, tum altera morali, quæ in illius communicatione & amore eſt ſita.

CAPUT I.

Loci.

Imortale Labarum portemus in frontibus. Cum dæmones viderint contremiſcent. Qui aurata Capitolia non timent, crucem timent. ORIGENES *creditus, Homilia* 8. *de diverſis.*

Quid timent dæmones? quid tremunt? ſine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt: in qua exuti ſunt principatus eorum & poteſtates. Timor ergo & tremor cadent ſuper eos, cum ſignum in nobis viderint Crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachii illius quod Dominus expandit in Cruce. *Verus* ORIGENES, *homilia 6. in Exodum.*

Hoc ſalutari ſigno tanquam munimento adverſus oppoſitas quorumvis hoſtium copias Imperator ſemper eſt uſus. EUSEBIUS CÆSARIENSIS *Libro I. de vita Conſtantini*, *cap.* 31.

Et Liciniani quidem Deorum multitudine confiſi cum ingentibus copiis progrediebantur, neſcio quæ mortuorum ſimulacra, & ſtatuas inanimes præſidii cauſa circumferentes; Conſtantinus vero pietatis lorica contectus ſalutare, & vivificum Crucis ſignum velut terriculamentum quoddam, & potentiſſimum ad depellenda mala munimentum hoſtium multitudini objecit. *Idem ejusdem operis Libro II. cap.* 16.

O divinum Crucis illius Sacramentum, in qua hæret infirmitas, virtus libera eſt, affliguntur vitia,

eriguntur trophæa. S. AMBROSIUS *Libro I. de Spiritu Sancto, cap.* 8. *nunc* 9.

Idem Sermone V. in Pſalmum 118. *ad verſum* 7. Aufer a me opprobrium & contemptum, *poſt alia ait:* Crux Chriſti Judæis ſcandalum, Græcis ſtultitia. Illis ergo opprobrium, mihi virtus eſt, per quam adverſarium repello, ſæculum vinco: mihi ſapientia, per quam inſipientiæ laqueos evado. Hoc opprobrium theſauris Ægypti Moſes prætulit. *Majus*, inquit, *æſtimans Ægypti theſauris opprobrium Chriſti.* Si opprobrium tuum gloria eſt, Domine Jeſu, quanta eſt gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cujus ſumus opprobrio glorioſi? *Dorſum meum poſui in flagella, maxillas meas in palmas, os autem meum non averti a confuſione ſputorum.* Ecce opprobrium tuum Domine! in quo ſalus eſt univerſorum, in quo mundi redemptio, per quod opprobrium cœpimus non erubeſcere qui erubeſcebamus. Denique ſcriptum eſt: *Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcant.* Hoc opprobrium auferri a nobis nolumus, opprobrium Crucis Domini Jeſu, a quo noſtra auferuntur opprobria.

Neminem pudeat honorabilium ſalutis noſtræ ſymbolorum, quæ ſunt caput bonorum, per quæ vivimus, per quæ ſumus; ſed crucem Chriſti quaſi coronam circumferamus; per eam enim omnia quæ ad nos ſpectant perficiuntur. Si regenerari oporteat, crux adeſt. Si myſtico illo cibo nutriri, ſi ordinari, & ſi quidvis aliud faciendum, ubique nobis adeſt hoc victoriæ ſymbolum. Idcirco & domi & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte, & in mente illam cum multo ſtudio depingimus. Hoc quippe ſignum eſt noſtræ ſalutis, communis libertatis, & manſuetudinis Domini. Sicut ovis enim ad occiſionem ductus eſt. Cum igitur te ſignas, totum crucis argumentum cogita, extingue iram.

omnes-

omneſque pravos affectus. Cum te ſignas multa fiducia frontem tuam reple, liberam facito animam. Scitis plane quænam ſint quæ libertatem nobis pariant. Ideo Paulus ad id nos cohortans, hoc eſt ad libertatem nobis congruentem, Crucis & ſanguinis Dominici mentione facta, ſic habet: *Pretio,* inquit, *empti eſtis, ne ſitis ſervi hominum.* Cogita inquit pretium pro te numeratum, atque nullius hominis eris ſervus. Pretium vero crucem vocat. Neque enim ſimpliciter illum digito efformare oportet, ſed prius voluntate, & multa fide. Si hoc modo illam in facie tua depinxeris, nullus impurorum dæmonum contra te ſtare poterit cum enſem videat, quo vulnus accepit, cum gladium videat, quo lethali plaga perfoſſus eſt. Si nos enim loca videntes ubi rei cæduntur, perhorreſcimus, cogita quid paſſuri ſint diabolus, & dæmones telum illud videntes, quo Chriſtus totam illorum potentiam ſolvit, draconiſque caput abſcidit. S. Chrysostomus *Homilia* 55. *in Matthæum.*

Ne itaque te pudeat tanti accepti boni; ne Chriſtum tui pudeat, quando veniet cum gloria ſua, & hoc ſignum ante Chriſtum videbitur ipſis ſolaribus radiis ſplendidius. Tunc enim crux veniet, conſpectu ſuo vocem emittens, & adverſus orbem totum cauſam Domini defendens, oſtendensque nihil ex ejus parte defuiſſe. *Idem ibidem.*

Hoc ergo in mente tua inſculpe, & animarum noſtrarum ſalutem amplectere. Hæc quippe crux orbem ſervavit & convertit, errorem expulit, veritatem induxit, terram cœlum effecit, homines angelos reddidit. *Idem ibidem.*

Quid dulcius, quid ſuavius vel cogitari vel dici poteſt quam ſanctæ Crucis myſterium, per quam non ſolum ab inferis revocari, ſed etiam in cœlos elevari meruimus? S. Augustinus *Sermone* 33. *in Appendice nova, alias* 101. *de tempore.*

Quid prodeſt, ſi ſignum Chriſti in fronte, & in ore geſtamus, & intus in anima crimina, & peccata recondimus? Qui enim male cogitat, male loquitur, male operatur. Si ſe emendare noluerit, quando ſe ſignat, peccatum illius non minuitur, ſed augetur. Multi enim dum ad furtum, aut ad adulterium vadunt, ſi pedem impegerint, ſignant ſe: & tamen de malo opere non revocant ſe: & neſciunt miſeri, quia includunt in ſe magis dæmones, quam excludunt. *Idem Sermone* 265. *appendicis novæ, alias* 215. *de Tempore. Cui gemellum eſt illud, Enarratione in Pſalmum* 50. *initio, ubi pungit eos, qui Circum & Theatra frequentabant:* Si forte in ipſo Circo aliqua ex cauſa expaveſcant, continuo ſe ſignant, & ſtant illic portantes in fronte, unde abſcederent, ſi hoc in corde portarent.

S. Paulinus *Epiſtola* 31. *nunc* 11. *ad Severum, initio, de Reliquiis ſanctiſſimæ arboris, cujus Severo particulam mittebat:* Accipite magnum in modico munus & in ſegmento pene atomo haſtulæ brevis ſumite munimentum præſentis, & pignus æternæ ſalutis. Non anguſtetur fides veſtra carnalibus oculis parva cernentibus, ſed interna acie totam in hoc minimo vim Crucis videat; dum videre vos cogitatis lignum illud quo ſalus noſtra, quo Dominus majeſtatis affixus tremente mundo pependerit. Recordemur & petras ſciſſas ad hujus aſpectum Crucis: & ſaltem ſaxorum æmulatione præcordia noſtra findamus timore divino.

Idem loquens de Cruce Domini, quæ refectis identidem particulis nunquam decreſceret: In materia inſenſatá vim vivam teneas. Ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimentum non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie dimidiam ſumentibus & ſemper totam venerantibus. Sed iſtam impurribilem virtutem & indeteribilem ſoliditatem

de

de illius profecto carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem non vidit corruptionem. *Ibid. ſub finem.*

Quemadmodum ingrediente rege in civitatem exercitus præcedit ferens ſigna, & vexilla regalia, & ambitus præparationis armiſonæ annuntiat regis introitum: ita Domino deſcendente de cœlis præcedet exercitus Angelorum, atque Archangelorum, qui ſignum illud triumphale, crucis vexillum, ſublimibus humeris præferentes divinum regis cœleſtis ingreſſum terris trementibus nuntiabunt. JULIANUS POMOERIUS *Libro III. Prognoſticorum, cap.* 5.

Si oſcula infigimus, non utique cauſa ligni, ſed potius amore illius id a nobis agitur, qui in ea veteris ligni damna inſtauravit. JONAS AURELIANENSIS *Libro* 2. *de cultu imaginum.*

Quæ eſt enim ſacri eloquii pagina quæ Crucis myſterium non redoleat & ad hoc quaſi ad totius humanæ ſalutis caput atque principium non intendat? S. PETRUS DAMIANI *Sermone de Inventione Crucis, poſt initium.*

Pretioſum ſignum crucis! ſed prout geſtamus in fronte, utinam portemus in corde. *Idem Sermone* 40. *de S. Caſſiano, circa medium.*

Ille non amat Chriſtum, qui non amat crucem Chriſti. *Idem Sermone prius dicto de Inventione Crucis.*

Sicut, antequam Chriſtus in Crucem ageretur, Crux inſtrumentum erat mortis execrabile & figura ejus evitanda & deteſtabilis; ita poſtquam illi clavis affixus eſt Chriſtus ac Domini ſanguine & aqua eſt aſperſa, tum ipſa ſanctificata, & figura ejus ſanctificandi inſtrumentum facta eſt omnibus fidelibus, quæ quidem homines antea peremit, nunc vero dæmones. EUTHIMIUS *in Panoplia, Titulo XX.*

Fallaciter miles characterem regis geſtat cujus præſcriptum non obſervat, nec recte ſe tuetur illius ſigno,

ſigno, cujus non paret imperio. GUERRICUS, *Abbas, Sermone* 2. *in Ramis palmarum.*

Quantam contumeliam regi ſuo inferret ſignifer qui cum ipſo vexillo in partem contrariam ſe vertit? Unde quanta contumelia regi regum irrogatur a Chriſtianis? cum enim omnes Chriſtiani ſigniferi ejus ſint, major tamen pars eorum contra ipſum pugnat. Qui enim cum eo non eſt contra ipſum eſt ut ipſe dicit. Clamat contra te ſignum Crucis, clamat te proditorem, & reum læſæ majeſtatis. Clamat enim te ſigniferum; opera autem tua te clamant hoſtem: & propterea ambo pariter proditorem, imo nequiſſimum proditorem. GUILIELMUS PARISIENSIS *Tractatu de Sacramento Confirmationis.*

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro III. contra Marcionem, cap.* 18. & *Libro de corona militis, cap.* 3. varia habet de Religione crucis. Idem *Libro I. ad Nationes, cap.* 12. retundit infideles, crucis honorem criminantes.

MINUTIUS FELIX *in Octavio, propius finem,* & ipſe contra Infideles defendit Crucem.

LACTANTIUS *Libro IV. divinarum Inſtitutionum, capite* 12. de cruce, ut Chriſti ſupplicio: Et *cap.* 27. de virtute & efficacitate crucis contra ſuos hoſtes, præſertim ſtygios.

S. ATHANASIUS *Oratione de Incarnatione Verbi.* Item in opere ſuppoſito *Quæſtionum ad Antiochum, q.* 41. ubi ſolvit objectionem eam: cur ergo non & aſinum veneremur, quo vectus Dominus, ſi veneramur Crucem, cui idem affixus eſt? Vide etiam *q.* 158. *ad eundem*, & *in vita S. Antonii Abbatis, ſæpius.*

S. CY-

S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſibus illuminatorum* 4. 10. & 13. Adde Epiſtolam ejus ad Conſtantium Imperatorem.

S. Ephræm *Sermone in pretioſam & vivificam Crucem &c. Tomo II. novo græcolatino, pag.* 247. Item *de ſigno Crucis, quod apparebit in Cælo, Tomo III. novo, pag.* 144.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 3. *quæ eſt I. in Julianum.*

Prudentius Clemens *Libro I. contra Symmachum,* ac veterem Deorum Gentilium cultum, *verſus finem,* de labaro Crucis in victrice exercitu Conſtantini.

Gregorius Nyssenus *Oratione* 1. *in Chriſti reſurrectionem,* & *Oratione magna Catechetica, cap.* 32.

S. Chrysostomus *In demonſtratione: Quod Chriſtus ſit Deus.*

Homilia 55. & 77. *in Matthæum, ſupra laudata.*

Homilia 13. *in ad Philippenſes, initio.*

Homilia 21. *ad populum, nunc Catecheſi* 2. *ad illuminandos, poſt homilias ad populum.*

Oratione in venerabilem atque vivificam crucem.

Oratione, ne erubeſcamus crucem, Tomo II. Gretſeri.

Homilia de adoratione crucis. Tomo III. novo.

Homiliis duabus in Crucem & Latronem, Tomo II. novo.

Homilia de confeſſione S. Crucis, eodem Tomo III. novo &c.

S. Augustinus *Tractatibus* 3. & 53. *in Joannem.*

S. Paulinus *Carmine* 8. *de Natali S. Felicis,* ubi *pulchre* invicta nobis ex cruce arma ſuppeditat.

S. Joannes Cassianus *Libro II. de Incarnatione, cap.* 3. *in fine,* ob crucis ignominiam majorem Servatori gloriam deberi.

Basi-

Basilius Seleuciensis *Libro* 1. *de vita S. Theclæ, breviter quidem, verum perquam eleganter*, quomodo formatam a Virgine crucem flammæ reveritæ fuerint.

S. Andreas Cretensis *Oratione* 1. *in venerabilis, pretioſæ & vivificæ crucis Exaltationem.*

S. Joannes Damascenus *Orthodoxæ fidei Libro IV. cap.* 12.

Dungalus, *Diaconus, Libro reſponſionum ſuarum de cultu SS. Imaginum, Reliquiarum, & Sanctorum invocatione.*

Jonas Aurelianensis *Libro* 1. *de cultu imaginum contra Claudium Taurinenſem, ad finem.*

B. Rabanus Maurus *Libris duobus de laudibus S. Crucis.*

Berengosus, *Abbas, Libello de myſterio ligni Dominici*, & *Libris tribus de Inventione & laude S. Crucis.*

Ivo Carnotensis de uſu crucis in plerisque religionis noſtræ myſteriis. Eſt apud Auguſtinum *Sermo* 75. *de diverſis.* Præivit autem illum Auguſtinus verus *Tractatu* 118. *in Joannem.*

Hildebertus Cenomanensis *Sermone* 72. qui inſcribitur *de laudibus ſanctæ crucis.*

S Anselmus *Tractatu de dignitate, & virtute S. Crucis.*

Petrus Cluniacensis *Tractatu contra Petrobruſianos* (perſequentes Crucem, ut inſtrumentum ſupplicii Domini) varia pro hoc argumento, eaque egregia ſumminiſtrat.

Adde, quæ infra de *Feſto Inventionis, & Exaltationis Crucis*, atque etiam de *Paſſione Domini* adducemus.

Juverit etiam videre Jacobum Gretserum, *Tomis tribus de Cruce*, ubi quam plurima, ſi non omnia collegit ex Patribus, quotquot de hac materia perſcripſerunt. Præcipue autem ſublimes & ſplendidos

didos quosdam Titulos reperies, quibus Crucem *S. Ignatius Martyr, S. Ephræm, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ambroſius, S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Chryſologus, S. Leo M. S. Andreas Cretenſis, S. Joannes Damaſcenus* honeſtaturat; vocantes illam

Trophæum de potentia diaboli.
Inſuperabilem Chriſtianorum armaturam.
Reſeratricem paradyſi.
Dulcem ſarcinam.
Vexillum ſalutis.
Triumphum Chriſti.
Infinitorum bonorum argumentum.
Cauſam totius beatitudinis.
Spem deſperatorum.
Magnificentiam Regum.
Clavem Paradyſi.
Theſaurum & ſummam omnium bonorum.
Columnam generis humani.
Clavem Scripturæ.
Symbolum vitæ.
Omnium fontem benedictionum, omnium cauſam gratiarum.
Spem Chriſtianorum.
Potentiam Regum. & Victoriam Ducum.
Plantam immortalitatis.
Baculum infirmorum.
Plantam reſurrectionis, & lignum vitæ æternæ.

TITULUS XII.

De *Electione* Status, & quæ huc ſpectant.

CAPUT I.

Loci.

Si cum de rebus flocci ac nihili conſultamus, conſultores tamen nonnunquam adhibemus: cur amabo hoc non inquirimus majori cum delectu, quando de anima re omnium præſtantiſſima deliberamus? S. Basilius M. *Oratione* 21. *ex congeſtis a Simone Magiſtro.*

(Cer-

(Certum ſibi vitæ genus conſtituere) ego tanti momenti eſſe duco, ut totius vitæ vel recte vel male traducendæ fundamentum in eo poſitum putem. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 23. *prope initium*

Deus unicum filium morti pro nobis obtulit: nos noſtros negamus? S. Ambrosius *Oratione de fide Reſurrectionis, per accommodationem.*

Nempe ſi hominem amarent filiæ veſtræ, per legem poſſent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? *Idem Libro* 1. *de Virginibus, ad finem.*

Eſt rationabilis animæ juſtum judicium, ut eligat Deo magis ſervire, quam ſæculo: ut ſtatuat mandatis Chriſti obſequi, non diaboli conſiliis depravari: ut ſpiritualibus inhærere decernat ſtudiis, non carnalibus vitiis implicari: & ut æternam beatitudinem futurorum breviſſimis mundi voluptatibus judicet præponendum. S. Gaudentius Brixiensis *Tractatu* 11.

Tria hæc ſunt: Virginitas, Matrimonium, Fornicatio. Matrimonium locum medium tenet. Virginitas coronam habet, matrimonium laudem mediocrem, fornicatio pœnam & cruciatum. Vides itaque, quomodo te contineas, atque an corporis imbecillitatem ferre queas: neque in animum inducas, ſupra modum aſcendere, ne ſupra modum deſcendas. S. Chrysostomus *Homilia* 1. *ſuppoſititia in Pſalmum* 50. *ad finem.*

Licet parvulus ex collo pendeat nepos: licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus ubera quibus te nutrierat, mater oſtendat: licet in limine pater jaceat; per calcatum perge patrem: ſiccis oculis ad vexillum crucis evola! Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. S. Hieronymus *Epiſtola* 1. *nunc* 14. *ad Heliodorum.*

Neque

Neque vero neſcio quà te dicas nunc compede præpediri. Non eſt nobis ferreum pectus, nec dura præcordia. Non ex ſilice natos Hyrcanæ nutriere tygres. Et nos per iſta tranſivimus. Nunc tibi blandis vidua ſoror hæret lacertis: nunc illi cum quibus adoleviſti vernulæ ajunt: cui nos ſervituros relinquis! Nunc & gerula quondam, jam anus; & nutricius, ſecundus poſt naturalem pietatem pater, clamitat: Morituros expecta pauliſper & ſepeli. Forſitan & laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens mammæ lallaræ congeminet: Dicant ſi volunt & Grammatici: In te omnis domus inclinata recumbit. Facile rumpit hæc vincula amor Dei. & gehennæ timor. *Idem ibid.*

At contra Scriptura præcipit parentibus obſequendum? Sed quicunque eos ſupra Chriſtum amat, perdit animam ſuam. Gladium tenet hoſtis, ut me perimat; & ego de matris lacrimis cogitabo? propter patrem militiam Chriſti deſeram, cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo, quam etiam omnibus ejus cauſa debeo? *Idem ibidem.*

Quid invides mater filiæ? tuo lacte nutrita eſt, tuis educta viſceribus, in tuo adolevit ſinu: tu illam virginem ſedula pietate ſervaſti. Indignaris quod noluit militis eſſe uxor, ſed Regis? Grande tibi beneficium præſtitit. Socrus Dei eſſe cœpiſti. *Idem Epiſtola 22. ad Euſtochium, ante medium.*

Utinam quod renuntiamus ſæculo voluntas ſit non neceſſitas: & paupertas habeat expetita gloriam non illata cruciatum! Ceterum juxta miſerias hujus temporis & ubique gladios ſævientes ſatis dives eſt, qui pane non indiget: nimium potens eſt qui ſervire non cogitur. *Idem Epiſtola 125. alias 4. ad Ruſticum.*

Ut longam orationem compendio breviem; aut parva aut magna ſunt, quæ tibi deferenda ſuademus? Si parva: non difficile putes, parva contem-

neres. Si magna: majora magnis præmia præparantur. *Idem Epiſtola ad Præſidium; ſed quæ non eſt hujus S. Doctoris.*

Quid ſum ego mihi ſine te, niſi dux in præceps? S. AUGUSTINUS *Libro IV. Confeſſionum, cap.* 1.

De accedentibus Statum Eccleſiaſticum, ad quem minime idonei ſunt: Novus Clericus, & peccator antiquus: ſcientia levi, conſcientia gravi. S. SIDONIUS APOLLINARIS *Libro IX. epiſt.* 2.

Melius it claudus in via, quam curſor præter viam. *Idem Sermone* 169. *alias* 15. *de verbis Apoſtoli, ipſo fine.*

Scio, quia cum Epiſtola mea ſuſcipitur, protinus amici conveniunt, literati clientes vocantur, & de cauſa vitæ conſilium a fautoribus mortis quæritur, qui dum non te, ſed res tuas diligunt, nulla tibi, niſi quæ ad tempus placeant, loquuntur. Tales enim fuerunt, ſicut ipſe reminiſceris, dudum conſiliarii, qui ad tanti facinus te perduxerunt delicti. Ut tibi aliquid ſæcularis auctoris * loquar, cum amicis omnia tractanda ſunt, ſed prius de ipſis. Si vero in cauſa tua hominem conſiliarium quæris, conſiliarium rogo me ſuſcipe. Nullus tibi fidelior eſſe ad conſilium poteſt, quam qui non tua, ſed te diligit. S. GREGORIUS M. *Libro I. Indictione* 9. *Epiſtola* 34. *alias* 33. *ad Venantium Exmonachum, Patricium Syracuſanum.*

O durum patrem! o ſævam matrem! o parentes crudeles & impios! imo non parentes ſed peremptores, quorum dolor ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filii eſt: qui me malunt perire cum eis quam regnare ſine eis: qui me rurſus ad naufragium, unde tandem nudus evaſi, rurſus ad ignem unde vix ſemiuſtus exivi, rurſus ad latrones a quibus ſemivivus relictus ſum, ſed miſerante Samaritano

* Senecæ videlicet *Epiſtola* 3.

tano jam aliquantulum convalui revocare conantur: & militem Chriſti prope jam rapto cœlo triumphantem (quod non in me glorior, ſed in eo qui vicit mundum) ab ipſo jam introitu gloriæ tanquam canem ad vomitum, tanquam ſuem ad lutum ad ſæculum reducere moliuntur. Mira abuſio! Domus ardet, ignis inſtat a tergo, & fugienti prohibetur egredi, evadenti ſuadetur regredi, & hæc ab his qui in incendio poſiti ſunt, & obſtinatiſſima dementia ac dementiſſima obſtinatione fugere periculum nolunt. Pro furor! ſi vos contemnitis mortem veſtram cur etiam appetitis meam? ſi inquam negligitis ſalutem veſtram quid juvat etiam perſequi meam? quare vos non potius ſequimini me fugientem ut non ardeatis? An hoc eſt veſtri cruciatus levamen ſi me etiam perimatis: & hoc ſolum timetis ne ſoli pereatis? Ardens ardentibus quod ſolatium præſtare poterit? quæ inquam conſolatio damnatis ſocios habere ſuæ damnationis, quodve remedium morientibus alios videre morientes? S. Bernardus *Epiſtola* 111. *ad parentes Heliæ.*

Si eos (gradus eccleſiaſticos & miniſteria Sanctuarii) eo quærit aut tenet animo eoque intuitu ut hujus vitæ habeat neceſſaria; evangelizat ut manducet, & perverſo nimis ordine cœleſtibus terrena mercatur. *Idem in Declamationibus, propius initium.*

Curritur in clero paſſim ab omni ætate & ordine, a doctis pariter & indoctis ad Eccleſiaſticas curas, tanquam ſine curis jam quisque victurus ſit cum ad curas pervenerit. *Idem ibidem.*

Væ miniſtris infidelibus, qui necdum reconciliati reconciliationis alienæ negotia apprehendunt! *Idem de Converſione ad Clericos, cap.* 20.

Idem ad illud: Ecce nos reliquimus omnia. Omnia ſane dixerim, non tantum poſſeſſiones, ſed

etiam cupiditates, & eas maxime; plus enim concupiſcentia mundi, quam ſubſtantia nocet, & hæc fugiendarum cauſa divitiarum præcipua eſt quod aut vix aut nunquam ſine amore valeant poſſideri. *Idem in Declamationibus, initio.*

Age, qui relinquere univerſa diſponis, te quoque inter relinquenda numerare memento. *Idem ibid. mox.*

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro I. ad uxorem, cap.* 5. & *Libro de Monogamia, ſub finem,* agit de iis, quos cura & deſiderium poſteritatis retinet in ſæculo.

Origenes *Homilia* 3. *in Exodum* obſiſtentes vocationi lepide comparat cum Pharaone & ſervis ejus.

S. Basilius M. *Sermone de abdicatione rerum.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 23. *citata: Epiſtola* 63. *ad Eudoxium* Rhetorem, ubi plura huc faciunt: *Carmine item Jambico* 10. ubi comparat inter ſe ſtatum vivendi cum mundo, & ſtatum vivendi juxta ſpiritum. Adde *Carmen in laudem Virginitatis, ordine* 2.

S. Gregorius Nyssenus *Libro de Virginitate, capitibus pluribus, præſertim* 24.

S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 44. ut vivat quisque juxta ſtatum ſuum.

Libro de Fuga Sæculi habet varia ad hoc noſtrum argumentum.

Libro de Joſeph Patriarcha, cap. 4. in quolibet etiam infirmo ſtatu poſſe nos implere partes noſtras.

Enarratione in Pſalmum I. ad verſum 1.

Libro 1. *de Virginibus, ad finem,* in parentes & cognatos, ſuorum vocationem impedientes.

Com-

Commentario in Epiſtolam I. ad Corinthios, ad caput 7. expendi cupit a deliberantibus, num ſint pares tentationibus ferendis.

S. Chrysostomus *in Libris tribus adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ, præſertim* 2. & 3. in retrahentes a ſtatu perfectionis amplectendo.

Quibus adde: *Librum de virginitate.*

Parænesin 1. *ad Theodorum lapſum*, ubi ampliſſimum aperit campum pro hoc noſtro argumento.

Parænesi 2. *ad eundem Theodorum*, ubi multo magis huc facit.

Homilia 43. *in Geneſin*, vel inter malos bene vivere licere.

Homilia 69. *in Matthæum*, ubi varia huc pertinentia.

S. Hieronymus *Libro* 1. *in Jovinianum* tangit eos, qui ſpe ſucceſſionis retinentur in mundo.

Epiſtola citata ad Heliodorum.

Epiſtola citata ad Ruſticum.

Epiſtola 54. *alias* 10. *ad Furiam.*

Epiſtola 58. *alias* 13. *ad Paulinum.*

Epiſtola 118. *alias* 34. *ad Julianum.*

Epiſtola ſuppoſita ad Præſidium, in Appendice.

S. Augustinus *Epiſtola* 38. *ad Lætum, nunc* 243.

Epiſtola 39. *ad Licentium, nunc* 26.

Epiſtola 70. *ad Bonifacium Comitem, nunc* 220.

Enarratione in Pſalmum 44. *verſu* 11.

Sermonibus 96. *alias* 47. *de diverſis*, de diverſitate ſtatuum: & 68. *de tempore, ſeu* 37. *Appendicis nunc* 3. *in Appendice nova*, de difficultate relinquendi patriam atque parentes.

Sixtus III. *creditus, Libro de caſtitate, præclare, fuſeque* pro iis, qui inſtituunt inire matrimonium. *Idem ibidem, ad finem*, tollit metum de interitu familiæ, ſi quis nuptias recuſet.

EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia* 4. *ad Monachos*, ſtatum utut ſublimem ex ſeſe non ſalvare.

THEODORETUS *Sermonibus* 7. & 8. *de Providentia* habet complura, quæ huc faciant.

S. GREGORIUS M. *Homilia* 21. *in Evangelia*, qui parandum cor, cum ſtatum vitæ eligimus. *Item homilia* 37. *in eadem*, adverſum parentes, vocationem liberorum impedientes, atque *Epiſtola* 65. *alias* 62. *Libri III. Indictione* 11. *ad Mauritium Auguſtum*, de non prohibendis militibus, qui aſpirarent ad Monachatum.

HILDEBERTUS CENOMANENSIS *Libro de honeſto & utili*, ubi de Temperantia.

MARBODUS REDONENSIS *Epiſtola* 6. *ad Robertum Arbriſcellenſem*, ne non valde probatos ad religionem ſuſcipiamus. NB. Epiſtola eſt inſignis, verum ſuſpecta.

S. BERNARDUS *Tractatu de Converſione ad Clericos*.

In declamationibus ad verba: Ecce nos reliquimus.

Epiſtolis 1. & 2.

Epiſtola 5.

Epiſtola 7.

Epiſtolis continuis 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 111. 112.

Epiſtolis 324. & 325.

PETRUS BLESENSIS, *ni fallor*, *habet Epiſtolam ad Socium, qui ob affectum erga ſuos voluntatem mutandæ vitæ differebat.*

Quod ſi quædam vis *de Apoſtaſia a ſuſcepto ſemel religioſo ſtatu*, adi per me *Opuſculum* THEOPHILI noſtri RAYNAUDI, cui Titulus: *Judæ poſteri, Apoſtatæ a religioſis ordinibus.* Eſt *ordine* 1. *Tomo XVII.* ibi enim fere omnia collegit, quæcunque ſunt a ſanctis Patribus adverſum Apoſtatas conſcripta.

Vide & Titulum: *Status*.

TITU-

TITULUS XIII.

De *Excuſationibus* in Peccatis.

CAPUT I.

Loci.

Quam ſapiens argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana! præſertim cum aliquid ejuſmodi de gaudiis & de fructibus ſæculi metuit amittere. Tertullianus *Libro de Spectaculis, cap.* 2.

Peccatores, accuſantes omnia magis, quam ſemetipſos. Origenes *Homilia unica in Librum regnorum.*

Quanto gravius peccato ipſo (eſt) ad Deum referre, quod feceris, & reatus tui invidiam transfundere in auctorem non criminis, ſed innocentiæ? S Ambroſius *Libro II. de Abel & Cain, cap.* 9.

Nec mihi dicas: Quid vero, ſi quis jurandi neceſſitatem nobis imponat? quid ſi non credat? Sane vero ubi lex violanda neceſſitatis meminiſſe non oportet. Una eſt enim inevitabilis neceſſitas Deum non offendere. S. Chryſoſtomus *Homilia* 5. *ad populum, ante finem.*

Quid neglecto vulnere proprio alios niteris infamare? Quid me bene tibi & ſedulo conſulentem quaſi phreneticus morſu laceras? Eſto ego flagitioſus ſim, ut vulgo jactitas; ſaltem mecum age pœnitentiam: criminoſus, ut inſimulas; imitare lacrimas criminoſi. Num mea peccata virtutes tuæ ſunt? an malorum tuorum putas ſolatium ſi multos tui ſimiles habeas? S. Hieronymus *Epiſtola* 48. *nunc* 147.

In omnibus Scripturis Deus tibi dixit, quia potes; tu e contrario non poſſe reſpondes. Conſidera nunc, utrum Deo an tibi debeat credi. Et ideo quia mentiri non poteſt veritas jam vanas excuſationes ſuas relinquat humana fragilitas. *Idem Sermone* 273. *Appendicis novæ, alias* 61. *de tempore.*

Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quid enim malignius his verbis, quibus malum ſe rogat etiam de opere malo convictus quod negare non valeat? Et quoniam factum non poteſt tegere, nec benefactorem poteſt dicere, & a ſe factum videt patere, quærit in alium referre quod fecit, tanquam inde poſſit auferre quod meruit. Nolens ſe eſſe reum addit potius ad reatum, & ſua excuſando non accuſando peccata ignorat non ſe pœnam removere ſed veniam. *Idem Libro de continentia, cap.* 5.

Peccata noſtra Judices nos ſentiant non patronos, accuſatores ſuos, non defenſores eſſe cognoſcant &c. Tu agnoſce, & Deus ignoſcit. Nam quo pacto Deus dignetur ignoſcere, quod in ſe homo dedignatur agnoſcere? *Idem Sermone* 22. *Appendicis novæ, alias* 88. *de tempore.*

Non ergo illi quos monemus agere pœnitentiam quærant ſibi comites ad ſupplicium, nec gaudeant quia plures inveniunt. Non enim propterea minus ardebunt quia cum multis ardebunt. Non eſt hoc ſanitatis certum conſilium ſed malevolentiæ vanum ſolatium. An forte attendunt multos etiam in ipſis honoribus Eccleſiaſticis præpoſitorum, & miniſtrorum non congruenter vivere ſermonibus & ſacramentis, quæ per eos populis miniſtrantur? O miſeros homines qui hos intuendo Chriſtum obliviſcuntur! qui & tanto ante prædixit, ut legi Dei potius obtemperetur, quam imitandi videantur illi qui ea quæ dicunt non faciunt, & traditorem ſuum tolerans usque in finem etiam

ad

ad Evangelizandum cum ceteris miſit. Tam ſunt autem iſti abſurdi & præpoſteri & miſeri qui præpoſitorum ſuorum malos mores imitari eligunt, quam per eos prædicata Domini præcepta ſervare: quam ſi quiſquam viator remanendum ſibi eſſe exiſtimat in itinere, cum viderit milliaria lapidea literis plena viam docere, & non ambulare. Cur enim non potius ſi pervenire deſiderat tales comites intuetur & conſequitur qui & viam bene demonſtrant, & in ea perſeveranter atque alacriter ambulant? Quod ſi iſti deſint, vel ſi potius minus appareant (nam deeſſe non poſſunt; non enim ſic quærunt homines charitate ſtudioſa quod prædicent ad imitationem quomodo quærunt iniquitate ſuſpicioſa quod murmurent ad deceptionem, partim non inveniendo bonos, dum ipſi mali ſunt, partim timendo invenire, dum mali eſſe ſemper volunt) Sed tamen concedamus non apparere nunc homines dignos imitatione: quiſquis hoc putas, mente Dominum intuere, qui homo factus eſt ut hominem vivere doceret. Sic habitat Chriſtus in interiore homine per fidem in corde tuo, recordariſque illud quod Joannes ait: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quemadmodum ille ambulavit & ipſe ambulare.* Ita nec tibi deerit quem ſequaris, & cum te alius viderit, de bonorum inopia conqueri deſinet. Si enim non noſti quid ſit recte vivere, divina præcepta cognoſce. Fortaſſis enim multi recte vivunt, ſed propterea tibi nullus recte vivere videtur, quoniam quid ſit recte vivere ignoras. Si autem noſti age quod noſti, ut & tu quod quæris habeas, & aliis quod imitentur oſtendas. Chriſtum animo attende, attende Apoſtolos, quorum noviſſimus eſt ille qui dicit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Attende animo tot Martyrum millia. Cur enim te Natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam ſequi honeſtis moribus non

F 5 dele-

delectat? Ibi videbis non ſolum viros, ſed etiam fœminas, poſtremo pueros & puellas nec imprudentia decipi, nec iniquitate perverti, nec periculi timore frangi, nec ſæculi amore corrumpi. Ita te non invenientem quid excuſes, non ſolum præceptorum inevitabilis rectitudo, ſed etiam exemplorum innumerabilis multitudo circumdabit. *Idem Sermone* 351. *alias homilia ultima ex* 50. *ſub finem.*

Quicunque ſibi ſe excuſat, accuſat Deo. SALVIANUS *Libro* 4. *ad Eccleſiam Catholicam, ad finem.*

Omne peccatum actio eſt. Actio omnis voluntaria eſt tam honeſta quàm turpis: ergo voluntarium eſt omne peccatum. Tolle excuſationem; nemo peccat invitus. S. MARTINUS BRACARENSIS *in Sententiis de Moribus.*

Uſitatum humani generis vitium eſt latendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & convictum defendendo multiplicare. S. GREGORIUS M. *Libro XXII. Moralium, cap.* 15. *ad illud:* Si abſcondi quaſi homo peccatum meum.

In qua videlicet occultatione non ſe Domino, ſed Dominum abſcondit ſibi. Agit quippe, ne omnia videntem videat; non autem ne ipſe videatur. *Idem Vir Sanctus Libro, & cap. eodem.*

Nimirum dum defenditur, culpa geminatur. *Idem Libro IV. eorumdem Moralium, cap.* 21.

Dirumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non plagam curantium. S. BERNARDUS *Libro II. de Conſideratione, cap.* 9.

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de Spectaculis, cap.* 2. in excuſationem eam: omnia, quibus hic fruimur & delectamur, a Deo eſſe, *præclare & fuſe.* Item *Libro*

Libro I. ad uxorem, cap. 4. in excuſationem infirmitatis.

S. Cyprianus *Libro de Lapſis* ſecunda vice, ſubvertit prætextus lapſorum. *Idem Libro de Spectaculis, mox initio, egregie* huc quadrat. Maxime vero *Libro ſuppoſito de ſingularitate Clericorum, præcipue ante medium.*

S. Ambrosius *Libro I. de Jacob & vita beata, cap.* 3. Item *in Lucæ caput* 23. *præclare.* Idem *Opuſculo de lapſu Virginis conſecratæ* refellit prætextus corruptarum. Adde, quæ habet *Libro de Paradiſo, cap.* 13. *ad illud:* Cognoverunt, quod nudi eſſent.

Homilia 6. *ad populum*, in excuſantes ſe per alios idipſum facientes.

S. Chrysostomus *Homilia* 14. *ad populum*, de prætenſa conſuetudine.

Homilia nunc 20. *ad populum*, de cauſificationibus nolentium ignoſcere.

Homilia 22. *in Geneſin*, de excuſatione petita ab oculis & aſpectu.

Homilia 56. *in Geneſin*, in obtendentes receptam conſuetudinem.

Homilia in Pſalmum 140. contra negantes, & defendentes peccata.

Homiliis 9. *in I. ad Corinthios*, in prætextum difficultatis legum.

Homilia 2. *in ad Epheſios*, *fuſe*, in variorum peccatorum excuſationes.

Libro 1. *de compunctione cordis*, in obtendentes imbecillam carnem.

Libro IV. de Sacerdotio, cap. 1. *&* 2. vanæ excuſationes Prælatorum.

Libro III. adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ, egregie repellit eam cauſificationem: Nos homines ſæculi, non monachi ſumus. Sed & *Libro I. ejus operis* quam maxime huc facit.

Auctor

AUCTOR *Operis imperfecti in Matthæum, homilia* 53. in Excuſationes generatim.

S. HIERONYMUS *ad finem Epiſtolæ* 4. *nunc* 125. *ad Ruſticum.* Item *Commentario in Pſalmum* 140. *ad illa verba:* Non declines cor meum in verba malitiæ &c. Et *Libro II. Commentariorum, in caput* 3. *Lamentationum Jeremiæ.* Denique apud eundem in *Appendice, Auctor Epiſtolæ ad Demetriadem* adverſus obtentam fragilitatem.

S. AUGUSTINUS *Libro de vera & falſa pœnitentia, cap.* 16. *Enarratione in Pſalmum* 140. *fuſe.* Rurſum *Libro de continentia jam laudato, cap* 5. *& deinceps egregie* ſubruit prætextus varios peccatorum. Et *Sermone* 253. *Appendicis novæ, alias homilia* 12. *ex* 50. contra eos, qui culpam omnem rejiciunt in diabolum. Præcipue vero huc pertinet *Sermo* 1. *in Pſalmum* 58. *poſt medium.*

S. JOANNES CASSIANUS *Collatione XVI. cap.* 16. in eorum prætextum, qui ſe putant facilius fuiſſe toleraturos, ſi quod patiuntur, aliunde potius ipſis quam a fratre accidiſſet.

SALVIANUS *Libro* 2. *ad Eccleſiam Catholicam, initio,* adverſum eos, qui ſua peccata peccatis majoribus aliorum excuſant. *Idem Libro* 4. *ejuſdem operis, ad finem,* oſtendit *egregie*, omnes admodum homines culpas ſuas parvas putare. *Ibidem* in prætextum aſperitatis, quæ ſit in virtute. Denique *egregie* convellit ſtultitiam eorum, qui in culpis adeo innoxios ſe putant.

JULIANUS POMOERIUS *Libro III. de vita contemplativa, cap.* 12. in excuſationem, quæ petitur a fragilitate noſtra.

S. CÆSARIUS ARELATENSIS *Homilia* 20. in ſtupidos ſeſe excuſantes, quod capita doctrinæ Chriſtianæ non poſſint memoria retinere.

S. GREGORIUS M. *Libro IV. Moralium, fuſe capitibus aliquot.* Idem videndus *Libro XXII. Moralium, cap.* 15. itidem jam ante laudato.

S. BER-

S. Bernardus *Sermone* 16. *in Cantica*, de excuſationibus peccatorum. *Sermone* 30. *in eadem Cantica*, quam ſolers ſit caro in excuſationibus excogitandis. Similia habet in *Apologia ad Guilielmum Abbatem.* Idem *Sermone* 6. *de aſcenſione*, in prætextum ignorantiæ inſurgit.

Sed plura dabunt Tituli alii, puta: *De ſtatibus atque officiis. De cura Oeconomiæ. De Carne. De Paſſionibus. De Tentationibus. De Peccatis occultis. De Abuſibus. De Obedientia* &c. &c.

Quam pauci olim ex inſtituto de *Excuſationibus* ſcripſerunt, tam multos hodie leges; uti Celadam *in Librum Tobiæ* §§. 27. 92. 124. 133. 291. 456. Item *in Librum Judith*, *cap.* 6. §§. 2. & 3. P. Girouſt *Tomo integro ſuarum Concionum.* Reverendiſſimum Barziam *Tomo II. Concionum.* P. Bellecium *in malo ſummi mali, Libro III. toto.* P. Calini *Menſe* 5. Octavium Imberti in Opere Italico: *Scuſe, & Preteſti ne peccati, Breſcia* 1747. Sed in omnibus iſtis aut non multi, aut minus ſelecti ſunt Loci Patrum.

TITULUS XIV.

De *Exemplo* triplici ſenſu; ſcilicet: ut ad ædificationem, Confirmationem dictorum, & Cautelam facit.

CAPUT I.

Loci.

Auditur Philoſophus, dum videtur. Tertullianus *Libro de Pallio, cap.* 6.

Vides ergo, quoniam præcedit factum, ſubſequitur doctrina. Siquidem bene facere prima doctrina eſt. Ceſſantibus enim verbis hoc ipſum docet hominem opus optimum dum videtur. Quod etſi

etſi voce aures non excitet, virtute tamen corda compungat. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magiſtro utens ejus exemplo ducatur? Dictis ergo facta præcedunt, imo ſine factis dicta nihil proſunt. S. AMBROSIUS *creditus, Sermone* 60. *alias* 76. *vel* 23. *de Sanctis.*

Exaſperat enim hominem imperata correctio; blandiſſime jubetur exemplo. Idem falſo viſus de obitu Theodoſii Auguſti. Certe fruſtra quæras in oratione ea; ſed eſt ſynchroni quidem verum ſæcularis Auctoris, LATINI, *ſcilicet* PACATI, *Panegyri ad Theodoſium, quam habes inter Panegyricos Veterum, numero duodecim, egregie editos a Jacobo de la Baune, in uſum Sereniſſimi Delphini Gallicarum.*

Quam pulchrum eſt, ut videaris & profis! *Verus* AMBROSIUS *Sermone* 10. *in Pſalmum* 118. *verſu* 2.

Laconice divus CHRYSOSTOMUS *Homilia* 80. *in Matthæum, cum dixiſſet de exemplo Servatoris:* Hæc audientes præ pudore nos abſcondamus; quod tantum diſtamus ab illo, quem imitari jubemur!

Nihil frigidius doctore qui verbis tantum philoſophatur; neque enim hoc doctoris eſt, ſed hypocritæ. Idcirco Apoſtoli primum exemplo, hinc verbis docebant; imo non verbis opus habebant, operibus ipſis clamantibus. *Idem Homilia* 1. *in Acta, num* 3.

Cum juſtus peccet, ſalutem meam non jam deſpondeo. Cum eum e cœlo lapſum intueor, ipſius lapſus reſurrectionis occaſionem mihi prorigit. *Idem creditus, Homilia* 1. *in Pſalmum* 50. *num.* 2.

Si bene vixerint, eorum eſt lucrum, ſi bene docuerint, veſtrum. Accipite ergo, quod veſtrum eſt, & nolite diſcutere, quod alienum eſt. Frequenter enim & de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretioſum aurum producit. Numquid propter terram vilem pre-

pretioſum aurum contemnitur? Non; ſed ſicut aurum eligitur; & terra relinquitur; ſic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Auctor *Operis imperfecti, homilia* 43. *in Matthæum.*

S. Hieronymus, *loquens de tintinnabulis e veſte Sacerdotis Moſaici dependentibus:* Greſſus ejus, *inquit,* & motus, & univerſa vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet & ornatu; ut quidquid agit, quidquid loquitur, ſit doctrina populorum. *Epiſtola* 128. *nunc* 64. *ad Fabiolam.*

Filius Dei hominem aſſumpſit, & in illo humana perpeſſus eſt. Hæc medicina hominum tanta eſt, quanta non poteſt cogitari. Nam quæ ſuperbia ſanari poteſt, ſi humilitate filii Dei non ſanatur? quæ avaritia ſanari poteſt, ſi paupertate filii Dei non ſanatur? quæ iracundia ſanari poteſt, ſi patientia filii Dei non ſanatur? S. Augustinus *Libro de Agone Chriſtiano, cap.* 11.

Prudentem & ſapiens informat & ſtultus. Ille quid imitandum ſit docet; iſte quid vitandum. S. Eucherius *Paræneſi ad Valerianum, ad finem.*

Facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum. Validiora enim ſunt exempla quam verba, & plenius eſt opere docere quam voce. S. Leo *Sermone de S. Laurentio.*

Quod per linguam prædicamus, per exempla deſtruimus. S. Gregorius M. *Libro V. Indictione* 13. *Epiſtola* 20. *alias* 32. *ad Mauritium Imperatorem.*

Idem expendens illud, quod capite 3. *Ezechielis, verſu* 13. *dicitur, audiſſe Prophetam vocem alarum animalium, percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum ſequentium animalia, & vocem commotionis magnæ:* Quando (Reprobi) in viam Domini veniunt, non ad meliorum veſtigia, ſed ad intuenda ſemper deteriorum exempla vertuntur. Neque enim eorum vitam conſiderant, quibus ſe humilian-

liando poſtponant, ſed quibus ſuperbiendo ſe præferant. Deteriores namque reſpiciunt, quibus meliores ſe eſſe gloriantur: & idcirco proficere ad meliora non poſſunt, quia hoc ſibi ſufficere æſtimant, quod peſſimos antecedunt. O miſeri! viam pergunt, & in terga reſpiciunt. *Libro XXIV. Moralium, cap.* 8.

His ſubiicio quædam de Exemplo, quæ faciant ad *CAUTELAM.*

Quanta ignorantia veri eſt, animi quanta dementia id velle quod & nocuerit ſemper & noceat: & putare quod inde ipſa non pereas unde alios periiſſe cognoſcas? S. Cyprianus *Libro de diſciplina & habitu Virginum.*

Metuite quantum poteſtis ejusmodi caſus exitia, & in iſta ſubverſione labentium vos experimenta conterreant. Nimium præceps eſt qui tranſire contendit, ubi alium conſpexerit cecidiſſe, & vehementer infrænis eſt cui non incutitur timor alio pereunte. *Idem putatus, Libro de ſingularitate Clericorum.*

Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia quam delinquentium multitudo numeroſa. Unusquisque conſideret non quid alius paſſus ſit, ſed quid pati & ipſe mereatur: nec evaſiſſe ſe credat ſi eum interior pœna diſtulerit; cum timere plus debeat quem ſibi Dei judicis cenſura ſervavit. *Idem Libro germano de Lapſis poſt medium.*

Fuge hujusmodi exitum. Sed fugies hujusmodi exitum ſi fugeris hujusmodi flagitium. S. Ambrosius *Libro de Nabuth, cap.* 11.

Hæc ſi humili & contrito corde aſſidue cogitare volumus, ſalubrem nobis metum incutientes medicamenta nobis de alienis vulneribus facimus, & aliorum mors proficit ad noſtram ſalutem. S. Augu-

Augustinus *Sermone* 29. *in Appendice nova, alias* 102. *de tempore.*

Quid caveant homines diximus; quid vero ſi lapſi fuerint imitentur audiamus. Multi enim cadere volunt cum David, & nolunt ſurgere cum David. Non ergo cadendi exemplum propoſitum eſt; ſed ſi ceciderís reſurgendi. Attende ne cadas. Non ſit delectatio minorum lapſus majorum; ſed ſit caſus majorum tremor minorum. Ad hoc propoſitum eſt, ad hoc ſcriptum eſt, ad hoc in Eccleſia lectum, atque cantatum. Audiant qui non ceciderunt, ne cadant: audiant qui ceciderunt ut ſurgant. *Idem Enarratione in Pſalmum* 50. *initio.*

CAPUT II.

Fontes.

Clemens Alexandrinus *Libro I. Pædagogi, cap.* 3. de Chriſto Domino, ut exemplari.

S. Cyprianus *Libro jam laudato de ſingularitate Clericorum,* de exemplo ex caſibus alienis ſumendo.

Lactantius *Libro IV. divinarum Inſtitutionum, capitibus* 23. & 24. de neceſſitate exempli in Servatore. Item egregie *Libro III. cap.* 15. oſtendit, defuiſſe doctoribus Ethnicis exemplum, quo ante ipſi præſtarent, quæ ab aliis requirebant.

S. Basilius M. *Epiſtola* 79. *nunc* 223. *adverſus Euſtachium Sebaſtenum; Epiſtola* 1. *nunc* 2. *ad Gregorium Theologum:* Et *homilia* 17. *in Gordium Martyrem,* de efficacitate exempli.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 15. *initio,* illud ipſum oſtendit.

S. Gregorius Nyssenus *in Enarratione vitæ Moſis, initio, præclare.* Item *Oratione* 3. *de Oratione Dominica.*

S. Ambrosius *Libro* 1. *de officiis, cap. ultimo,* de exemplis Clericorum: *Libro II. de Virginibus, initio.*

tio, quam bonum ſit ducere per exempla majorum: *Libro II. de Abel & Cain, cap.* 3. ubi juſtis ob exempli utilitatem multos annos exoptat: *Libro de Nabuth*, *initio*, ſervit narrando facinori, quod in hunc usque diem multi alii ſolent perpetrare.

S. CHRYSOSTOMUS *Libro 6. de Sacerdotio*, de exemplo a duce exercitus petito.

Libro 1. *de compunctione cordis*, ne nos excuſemus a ſequendo Sanctos, quod nos Sancti minime ſimus.

Homilia 7. *in Geneſin*, de bono æque ac malo exemplo.

Homilia 11. *in Geneſin*, de exemplis Sanctorum.

Homilia de continentia Joſeph, de efficacitate exempli.

Homilia 1. *in Pſalmum* 50. plus exempla juvare, quam picturas: multa item de lapſu & pœnitentia Davidis.

Homilia 15. *in Matthæum*, in commendationem Exempli.

Homilia 27. *in Matthæum*, iterum de exemplo Davidis.

Homilia 65. *in Matthæum*, de probos potius attendendo, quam improbos.

Homilia 26. *in ad Romanos*, vis exempli boni vel mali.

Homilia 18. *in I. ad Corinthios*, quæ gloria Dei ex contuitu viri ſancti.

Homilia 3. *in II. ad Corinthios*, de vi exempli ad converſionem infidelium. Quod ipſum etiam habet *homilia* 9. *ad populum, ad finem.*

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 66. *alias* 26. *ad Pammachium*, de exemplo humilitatis Dominicæ. Item *Epiſtola* 118. *alias* 34. *ad Julianum, ad calcem*, inſpicienda eſſe potius exempla bona, quam mala.

S. AU-

S. Augustinus *Libro VIII. Confeſſionum, capitibus* 6. 7. 8. 11. quam ſit efficax exemplum bonum.

Libro III. de doctrina chriſtiana, cap. 23. quomodo utendum lapſibus virorum magnorum.

Libro de catechizandis rudibus, cap. 22. de geſtis, exemplo Domini contrariis.

Libro VII. de Trinitate, cap. 3. de exemplis illis ſingularibus, quæ dedit Servator in Incarnatione.

Libro XIII. de eadem, cap. 17. iterum agit de exemplo Domini.

Enarratione in Pſalmum 56. *initio.*

Sermone 371. *alias* 52. *de diverſis,* de exemplo Domini.

Sermone 351. *alias homilia ultima ex* 50. *ſub finem,* ſtultum eſſe, peccatis ſuis excuſationem prætexere ex peccatis Eccleſiaſticorum & Præpoſitorum.

S. Isidorus Pelusiota *Libro V. epiſtola* 151. ubi docet, exempla peccantium non excuſare peccatum.

S. Joannes Cassianus *Collatione XI. cap.* 2. ſpirantia exempla ſanctitatis in quibusdam monachis exhibet.

S. Eucherius *Parœneſi ad Valerianum, circa medium, fuſe & eleganter* de exemplo virorum inſignium.

Sixtus III. *creditus, Libro de divitiis, poſt initium,* exempla divitum exemplis Chriſti quam oppoſita.

S. Leo *Sermone* 2. *de Reſurrectione*, imitandum eſſe nobis exemplum Chriſti.

Eusebius Gallicanus *Homilia de S. Stephano,* quæ ſit merces præclaro exemplo: *Homilia* 7. *ad Monachos,* quam ſit utile exemplum in communi-

tate religioſa: *Homilia de pœnitentia Ninivitarum*, ut quæ exemplo ſuo hodieque proſit.

SALVIANUS *Libro* 2. *ad Eccleſiam Catholicam, poſt medium,* de exemplo Clericorum.

S. FULGENTIUS *Epiſtola 6. ad Theodorum Senatorem,* de vi exempli magnatum.

S. GREGORIUS M. *Libro XXX. Moralium, cap.* 24. Exempla Servatoris prorſus contraria moribus ac ſtudiis noſtris. Idem *Homilia* 10. *in Ezechielem* oſtendit, quomodo ſe viri ſancti exemplis mutuis exſuſcitent. Nec omittendum *caput* 59. *Libri IX. Moralium, ad verba:* Inſtauras teſtes tuos contra me. Ubi docet, Sanctorum exemplis accuſandos nos in judicio eſſe.

S. BERNARDUS *Sermone* 1. *in die Nativitatis Domini*, quantum nos exemplum Servatoris incitet ad humilitatem. *Sermone in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ,* jungenda doctrinæ bonæ exempla bona.

GUILIELMUS *Abbas S. Theodorici, Tractatu de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei, ante medium*, de proponendo ſibi ubique aliquo exemplari.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Libro de caſto connubio, cap.* 8. de exemplo Chriſti.

Plura vide *Libro noſtro I. Diſſertatione V. capite* 1. §. 5 ubi *fuſiſſime* de exemplo ad ædificationem. Item *Libro VII.* cum de Figura *Exempli,* in confirmationem dictorum. Denique Titulo: *Apoſtoli generatim.*

TITU-

TITULUS XV.

De *Fervore*, Profectu & Studio Perfectionis.

CAPUT I.

Loci.

Cum in terrena militia tantum homines laboris exhauriant, ut ea ſibi pariant quæ poſſunt eodem modo perire quo pacta ſunt: certe nobis nullus labor eſt recuſandus, quibus id aquiritur, quod nullo modo poſſit amitti. LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, cap.* 4.

Petiiſti a me chariſſime fili, ut tibi quænam ſit perfecta vita diligenter deſcribam. Quod te ideo velle non dubito, ut, cum inveneris quod quæris ad vitam tuam, quod inveniſti accomodes. Ego vero duo in hac re & ambo mihi pariter impoſſibilia conſpicio. Utrumque enim & perfectionem videlicet & vitæ rationem deſcribere, & quod ratione comprehendiſti in vita ipſa monſtrare, ſupra vires meas eſſe facile fateor; quippe qui putem multis etiam in virtute præſtantioribus & magnis omnino viris difficilia hæc eſſe dictu, imo vero impoſſibilia. Verum ne videar ibi timere, ut Pſalmiſta ait, ubi timor non eſt, planum id ita faciam. Perfectio in omnibus aliis quæ ſenſu percipiuntur terminis quibusdam comprehenditur, ut verbi cauſa in *quanto tam continuo*, quam diſcreto. Omnis enim menſura quantitatis propriis quibusdam terminis concluditur. Nam qui ad cubitum, vel ſenarium reſpicit numerum, non eſt neſcius, unde utrumque iſtorum incepit, & quo exivit, quibus illorum finis habeatur atque perfectio: in virtute vero hunc ab Apoſtolo perfectionis terminum eſſe didicimus, quod nullus in ipſa ſit terminus; quippe cum ille ipſe Paulus vir divinus & mente altiſ-

ſimus ſemper ac jugiter per virtutem ſuum curſum intenderet, nec unquam ad majora conſcendere negligeret. Non enim tutum illi erat a curſu deſiſtere. Cur ita? quoniam omne bonum ipſa natura qua bonum eſt, non habet terminum; ſed contrarii comparatione terminatur; ut vita morte, lux tenebris & omnino bonum omne in eo deſinit, quod ipſi contrarium eſſe intelligitur. Quare quemadmodum vitæ finis mortis initium eſt, ſic curſus ipſius finis qui ſecundum virtutem eſt vitioſi curſus initium invenitur. Non igitur falſo a nobis dictum eſt, impoſſibile eſſe perfectionem ac finem virtutis comprehendere. Demonſtratum enim jam eſt, quod nullis virtus terminis continetur. Nunc autem alterum etiam, quod ſcilicet impoſſibile ſit eis qui cum virtute vivunt ad perfectionem, finemque virtutis pervenire, nobis explanandum videtur. Primum igitur ac proprie bonum, cujus natura bonitas eſt, Deus dico ipſe, quodcunque natura eſſe intelligitur, idipſum & eſt & nuncupatur. Quæ quidem divina natura quoniam nullius virtutis terminus præter vitium eſt, ut jam rationibus comprobavimus (divinitas enim contrarium ſuſcipere non poteſt) interminata eſt ac infinita. At vero qui non ſimulate, ſed vere virtutem ſequitur, Deo qui perfecta virtus eſt participatione conjungitur. Deus autem terminum non habet. Quare cum ejus, quod natura bonum eſt, participes eſſe deſiderent qui illud noverunt: neceſſe eſt participantis quoque deſiderium cum ad interminatum infinitumque ſe ipſum extendat, nullum habeat exitum, quo ceſſare poſſit. Quas ob res ſi nullis vitæ perfectio terminis continetur: ſi virtutis idipſum terminus eſt quod interminata ſit, impoſſibile omnino eſt, ita perfectionem hanc aut re conſequi, aut verbis aſſequi, ut ad altiora nullus aſcenſus relinquatur. Quomodo igitur ad finem quæ-

quæſitum quiſpiam perventurus eſt cum finis nullus inveniatur? Non tamen quoniam quod quæritur exitum non habet idcirco præceptum illud Domini negligendum, quo dicitur: *Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Nam etſi totum conſequi nequeas, tamen in rebus omnibus quæ natura bonæ ſunt, non parvum eſt lucrum, niſi deſipias, vel partem earum aliquam conſequi. Omne igitur ſtudium, omnem curam, diligentiam denique omnem adhibeamus, ne ab ea perfectione decidamus, ad quam pervenire poſſibile ſit: tantumque ipſius poſſideamus, quantum capere poſſumus. Ita enim ſe habere ut ad ulteriora ſemper in virtute ac bono velis aſcendere, idipſum forſan humanæ naturæ perfectio eſt. S. Gregorius Nyssenus *initio Libri de vita Moſis, ſive de perfectione vitæ ex præſcripto virtutis inſtitutæ.*

Tamdiu non relabimur retro quamdiu ad priora contendimus; at ut cœperimus ſtare, deſcendimus noſtrumque non progredi jam reverti eſt. Auctor *Epiſtolæ ad Demetriadem, in Appendice Hieronymi, ad finem.*

Quantumcunque hic vixerimus, quantumcunque hic profecerimus, nemo dicat: Sufficit mihi, juſtus ſum. Qui dixerit remanſit in via. Non novit pervenire. Ubi dixerit ſufficit ibi hæſit. S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 69. *prope finem.*

Quantum mihi videtur in ea quæ perficienda eſt juſtitia multum in hac vita ille profecit qui quam longe ſit a perfectione juſtitiæ proficiendo cognovit. *Idem Libro de Spiritu & Litera, cap.* 36.

Fruſtra dicunt quidam ſe mori nolle ut proficiant; cum ipſe profectus eorum in eo ſit ut mori velint. Si ergo verum loqui volunt, non dicant: ideo mori nolo ut proficiam, ſed ideo mori nolo quia parum profeci. Itaque mori nolle fidelibus

non conſilium eſt ut proficiant, ſed indicium quod parum profecerint. Proinde quod nolunt ut perfecti ſint velint, & perfecti ſunt. *Idem Libro Quæſtionum Evangelicarum ſecundum Matthæum, ipſo fine.*

Temporalium quæ in hoc ſæculo habentur bonorum relictio ſive diſtractio non decurſus ſtadii eſt ſed ingreſſus: nec ut meta ſed janua eſt. Non enim athleta tum vincit cum exuitur; quia ideo nudatur ut incipiat dimicare; cum legitime certaverit coronandus. S. PAULINUS *Epiſtola 24. alias 2. ad Severum.*

Totis licet & animæ & corporis laboribus deſudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cœleſtibus bonis compenſare & offerre valebimus. Non valent vitæ præſentis obſequiis æternæ vitæ gaudia compenſari. Laſſeſcant licet membra vigiliis, palleſcant licet ora jejuniis; non erunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Pulſemus ergo chariſſimi in quantum poſſumus quia non poſſumus quantum debemus. EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia 3. ad Monachos.*

Quanto plus proficimus, tanto plus humiliemur; quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto plus proficiemus. Ille bene proficit, ille bene conſummat qui quotidie ſic agit quaſi ſemper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta debent eſſe profectuum. *Idem ibidem.*

Semper in ſummitate virtutis poſitus ſemper, quo creſcere poſſet, invenit. S. HILARIUS *Arelatenſis de S. Honorato, in vita.*

Natura noſtra manente adhuc mortalitate mutabilis etiamſi ad ſumma quæque virtutum ſtudia provehatur, ſemper tamen ſicut poteſt habere quo recidat, ita poteſt habere quo creſcat. Et hæc eſt perfectorum vera juſtitia, ut nunquam præſumant

ſe

ſe eſſe perfectos; ne ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes ibi incidant deficiendi periculum ubi proficiendi depoſuerint appetitum. S. Leo *Sermone 2. de Quadrageſima.*

Qui non proficit deficit, & qui nihil aquirit, non nihil perdit. *Idem Sermone 8. de Paſſione, ad finem.*

In hoc mundo humana anima quaſi more navis eſt contra ictum fluminis condeſcendentis. Uno in loco nequaquam ſtare permittitur; quia ad ima relabitur niſi ad ſumma conetur. S. Gregorius M. *Parte III. Paſtoralis curæ, Admonitione* 35.

Quemadmodum remiges adverſus fluminis impetum ſcapham impellentes, toto conatu remis incumbunt: ſic illos, qui adverſus carnis, dæmonis, mundique impetum animum in cœlum impellunt, toto pectoris impetu virtuti incumbere, impetumque impetu majori vincere neceſſe eſt. Quod ſi incumbere nolint, retro, ut ſcapha, ſic anima referetur. *Idem.*

Sancta deſideria dilatione creſcunt; ſi autem dilatione deficiunt, deſideria non fuerunt. *Idem Homilia* 25. *in Evangelia; propius initium.*

Tunc in Deo plene proficimus, cum a nobis ipſis funditus defecerimus. *Idem Libro XXII. Moralium, cap.* 19.

Indicium ergo tuæ conſummationis eſt, quod nunc cœpiſti: & in quo arbitrabaris te non comprehendiſſe, jam comprehenderas. Nemo quippe perfectus, qui perfectior eſſe non appetit: & in eo quisque perfectiorem ſe probat, quod ad majorem tendit perfectionem. S. Bernardus *Epiſtola* 34. *ad Drogonem Monachum.*

Aut aſcendas neceſſe eſt aut deſcendas. Si attentas ſtare ruas neceſſe eſt. Minime pro certo eſt bonus qui melior eſſe non vult: & ubi incipis nol-

l•fieri melior, ibi etiam deſinis eſſe bonus. *Idem Epiſtola* 91. *ad Abbates Sueſſione congregatos.*

Exultavit ut gigas adcurrendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit: & quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat aſſequi? Ideo Paulus ajebat: *Sic currite, ut comprehendatis.* Ibi tu chriſtiane fige tui curſus, profectusque metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam. *Idem Epiſtola* 253. *ad Abbatem Guarinum.*

Ad omnia viæ ac vitæ præſentis exercitia non ſolum ambulant, ſed & currunt, imo potius volant. *Idem Sermone* 3. *de Aſcenſione.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Ephræm *perpetuo, præcipue Sermonibus duobus in Patres defunctos. Tomo I. novo, græcolatino.*

S. Basilius M. *in Regulis brevioribus.*

In Regulis fuſius diſputatis.

Libro moralium.

Conſtitutionibus monaſticis.

Sermone de abdicatione rerum.

Sermone de cultu, ſive exercitatione monaſtica.

De inſtitutione monachorum, ſermonibus duobus.

Epiſtola 42. *ad Chilonem anachoretam*, de vita ſolitaria, cum annexa *admonitione brevi ad anachoretas juniores.* Solebat autem hæc Epiſtola in antiquis Editionibus ſeorſim inter Tractatus reponi.

S. Gregorius Nazianzenus *ad finem Orationis* 3. *quæ eſt prior in Julianum invectiva.*

S. Gregorius Nyssenus præter alia *laudato libro de vita Moſis* * de ſtudio proficiendi, & de perfectione agit.

Opuſcu-

* Confer iſta cum *Dialogo* 3. *Quæſtione* 171. *crediti Cæſarii, fratris S. Gregorii Nazianzeni*, quem dixi aliàs nihil

Opuſculo de perfectione Chriſtiani ad Olympium.
De propoſito ſecundum Deum.
Quid nomen, aut profeſſio Chriſtiani ſibi velit?
Orationibus octo de vita beata comparanda, ſeu de beatitudinibus Evangelicis.
Libro I. contra Eunomium, Editionis Gretſerianæ, pag. 56.
Orationis catecheticæ magnæ capite 1.
Oratione 2. *in verba:* Faciamus hominem, *poſt initium.*

S. Ambrosius *Apologia David priore, cap.* 2. Quo fervore juſti ſuos lapſus compenſent. Idem *in Pſalmum* 118. *ad illud:* Defecit in ſalutare tuum anima mea, de deſideriis juſtorum.

S. Chrysostomus *Homilia* 2. *in Geneſin*, de profectu ex verbo Dei.
Homilia 11. *in eandem*, multa huc & varia.
Homilia 28. *iterum in eandem*, ut ante multum & varie.
Homilia 64. *in Matthæum*, de natura & requiſitis ad chriſtianam perfectionem.
Homilia 8. *in Acta*, virtutis naturam ex ſeſe tendere ad profectum.
Homilia 12. *in ad Philippenſes*, de natura veræ perfectæque virtutis.

Sulpitius Severus *Epiſtola* 2. *ex primum repertis, quæ eſt ad Claudiam ſororem, atque egregie* prorſus huc facit.

Auctor *Epiſtolæ ad Demetriadem, optime profecto, & copioſe* excitat ad proficiendum.

S. Augustinus *Sermone* 169. *alias* 15. *de verbis Apoſtoli, cap.* 15. *egregie* de proficiendo agit. Idem *Libro & capite laudato de Spiritu & Litera, fuſius* oſtendit, neminem hic plane perfectum eſſe poſſe.

S. Pau-

---

hil earum Quæſtionum perſcripſiſſe, cum ſint meri centones ex Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nyſſeno, & nonnullis aliis conſuti.

S. Paulinus *citata, atque etiam aliis quibuſdam Epiſtolis.*

S. Joannes Caſſianus *in Collationibus Patrum, præſertim prioribus; nec raro in Libris de Inſtitutis Renuntiantium.*

S. Nilus *in ſententiis ſpiritualibus, atque aliis opuſculis aſceticis, fere omnibus.*

Euſebius Gallicanus *in homilijs ad Monachos* habet multa de fervore, ſtudioque proficiendi.

S. Diadochus *in centum capitibus de perfectione ſpirituali.*

S. Leo *Sermone* 5. *de Epiphania, circa medium.*

Theodoretus *Oratione de charitate* haud pauca habet de fervore, eaque prorſus *elegantia & pretioſa.*

S. Cæsarius *Arelatenſis homiliis* 18. 25. 36.

S. Joannes Climacus *Gradibus* 13. 27.

S Gregorius M. *Paſtoralis curæ loco citato*, ubi *fuſe* de profectu & tepore.

S. Dorotheus *in ſuis doctrinis* quamplurima affert pro hoc noſtro argumento.

S. Antiochus *Homilia* 87. etiam huc facit.

S. Joannes Damascenus *capite* 39. *Hiſtoriæ Barlaam & Joſaphat, poſt initium,* ſtimulat pulchre ad primum fervorem retinendum.

S. Theodorus Studita *in Sermonibus catecheticis* & ipſe eſt plurimus in hoc proficiendi argumento.

Georgius Nicomedienſis *Oratione* 2. *in conceptionem S. Annæ, ad finem.*

S. Petrus Damiani *Libro VI. epiſtola* 22. ubi pulchre in fervore exceſſum mavult, quam defectum.

S. Bernardus *Sermonibus* 3. & 6. *de Aſcenſione Domini* de fervore & tepiditate: *Sermone* 2. *in Purificatione B. Mariæ, in fine: Sermone* 1. *in Pſalmum* 90. *initio: Epiſtolis item* 385. *ad Monachos S. Bertini, & citata* 253. *ad Abbatem Guarinum.*

Richar-

Richardus a S. Victore *de gradibus charitatis.*

S. Laurentius Juſtinianus *Libro ſeu Tractatu de Perfectionis gradibus.*

Adde Titulos de *Amore Dei,* de *Tepore,* de *Statu religioſo,* de *Servitio divino.*

TITULUS XVI.

De *Fiducia* in Deum, & oppoſita illi diffidentia.

CAPUT I.

Loci.

Dominum Salvatorem vobiscum habetis, & periculum timetis? Vita vobiscum eſt, & de morte ſoliciti eſtis? Origenes *Homilia 6. de diverſis. Loquitur de diſcipulis Domini periclitantibus in navi.*

Næ ille miſerabilis cujus in homine mortali ſpes innititur! totum enim ejus auxilium cum extincto homine finitur. Minutius Felix *in Octavio, propius finem.*

Ibi eſt plus auxilii, ubi eſt plus periculi. S. Ambrosius *Libro de Joſeph Patriarcha, cap. 5.*

Hæc dico, ut nos quoque etſi ſint imbecilli a quorum parte ſtat jus, illorum partes tueamur: licet ſint potentes qui injuriam inferunt, ſocietatem illorum fugiamus. Vitium enim etſi ſecum habeat univerſum orbem terrarum, eſt omnium maxime imbecillum; virtus autem etſi ſola ſit, eſt omnium potentiſſima. Habet enim Deum ſecum ſtantem. Quis ergo ſervare poteſt eum qui a Deo oppugnatur? quis autem poteſt perdere eum cui ipſe

ipſe fert auxilium? S. Chrysostomus *Homilia in Pſalmum* 7.

Protegitur a mortalibus mortalis & ſecurus eſt: protegitur mortalis ab immortali, & timebit, & trepidabit? S. Augustinus *Enarratione* 2. *in Pſalmum* 26. *initio.*

Promiſſum reddi dubitas qui tale pignus tenes? *Idem Sermone* 155. *alias* 6. *de verbis Apoſtoli, ad finem.*

Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire quos emit. Non emit quos perdat. *Idem Sermone* 22. *alias* 109. *de tempore.*

Erubeſcat humana pigritia! plus vult ille dare, quam nos accipere: plus vult ille miſereri quam nos a miſeria liberari. *Idem Sermone* 105. *alias* 29. *de Verbis Domini.*

In omnibus Deum fidelem invenimus: in ultimo deficiet, & fallet? *Idem Enarratione in Pſalmum* 39. *ipſo fine.*

Quam ſecurus dormit, qui Deum ſuorum meruit habere cuſtodem? S. Chrysologus *Sermone* 7. *de theſaurizante in cælo.*

Homo homini exiguæ chartulæ obligatione conſtringitur: Deus tot ac tantis voluminibus cavet, & tamen debitor non tenebitur? *Idem Sermone* 25.

Accedamus filioli, quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio. Deum patrem viſcera ſentiant, vox perſonet, loquatur lingua, ſpiritus clamet, & totum quod eſt in nobis, reſpondeat gratiæ, non timori; quia qui judicem mutavit in patrem, amari voluit, non timeri. *Idem Sermone* 67.

O miſeria! o perverſitas! homini ab homine creditur, & non creditur Deo: humanis promiſſionibus ſpes commodatur, Deo negatur. Omnia denique in rebus humanis ſpes futurorum agunt: vita quoque ipſa hæc temporaria non niſi ſpe alitur ac ſuſti-

ſuſtinetur. Ideo enim terris frumenta credimus, ut cum uſuris credita recipiamus: ideo in vineis labor maximus ponitur, quia homines ſpes vindemiæ conſolatur: ideo negotiatores theſauros ſuos emptionibus vacuant dum venditionibus ſperant eſſe cumulandos: ideo navigantes vitam ventis ac tempeſtatibus credunt, ut ſpebus, votisque potiantur. Et quid plura? Pax quoque inter feras ac barbaras gentes ſpe innititur, & fide adſtipulante firmatur: latrones quoque ipſi & ſanguinarii fidem ſibi invicem negant, & quæ promiſerint mutuo ſervaturos eſſe confidunt. Totum denique ut dixi inter homines ſpebus agitur; ſolus Deus eſt de quo deſperatur: cumque elementa ipſa & naturam mundi Dominus noſter fidelem fecerit, illi tantum prope ab omnibus non creditur, qui ſolus fecit ut rebus omnibus crederetur. SALVIANUS *Libro 2. ad Eccleſiam Catholicam, ad finem.*

De Creatore deſperaſſe fuerat ſpem in creatura poſuiſſe. S. GREGORIUS M. *Libro XXII. Moralium, cap.* 2.

Fac tu quod tuum eſt; nam Deus quod ſuum eſt ſatis absque tua ſolicitudine & anxietate curabit. S. BERNARDUS *Libro IV. de Conſideratione, cap.* 2.

Quidni omnia poſſibilia ſint innitenti ſuper eum, qui omnia poteſt? Quantæ fiduciæ vox: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat!* Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit eos, qui in ſe ſperant. *Idem Sermone* 85. *in Cantica.*

CAPUT II.

Fontes.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 17. *ad cives Nazianzenos, gravi timore perculſos, egregie* animat atque fiduciam addit.

S. GRE-

S. Gregorius Nyssenus *Oratione in uſurarios*, cur Deo aſſeveranti non credamus, *præclare*.

S. Chrysostomus *Homilia, cum de expulſione ſua ageretur:* Item *Homilia in Pſalmum* 117. *præclare fuſeque*, de ſpe vel in mediis periculis: *Et Homilia in Pſalmum* 124. ubi iterum agit de fiducia. Pulcherrime etiam *Homilia* 23. *in Matthæum*.

S. Augustinus *Libro II. de Sermone Domini in monte, capitibus* 13. 14. 15. 16. 17. de fiducia in Deum quoad bona temporalia.

Enarratione 2. *in Pſalmum* 26. *numero* 5.

Enarratione in Pſalmum 39. jam ſuperius laudata.

Enarratione in Pſalmum 45.

Enarratione in Pſalmum 90. *tota*.

Enarratione in Pſalmum 145.

Sixtus III. *creditus, Libro de divitiis, poſt medium*, de fiducia in Deum circa corporis neceſſitates.

S. Chrysologus *Sermonibus pluribus, quos dixit continenter in Dominicam Orationem*.

Eusebius Gallicanus *Homilia* 2. *de ſymbolo*.

Salvianus *Libro* 4. *ad Eccleſiam Catholicam, prope finem:* Et *Libro* 2. *de Providentia, ſive Gubernatione Dei:* quo utroque loco puſillanimitatem incuſat.

S. Gregorius M. *Libro XXVI. Moralium, cap.* 20. *pulchre* contra diffidentiam. Vide etiam eundem Sanctum *Loco jam laudato, & tributa ipſi Explanatione in Pſalmum* 6. *pœnitentialem*.

S. Antiochus *Homiliis* 100. 101. 119.

Georgius Nicomediensis *Oratione* 2. *de ingreſſu in templum, ad finem*, egregie erigit animos. Alium pulchriorem locum ex eo dedi *Libro tertio de Eloquentia Patrum, in Appendice ad Diſſertationem de Eloquentia S. Joannis Damaſceni*.

S. Anselmus *Libro de menſuratione Crucis* (*in latitudine*) expromit rationes de ſpe omni in ſolo Domino reponenda.

S. Ber-

S. Bernardus *Sermonibus* 17. *in Pſalmum* 90. Qui habitat. Quid de iſtis ſentiamus, docere poteſt Diſſertatio de Eloquentia hujus S. Doctoris. Argumenta quod ſpectat, notandus præcipue eſt *Sermo nonus*.

Adde præter *Sermonem* 85. *in Cantica* paulo ante laudatum, *Sermonem* 30. *de diverſis, qui eſt de ſuperædificantibus lignum, fœnum, ſtipulam,* nullibi eſſe ſecuritatem extra ipſum Deum. Item *Sermonem* 68. *in Cantica*, ubi iterum, & *præſtanter* quidem animat ad fiduciam. Denique *Tractatum de Converſione ad Clericos, cap.* 30. ubi ad vitam meliorem fiducia magna aggrediendam hortatur.

S. Bernardinus Senensis *Tomo II. habet ſermonem contra fiduciam in ſe ipſum.*

His jungi poſſunt Tituli: *Spes & Deſperatio. Conformatio ad divinam voluntatem. Gratia. Præſumptio. Occaſio peccandi. Oeconomia, & his ſimiles.* Rurſum huc faciunt ex *Libro Octavo de Eloquentia Patrum* Specimina *Zeli*, & *Libro tertio decimo de eadem Eloquentia Patrum* Specimina *Affectuum ad Chriſtum patientem.*

TITULUS XVII.

De *Fine* ultimo Hominis.

CAPUT I.

Loci.

Homo cujus Deus eſt quid amplius quærit? Si ſufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus. *Creditus* Cyprianus *inter ſermones de Cardinalibus Chriſti operibus. ſermone de Aſcenſione.*

Ergo in Dei agnitione & cultu rerum ſumma verſatur, in hoc enim ſpes omnis ac ſalus hominis. Hic eſt ſapientiæ gradus primus, ut ſciamus quis ſit nobis verus pater, eumque ſolum pietate debita

proſequamur, huic pareamus, huic devotiſſime ſerviamus, in eo promerendo actus omnis & cura & opera collocetur. Lactantius *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, cap. 9.*

Illi ſæculi commoda in bonis ducunt, nos hæc in detrimentis. S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap. 9.*

Habemus hic felicitates diverſas generis humani, & miſer quisque dicitur, quando illi ſubtrahitur quod amat. Amant ergo homines diverſas res: & quando quisque quod amat habere videtur, felix vocatur. Vere autem felix eſt non ſi id habet quod amat; ſed ſi id amet quod amandum eſt. Multi enim miſeri ſunt magis habendo quod amant quam cavendo. Amando enim res noxias miſeri habendo ſunt miſeriores. S. Augustinus *Enarratione 2. in Pſalmum 26. prope initium.*

Eo (ad finem) eſt omnino tendendum, ad id conſilia noſtra referenda. Bonorum ſumma nobis Deus eſt. Deus eſt nobis ſummum bonum: neque infra remanendum nobis eſt, neque ultra quærendum. Alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt. *Idem Libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 8.*

Potes aurum perdere & nolens: potes domum, potes honores, potes ipſam carnis ſalutem; bonum vero quo vere bonus es nec invitus accipis, nec invitus amittis. *Idem Sermone 72. alias 12. de verbis Domini.*

Quidquid mihi præter illum eſt, dulce non eſt. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum & ſe mihi dat. *Idem Enarratione 2. in Pſalmum 26. ſupra laudata, inferius.*

Male mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed & in me ipſo, & omnis mihi copia quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt. *Idem Libro XIII. Confeſſionum, cap. 8.*

Væ

Væ animæ audaci quæ ſperavit ſi a te receſſiſſet ſe melius habituram. Verſa & reverſa in tergum & in latus, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies. *Idem Libro VI. Confeſſionum, capite ultimo.*

Quid tibi de his, quæ fecit Deus, ſufficit. cui Deus ipſe non ſufficit? *Idem Concione* 3. *in Pſalmum* 30. *ante medium.*

Homo, quid commune cum terris tibi, qui confiteris, tibi genus eſſe de cœlis? Ergo cœleſtem vitam monſtra in habitatione terrena; quia ſi quid in te geſſerit terrena cogitatio cœlo maculam, cœleſti generi injuriam intuliſti. S. Chrysologus *Sermone* 71. Et *brevius ſermone* 25. Quid cum terra illi qui poſſidet cœlum? quid illi cum humanis, qui adeptus eſt jam divina?

Homo! quare tibi tam vilis es, qui tam pretioſus es Deo? *Idem Sermone* 148. *poſt initium.*

Cum diligimus Deum omnia in ipſo reperimus. Unus eſt qui quæritur, ſed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! o compendium ſingulare! Cur nos per diverſa fatigamus? Ad ipſum ergo unanimiter feſtinemus, poſt quem cuncta bona ultra non quærimus, ſed tenemus? Cassiodorus *in Pſalmum* 33. *ad illud:* Inquirentes autem Dominum &c.

Humana anima ab unaquaque re, cui intenditur, faſtidio impellente removetur. Sed dum inhianter cogitanda appetit, & repente cogitata faſtidit, aliunde pendet, quæ quolibet poſita non requieſcit: ad illum quippe ſuſpenſa eſt, a quo formata. Et quia ad Deum ſolum appetendum facta eſt, omne autem, quod infra appetit, minus eſt, jure ei non ſufficit, quod Deus non eſt. Hinc eſt, quod huc illucque ſpargitur, & ab unaquaque re, ut diximus, faſtidio impellente removetur. Delectationis videlicet avida quærit, quo pauſet. Unum

 vero,

vero, quem ſufficienter habere poterat, amiſit. Unde nunc per multa ducitur; ut quia qualitate rerum non poteſt, ſaltem varietate ſatietur. S. Gregorius M. *Libro XXVI. Moralium, cap.* 44.

Cor parvum eſt, & magna cupit. Vix ad unius milvi refectionem ſufficere poſſet, & totus mundus ei non ſufficit! Hugo a S. Victore *Libro III. de Anima.*

Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis ceteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei quidquid Deo minus eſt non implebit. S. Bernardus *in Declamationibus ad illa verba:* Ecce nos reliquimus omnia, *num.* 25.

Magis famem hæc provocant, quam extinguunt. *Idem in iisdem Declamationibus, paulo ante.*

CAPUT II.

Fontes.

Lactantius *Libro II. Inſtitutionum divinarum, cap.* 1. *Libro III. earumdem, capitibus pluribus:* Et *Libro VII. iterum earumdem, cap.* 5. *ad finem.*

S. Basilius M. *Homilia in illud:* Attende tibi, de fine hominis ex ipſa adeo ſtructura illius.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione de mortuis, poſt initium,* de vero bono hominis. Item *Homilia* 8. *in Eccleſiaſten,* de malo uſu mediorum contra finem.

S. Chrysostomus *Homilia* 10. *in ad Philippenſes, fuſe & præſtanter* de recto uſu mediorum ad finem.

S. Augustinus *Libro de beata vita, atque aliis initio converſionis preſcriptis,* uti: *Tractatu de Epicureis & Stoicis. Libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ.*

His adde *Libri de Trinitate XIII. capita* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Epi-

Epiſtolam 155. *alias* 52. *ad Macedonium.*
Enarrationem 2. *in Pſalmum* 26. *jam laudatam.*
Concionem 2. *in Pſalmum* 32.
Concionem 2. *in Pſalmum* 48.
Concionem 1. *in Pſalmum* 118.
Sermonem 255. *alias* 1. *de diverſis &c. &c.*

S. Chrysologus *Sermone* 148. alia huc, atque illa egregia habet.

S. Eucherius *Parœneſi ad Valerianum* multa huc inde ab initio, quæ ſint maxime ad propoſitum noſtrum.

Eusebius Gallicanus, *vel potius idem Eucherius homilia de SS. Epipodio & Alexandro*, non poſſe hac in vita beatitudinem a nobis expectari.

Severinus Boethius *Libris quatuor prioribus de conſolatione Philoſophiæ.*

Hugo Victorinus *Tractatu de fine hominis.*

S. Bernardus *fuſe & cum affectu ſermonibus* 1. & 2. *de Diverſis:* Item *Sermone* 18. *in Cantica: Tractatu de diligendo Deo, ante medium:* Et *in Declamationibus ad illa verba:* Ecce nos reliquimus, *ſupra jam capite primo allegatis.*

Joannes Saresberiensis *fuſe* agit de Beatitudine *Libris VII. & VIII. Policratici, ſive de nugis curialium.*

Adde Titulos: *Deus. Cœlum. Homo. Lætitia vera, falſaque &c.*

Item Patres eos, qui ſpeciatim in *octo Beatitudines* ſunt commentati. Sunt enim in eo argumento complura iſtuc ſpectantia. Commendo autem præcipue elegantiſſimam *Homiliam*, quam *de Beatitudinibus* eſt legere apud *S. Chromatium, Aquilejenſem Epiſcopum.* Denique huc faciunt, quæ Patres nonnulli, ut *Origenes Homilia* 2. *in Judices:* Item *Hieronymus in caput VI. Matthæi, ad illud:* Ubi eſt theſaurus tuus, & *Libro* 2. *in cap. III. ad Epheſios,*

 ſed

ſed & alii nonnulli de morali Idololatria Chriſtianorum perſcripſerunt.

TITULUS XVIII.

De *Fortitudine*, vera & falſa.

CAPUT I.

Loci.

Quanta ſublimitas, inter ruinas generis humani ſtare erectum! S. Cyprianus *Libro de mortalitate.*

Voluptatem viciſſe voluptas eſt maxima, nec ulla major eſt victoria quam ea quæ de cupiditatibus refertur. Qui hoſtem vicit, fortior fuit, ſed altero; qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit. Qui inimicum proſtravit, externum hoſtem percuſſit, qui cupiditatem depreſſit hoſtem domeſticum ſuperavit. *Idem Libro de bono Pudicitiæ, poſt medium.*

Opera ſunt iſta fortis viri, hominis tamen: illa enim, quæ vicit, fragilia & mortalia fuerunt. *Nulla enim eſt*, quod ait Orator, *tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari, frangique poſſit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortiſſimi eſt: quæ ille nec fecit unquam*, nec potuit. *Hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum* Deo judico . . . Non enim fortior judicandus eſt, qui leonem, quam qui violentam in ſe ipſo incluſam feram ſuperat iracundiam: aut qui rapaciſſimas volucres dejicit, quam qui cupiditates avidiſſimas coercet: aut qui Amazonem bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris, ac famæ debellatricem: aut qui fimum de ſtabulo, quam qui vitia de corde ſuo egerit; quæ magis ſunt perniciosa, quia domeſtica, & propria mala ſunt, quam illa quæ & vitari poterant, & caveri. Ex quo fit, ut ille ſolus vir

vir fortis debeat judicari, qui temperans eſt, moderatus & juſtus. Lactantius *Libro I. Inſtitutionum divinarum, cap.* 9. *loquens de fortitudine gentilium, præcipue Herculis.*

Fortitudo quæ hominibus eſt cum feritate communis, omne jus in viribus habet. Quod facere prævaluerit, æſtimat rectum, ideoque ſine ulla reverentia divinæ atque humanæ religionis delet abrupte igni ferroque cum ſua ſibi tota ſubſtantia incolas civitates & rura, nihil omnino metuens amicæ mortis fiducia. S. Zeno *Sermone de Juſtitia.*

Egregie in milites & duces fortitudinem jactantes S. Gregorius Nyssenus: Qui legiones armatas fuderunt, atque fugarunt, mulieris forma perculſi ceciderunt: ita qui viros vicerunt, mulieribus pervincuntur. *Libro de vita Moyſis, ad finem. Loquitur autem de Iſraelitis, quos fœminæ Moabitides ad luxuriam inflexerunt.*

Non eſt igitur mediocris nec diſcreta a ceteris animi fortitudo, quæ bellum cum virtutibus gerat, ſed quæ ſola defendat ornamenta virtutum omnium, & judicia cuſtodiat, & quæ inexpiabili prælio contra omnia vitia decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigida adverſus voluptates. S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 39.

Tanta, tamque valida res eſt virtus, tamque imbecillis malitia, ut illa quidem, licet patiatur, vincat; hæc vero etſi quid agat, nihil aliud proficit, quam quod ſuam prodat infirmitatem. S. Chrysostomus *Homilia* 51. *in Geneſin, in fine.*

Cum fortis ille dicatur, qui neminem timet; perverſe fortis eſt, qui Deum non vult timere. S. Augustinus *Sermone* 348. *alias* 214. *de Tempore.* *

* Sententia plane facta pro animalibus illis, quæ *Spiritus fortes* hodie appellitantur.

Non vincitur niſi ille, cui eripitur ab adverſario id quod amat. Qui ergo id amat ſolum, quod amanti eripi non poteſt, ille invictus eſt. *Idem Libro de vera Religione, cap.* 46.

Nolumus ab hominibus vinci, & iram non poſſumus vincere. Qua turpitudine quid execrabilius dici poteſt. Quanto honeſtius homo nos vincit, quam vitium? *Idem Libro eodem, cap.* 45.

Bella gerentium legimus ſuperaſſe quam plurimos; quos tamen pugnas carnis legimus non viciſſe, regnis fuiſſe terrori, ludibrio fuiſſe peccatis. S. Chrysologus *Sermone* 41.

Nihil fortius adverſariis tuis ante aciem; ſed cum belli cecinerint claſſica, nihil infirmius. Maxima in certaminis promiſſione virtus: & ſi ſufficeret lingua pro dextris, copia ſumma virtutum. S. Ennodius *in Panegyri dicta Regi Theodorico.*

Nihil aliud magnum in rebus humanis, niſi animus magna deſpiciens. S. Martinus Bracarensis *cap.* 2. *de quatuor virtutum Cardinalium differentia.*

Magnarum rerum etiamſi ſucceſſus non fuerit, honeſtus eſt ipſe conatus. *Idem in ſententiis de Moribus.*

Non eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate. S. Bernardus *Epiſtola* 256. *ad Eugenium Papam.*

Infelix Victoria, quæ ſuperans hominem ſuccumbit vitio! *Idem vir ſanctus Exhortatione ad milites templi, numero* 2.

Si dura fronte ſunt, durato & tu econtra tuam. Nil tam durum, quod duriori non cedat. *Idem Libro IV. de Conſideratione, cap.* 3.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *in fine Apologetici, & in libello ad Martyras* de fortitudine falſa Gentilium.

Cle-

Clemens Alexandrinus *Libro IV. Strommatum* & ipſe de falſa fortitudine hæreticorum agit. Idem *Libro VII. Strommatum* de fortitudine vera & chriſtiana agit.

Origenes *Libro* 5. *contra Celſum.*

Minutius Felix *in Octavio,* propius finem, de vera & admirabili fortitudine chriſtiana.

S. Cyprianus *Libro contra Demetrianum,* & in variis, quæ ſcribit *de Martyribus*

Lactantius *Libro V. & VI divinarum Inſtitutionum* de fortitudine imaginaria. *Et ſupra Libro I. cap.* 19.

S. Basilius M. *Conſtitutionum monaſticarum, cap.* 11.

S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, capitibus* 35. 36. 38. multa de fortitudine: *Et cap.* 42. de fortitudine inconſulta offerentium ſe periculis, & aliorum infirmiorum jacturam ſuæ conſtantiæ probationem facientibus.

S. Chrysostomus *Homilia* 17. *ad populum* de diſcrimine, quod eſt inter fortitudinem veram evangelicam, & Thraſonicam Philoſophorum, *præclare.*

Adde *Homiliam* 8. *ad populum* de fortitudine Heliæ & aliorum.

Librum de S. Babyla, & contra Gentiles, de fortitudine Babylæ.

Homiliam 4. *de Laudibus S. Pauli,* de fortitudine hujus Apoſtoli.

Homiliam in SS. Martyres totius orbis.

Opuſculum in Clericos, qui habent contubernia mulierum.

Homiliam 19. *in II. ad Corinthios* de fortitudine corporis, & animi oppoſita.

Ecloga 32. *Tomo XII. Montfauconi* de magnanimitate, & fortitudine.

S. Augustinus *Libro de vera Religione, capitibus* 45 & 46. ſolidiſſime de fortitudine agit.

Libro IV. in Julianum, capitibus 3. *&* 5. de fortitudine falſa.

Libro de Patientia, cap. 3. de eadem, ubi tamen patientiam pro fortitudine ſumit. Sed & alia ejus Libri huc faciunt.

Libro V. contra Fauſtum.

Sermone 289. *Appendicis novæ, alias* 243. *de tempore,* ubi plangit, tot viros fortes & militares a fœminis ſuperari.

S. Cassianus *Collatione XVII. cap.* 23. de fortitudine, quæ eſt in cedendo.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libris* 4. *&* 5. *de adoratione in Spiritu & veritate:* Et *Homiliis Paſchalibus* 4. 7. 18. 19. *præcipue vero* 10.

Eusebius Gallicanus *Homilia de S. Blandina.*

Theodoretus *Sermone* 10. *de Providentia,* ubi agit de fortitudine Sanctorum. Item *Libris* 8. *&* 9. *de Græcarum affectionum curatione*, de eadem.

S. Valerianus Cimeliensis *Homilia* 15. Neminem tam fortem inveniri, ut non egeat auxilio fortioris.

Julianus Pomoerius *Libro III. de vita contemplativa, cap.* 20.

S. Martinus Bracarensis *Opuſculo citato de quatuor virtutum Cardinalium differentia, cap.* 6.

S. Joannes Climacus Gradu 21. de Timiditate.

S. Gregorius M. *Libro VII. Moralium, cap.* 21. 22. 23. Præcipue vero inter ſe comparat fortitudinem bonorum & malorum; ubi hanc, iſtorum præſertim, egregie deſcribit. Idem de fortitudine fuſe agit *Libro XXXI. eorumdem Moralium, capitibus pluribus.*

Hildebertus Cenomanensis *Libro de honeſto & utili.*

S. Bernardus *Sermone de S. Clemente, & Sermone* 66. *in Cantica.* Adde *finem Epiſtolæ ejus* 1. ubi militariter plane ad fortitudinem cohortatur.

Uraa-

Urbanus V. *Papa, in Metaphraſi Pſalmi* 50. *ad illud:* Sacrificium Deo Spiritus contribulatus; ubi victoriam de ſe relatam palmis omnibus aliis præponit.

Adde Titulos: De *Martyribus.* De *Fiducia.* Item *Specimina audaciæ*, & ſimilia. Item ſi velis Philonem *Hebræum*, opuſculo *de fortitudine.*

TITULUS XIX.

De *Gratitudine* & Ingratitudine erga Deum ac Homines.

CAPUT I.

Loci.

Negat beneficium, cum beneficium non honorat. Tertullianus *Libro de Pænitentia, cap.* 5.

Eſto itaque mea hæc oratio chariſteria, hoc eſt gratiarum actionis. Erga Deum ſane univerſorum dicere non auſim; etenim ab illo quidem omnia nobis bonorum initia ſunt: ab eo nos agendarum gratiarum, & hymnorum ac laudum primordia ducere oportet. Sed ne ſi quidem me totum, non qualis nunc ſum profanus & impurus, & tetro atque immundo malo conſperſus & permiſtus, ſed nudum ac puriſſimum clariſſimumque & ſinceriſſimum, & ab omni labe alienum: nec ſi totum inquam, nudum me, velut recens natum offeram, dignum tamen a me ullum in pretium & compenſationem omnium Principi & Auctori munus attulerim. Quem nec privatim ſinguli, nec ſimul univerſi, non ſi in unum idemque pura omnia coaleſcant & a ſe ipſis diſcedentia ad eum tota convertantur, uno ſpiritu unoque & conſono ſenſu conjuncta, digne unquam venerari ac laudare queant.

Quod

Quod enim de Deo homo quiſpiam recte cogitare ac perfecte, ſi dici fas ſit, loqui pro dignitate poſſit, pro hac ipſa facultate, qua ornatus eſt, quam non ab alio ullo, ſed ab ipſomet accepit, nihil utique aliunde habere poteſt majus quod ad gratiarum actionem retribuat. S. GREGORIUS NEOCÆSARIENSIS, *ſive Thaumaturgus, in Panegyri, quam Magiſtro ſuo Origeni dixit, ex Verſione Sirmondiana, quæ multum præſtat Höſchelianæ. Miror autem Gerardum Voſſium, Editorem hujus S. Doctoris, nullibi vel verbulo ſignificare, Sirmondum orationis ejus Interpretem eſſe; verum ita ubique ſe gerere, ac ſi a ſe ipſo profectus iſte egregius labor eſſet.*

Illud minime dubium eſt, quin etiamſi omnia contulerimus, minus tamen collaturi ſimus quam accepimus; quandoquidem divini beneficii eſt quod ſumus, quod Deum cognoſcimus, quodque etiam quod offeramus habemus. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione 9.*

Cum multa ac varia a divina gratia bona nobis obtigerint, unum hoc ad retributionem eorum, quæ accepimus, habemus, ut per orationem pariter & gratiarum actionem benefactorem remuneremur. Exiſtimo igitur quodſi vel per totam vitam orando atque gratias agendo ſermocinationem cum Deo continuemus, tantum ab ea, quam fieri par eſſet retributione abfuturi ſimus, quantum ſi nec omnino quidem ab initio remunerari benefactorem in animum induxiſſemus. In tres partes ſpatium temporis dividitur, in præteritum, præſens & futurum. In tribus beneficium Domini deprehenditur. Si quod præſens eſt conſideraveris, per ipſum vivis: Si futurum, ille tibi earum rerum, quæ ſunt in expectatione, ſpes eſt: Si præteritum, non eſſes, niſi prius ab illo factus eſſes. Id ipſum quod natus es ab illo beneficium accepiſti: ac poſtquam natus es, beneficio afficeris, dum per illum & vivis &

moveris, ut inquit Apoſtolus. Rerum futurarum ſpes ex eodem beneficio pendet. Tu vero ſolius præſentis compos es. Itaque ſi vel per omne usque tempus vitæ gratias agere Deo non intermiſeris, vix præſentis temporis gratiam explebis; cum interim nullam rationem excogitare poſſis qua vel futuri vel præteriti temporis debita compenſentur. Nos autem, qui tantum abſumus a poteſtate debitæ gratiarum actionis ne in eo quidem, quod a nobis fieri poteſt, animi gratitudinem præſtamus, non dico totum diem, ſed ne exiguam quidem diei partem vacationi divinæ tribuentes &c. S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 1. *in Orationem Dominicam.*

Nullum referendæ gratiæ majus officium. Quod ſi homini non referre ſimile homicidio judicatum eſt, quantum crimen eſt non referre Deo? S. Ambrosius *Libro de obitu fratris Satyri, poſt medium.*

Gratiam & qui reddit habet, & qui habet eo ipſo quod habet ſolvit. Nam & reddendo habetur, & habendo ſolvitur. *Idem Libro VI. in Lucam, ad caput* 7. *Et alibi:* Etſi non habet unde reddat pecuniam, refert gratiam, in quo certum eſt, quod plus reddat, quam acceperit. Pecunia enim nummo ſolvitur; gratia nunquam exinanitur. Reddendo vacuatur pecuina; gratia autem & habendo ſolvitur, & ſolvendo retinetur. *Idem Libro II. de Officiis, cap.* 25.

Nihil tam acceptum Deo, ut anima grata, & gratias agens; nam cum innnumeris beneficiis quotidie omnes nos proſequatur, ſive velimus, ſive nolimus, ſive ea ſciamus, ſive ignoremus; nihil tamen aliud a nobis exigit, quam ut habeamus gratiam pro iis, quæ nobis conceſſa ſunt, ut pro illa ipſa gratiarum actione ad ampliora danda provocetur. S. Chrysostomus *Homilia* 52. *in Geneſin.*

Nihil eſt lingua illa ſanctius, quæ in malis Deo agit gratias. *Idem Homilia* 8. *in ad Coloſſenſes, num.* 5.

(Domi-

(Domine!) Tibi gratias agere licet, referre non licet. S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 44.

Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quam *Deo gratias?* Hoc nihil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt. *Idem Epiſtola* 5. *alias* 77. *ad Marcellinum.*

Quoniam non habet quod pro tantis beneficiis Deo retribuat, quid ei reſtat niſi gratias agere, non rependere? *Idem Enarratione in Pſalmum* 134.

Extendit (Dominus) ſuper ſpes tuas munera ſua: & quod eſt maximum, ac rariſſimum, dona illius etiam tua vota vicerunt. Salvianus *Libro* 2. *ad Eccleſiam Catholicam, initio.*

Si quando proſperi aliquid præter ſpem noſtram & meritum Deus tribuat, alius hoc adſcribit fortunæ, alius eventui, alius ordinationi ducum, alius conſilio, alius patrocinio, nullus Deo. *Idem Libro* 7. *de Gubernatione Dei.*

Ille nobis ad hoc bona præſtat, ut boni ſimus: nos e diverſo quoties bona accepimus, mala noſtra cumulamus: ille nos beneficiis ſuis vocat ad probitatem; nos ruimus in improbitatem: ille beneficiis ſuis provocat ad compunctionem; nos ruimus in diſſolutionem: vocat ille ad caſtitatem, & nos ruimus in impuritatem. Præclare videlicet ſacris muneribus reſpondemus, præclare dona ejus vel agnoſcimus, vel honoramus; qui quantum ab eo beneficii accepimus, tantum ei injuriarum rependimus. *Idem Libro 6. de eadem Gubernatione.*

Ecce per me ſervum ultimum, ſuum & veſtrum reſpondebit Chriſtus dicens: Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite Cæſarem, & de Cæſare Imperatorem feci. Sacerdotes meos tuæ manui commiſi: & tu a meo ſervitio milites tuos ſubtrahis? Reſponde rogo piiſſime Domine ſervo tuo,

tuo, quid venienti & hæc dicenti reſponſurus es in judicio Domino tuo. S. GREGORIUS M. *Libro III. Indictione* 11. *Epiſtola* 65. *alias* 62. *ad Imperatorem Mauritium. Augetur Loci vehementia, ſi tranſitu facto ad beneficia ſpiritualia, militibus generatim omnes eos ſubſtituas, quos quis ſervitio Dei ſubtraxit.*

Grave eſt, eum, qui beneficiis obſtrictus eſt, & gratiarum maximarum reus, non modo ingratum eſſe, verum etiam contumelias & probra rependere. Grave, inquam, iſtud eſt; at facienti gravius malum eſt, quam patienti. S. JOANNES DAMASCENUS *Libro I. Parallelorum, cap.* 29. *nunc Titulo XXIX. litera α. Citat autem Baſilium, cujus fontem operoſum nunc fuerit inquirere.*

Felix, qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum; cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora accipere mereamur. Omnino enim ſola nos a profectu converſationis impedit ingratitudo noſtra; dum quodammodo reputans dator quod ingratus accepit, cavet ſibi de cetero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato. S. BERNARDUS *Sermone* 27. *de diverſis, contra peſſimum vitium ingratitudinis.*

Itane aquam petit a rivulo fons indeficiens? Petit ſine dubio; aut certe repetit magis. *Ad fontem* enim, *unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Non vero ut minus habens quod dederat Chriſtus repetit; ſed ne tibi pereat quidquid ad eum referre nolueris. Siquidem etiam fluminis aqua ſiſtere cœperit, & ipſa putreſcet, & inundatione facta ſuperveniens repelletur. Sic plane ſic gratiarum ceſſat decurſus, ubi recurſus non fuerit: nec modo nihil augetur ingrato; ſed & quod acceperat vertitur ei in perniciem. *Idem Sermone in Quadrageſima.*

CA-

CAPUT II.

Fontes.

ARNOBIUS *Senior Libro I. contra Gentes, num.* 23. de gratitudine ob agnitam veritatem divinam.

S. BASILIUS M. *Homiliis* 4. *quæ inſcribitur de gratiarum actione; &* 5. *quæ inſcribitur in Martyrem Julittam. Utrobique autem egregia, imo ſplendida affert.* Idem videndus *Reſponſione ad quæſtionem* 2. *Regularum fuſius diſputatarum*, ubi illud oſtendit, ſummum dedecus, ſummumque eſſe dolorem, ſi Dæmon noſtri cauſa poſſit Domino exprobrare, quod poſt tot, tantaque beneficia ne tantum quidem, quantum ipſe maleficiis ſuis obtineat. *Præclare illud & vehementer.* Item *Homilia* 9. *in Hexaëmeron,* ubi exemplo canum pudorem incutit ingratis hominibus.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 16. *de pauperum amore* conqueritur fuſius de ingratitudine noſtra. Idem facit *Carmine* prolixo *de Epiſcopis.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione ſupra allegata.*

S. AMBROSIUS *Libro I. de Officiis, capitibus* 3. *&* 31.

Libro II. de iisdem, capite 24.

Libro de Jacob, & vita beata; fuſe & excellenter.

Libro de Noë & Arca, cap. 22.

S. CHRYSOSTOMUS *Libro* 2. *de compunctione cordis, poſt medium*, ubi plura huc late.

Homiliis 9. *ad finem* 13. 16. *iterum ad finem, ac* 26. 27. *initio in Geneſin.*

Homilia in illud Pſalmi: Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

Homilia 26. *in Matthæum præclare.*

Homilia 61. *in eundem.*

Homilia 38. *in Acta, graviſſime, fuſeque.*

Homilia

Homilia 5. *in ad Romanos, profecto magnifice,* an & 2?

Homilia 2. *in II. ad Corinthios*, beneficium generale non minui diffuſione ſua, ſed augeri.

Homilia 8. *in ad Coloſſenſes.*

S. Hieronymus *in caput* 12. & 13. *Oſeæ*, de ingratitudine populi Judaici; ad verba: *Ego Dominus, Deus tuus, eduxi te de terra Ægypti.* Et: *Elevaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei.* Adde ejusdem *Commentarios in caput* 1. *Malachiæ, & caput* 3. *Sophoniæ.*

S. Augustinus *Libro de diligendo Deo, fuſe.* Et *Libro de ſpiritu, & anima.*

S. Paulinus *Epiſtola* 23. *olim* 4. *ad Severum.*

S. Cassianus *Collatione IX. capitibus* 14. & 15.

S. Isidorus Pelusiota *Libro III. epiſtola* 59. *laconice* invehens in ingratum.

Eusebius Gallicanus *Homilia ad plebem obtrectatricem*, beneficium commune ex eo non minui, quod a ſingulis accipiatur.

S. Maximus Taurinensis *habet duas homilias de diverſis*, ubi agit de gratiis poſt cibum, item mane, ac veſperi.

Theodoretus *Oratione* 3. *de Providentia*, ſed & alibi ſparſim in eo opere.

S. Leo *Sermone* 5. *de Jejunio*, de ratione habendi grates pro frugibus terræ.

Salvianus *Libro* 2. *ad Eccleſiam Catholicam, initio*, enumerat egregie divina beneficia. Sed & alia huc habet. Adde *Libros* 4. 6. & 7. *de gubernatione Dei*, ubi varia pro argumento noſtro reperies.

S. Gregorius *M. in Libros Regum, fuſe.*

S. Antiochus *Homilia* 117.

Philo, *falſo dictus* Carpathius, *in illud Canticorum* 7. Comæ capitis tui ſicut purpura &c.

FRANCO *Affliginenſis Libris XII. de gratia, ſeu beneficentia Dei.*

HILDEBERTUS *Cenomanenſis Sermone* 99. *de præclaris in nos Chriſti beneficiis.* Item *Sermone* 106. *de Gratitudine erga Deum.* Item *Libro de honeſto & utili* agit de gratitudine & ingratitudine.

S. ANSELMUS *a Meditatione* 14. *uſque ad* 20. *Parte II. Operum, editionis novæ.*

S. BERNARDUS *Sermone citato contra peſſimum vitium ingratitudinis*

Tractatu de diligendo Deo, fuſe.

Epiſtola ad Haimericum Cancellarium, numero 181.

Sermone de quadruplici debito, inter diverſos 22.

Sermone de ſeptem miſericordiis, inter diverſos 13.

Sermone 11. *in Pſalmum* 90. Qui habitat.

Sermonibus 13. 14. 16. 51. *in Cantica.*

JOANNES ANTONIUS CAMPANUS *Tractatu de Ingratitudine.*

S THOMAS A VILLANOVA *Concione* 1. *in Natali Domini, & Concione* 3. *in Dominicam XVII. poſt Pentecoſten.*

TITULUS XX.

De *Humilitate.*

CAPUT I.

Loci.

Fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas. Nec in cœlo ſtare potuit ſuperba ſublimitas. S. CYPRIANUS *creditus, Sermone de Nativitate Domini.*

Meliora ſunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum ſuperbia. S. OPTATUS MILEVITANUS *Libro* 2. *de Schiſmate Donatiſtarum.*

Multi

Multi habent humilitatis ſpeciem, virtutem non habent: multi eam foris prætendunt, & intus impugnant: ad lucrum præferunt, ad veritatem abjurant. S. Ambrosius *Epiſtola* 2. *olim* 44. & 19. *ad Conſtantium.*

Oſtende mihi cordis tui humilitatem, ut titulos virtutis oſtendas. *Idem Enarratione* 20. *in Pſalmum* 118.

Quantumcunque te dejeceris, humilior Chriſto non eris. S. Hieronymus *Epiſtola* 26. *nunc* 66. *ad Pammachium.*

Nec ſatis religioſa velis videri, nec plus humilis quam neceſſe eſt. Ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis, miſericordiæ, atque jejunii arbitros declinantes hoc ipſo cupiunt placere quod placere contemnunt: & mirum in modum laus dum vitatur appetitur. *Idem Epiſtola* 22. *ad Euſtochium.*

Nihil habeas humilitate præſtantius, nihil amabilius. Hæc eſt enim præcipua conſervatrix & quaſi cuſtos quædam virtutum omnium: nihilque eſt quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat quam ſi vitæ merito magni, humilitate infimi ſimus. *Idem, vel quisquis eſt auctor Epiſtolæ ad Celanthiam.*

Humilitatem ſequere non quæ oſtenditur, atque ſimulatur geſtu corporis aut fracta voce verborum; ſed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud eſt enim virtutem habere, aliud virtutis ſimilitudinem; aliud rerum umbram ſequi, aliud veritatem. Multo deformior eſt illa ſuperbia quæ ſub quibusdam humilitatis ſignis latet. Neſcio enim quomodo turpiora ſunt vitia, quæ virtutum ſpecie celantur. *Idem eadem Epiſtola.*

Minima fuit inter omnes, ut omnium major eſſet: & quanto ſe plus dejiciebat, tanto magis a Chriſto ſublevabatur. Latebat & non latebat. Fu-

giendo gloriam gloriam merebatur, quæ virtutem quaſi umbra ſequitur, & appetitores ſui deſerens appetit contemptores *Idem Epiſtola* 27. *nunc* 105. *quæ eſt Epitaphium Paulæ.*

O vere beata humilitas quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradyſum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit. S. AUGUSTINUS *Sermone* 208. *Appendicis novæ, olim* 35. *de Sanctis, ſeu* 2. *de aſſumptione.*

Quis non velit ire ad exaltationem? omnes delectat celſitudo, ſed humilitas gradus eſt. Quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non aſcendere. A gradu incipe, & aſcendiſti. *Idem Sermone* 96. *alias* 47. *de diverſis.*

Menſura humilitatis unicuique data eſt ex menſura magnitudinis. *Idem Libro de ſancta Virginitate, cap.* 31.

Melior eſt in malis factis humilis confeſſio, quam in bonis ſuperba gloriatio. *Idem in ſententiis a Proſpero collectis.*

Simulatio humilitatis major eſt ſuperbia. *Idem Libro ſupra dicto de ſancta Virginitate, cap.* 43.

Jam videte fratres, ſi amplius ægrotare debet genus humanum accepta tanta medicina! Jam humilis Deus, & adhuc ſuperbus homo! *Idem Sermone* 142. *alias homilia* 34. *ex* 50. Rurſum *Libro de catechizandis rudibus* ait: Dominus Jeſus Chriſtus, Deus & homo, eſt humanæ humilitatis exemplum, ut magnus tumor noſter majore medicina contraria ſanaretur. Magna eſt enim miſeria ſuperbus homo; ſed major miſericordia humilis Deus. *Cap.* 4.

Quid ſuperbis homo? Filius Dei propter te humilis factus eſt. Puderet te fortaſſe imitari humilem hominem; ſaltem imitare humilem Deum. *Idem Tractatu* 25. *in Joannem.*

Forte

Forte dicturi eſtis in corde veſtro tumido & inflato: Numquid potuimus dicere quia juſti ſumus? neceſſe utique erat propter humilitatem ut diceremus nos peccatores eſſe. Propter humilitatem ergo mentiris? Juſtus es, ſine peccato es, ſed propter humilitatem te dicis peccatorem? iterum te interrogo alio modo: Juſtus es, aut peccator? Reſpondes: peccator. Mentiris; quia non quod te eſſe corde credis hoc ore dicis. Ergo etſi non eras peccator eſſe incipis dum mentiris. Dicis enim: humilitatis cauſa nos dicimus peccatores eſſe; nam Deus videt quia juſti ſumus. Cum ergo humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. Veritas in te non eſt, niſi te ita dixeris peccatorem, ut etiam eſſe cognoſcas. Veritas autem ipſa eſt, ut quod es dicas. Nam quomodo eſt humilitas, ubi regnat falſitas. *Idem Sermone* 181. *novo, alias* 29. *de verbis Apoſtoli.*

Eſt & ſancta ſuperbia, & humilitas iniqua. *Idem Epiſtola* 21. *nunc* 12. *ad Amandum.*

Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior efficeris. Cetera enim vitia creſcunt vitiis; vanitas virtutibus. S. Eucherius *Paræneſi ad Valerianum, prope finem.*

Quanto plus proficimus, tanto plus humiliemur; quia quanto plus humiliamur, tanto magis proficimus . . . Ille bene proficit, ille bene conſumat, qui quotidie agit quaſi ſemper incipiat. Quare augmenta meritorum debent incitamenta eſſe profectuum. Eusebius Gallicanus *Homilia* 3. *ad Monachos.*

Fruſtra appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſimus Chriſti, qui ideo ſe viam dixit eſſe, ut converſatio Magiſtri forma eſſet diſcipuli, & illam humilitatem eligeret ſervus, quam ſectatus eſt Dominus. S. Leo *Sermone* 5. *in Nativitate Domini.*

Neque in tantum poteſt provehi quælibet felicitas humana faſtigium, ut æſtimet ſibi pudendum, quod manens Deus in forma Dei Deo non eſt arbitratus indignum. *Idem Sermone* 2. *de Reſurrectione Domini.*

Ut nos (Veritas) ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in ſemetipſa dignata eſt, quod nos admonet, demonſtrare, dicens: *Diſcite a me; quia mitis ſum, & humilis corde.* Ad hoc namque unigenitus Dei filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit: ad hoc inviſibilis non ſolum viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, illuſionum probra, paſſionum tormenta toleravit, ut ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. Quanta igitur humilitatis virtus eſt, propter quam ſolum veraciter edocendam is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, usque ad paſſionem mortis factus eſt parvus? quia enim originem perditionis noſtræ ſe præbuit ſuperbia diaboli, inſtrumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei. S. GREGORIUS M. *Libro V. Indictione* 13. *epiſtola* 18. *alias* 38. *ad Joannem Epiſcopum.*

Soli ruinæ creſcit, quod ædificant, qui ante molem fabricæ humilitatis fundamina non procurant. *Idem Libro XXXIV. Moralium, cap.* 23.

In cunctis ergo quæ agitis fratres mei radicem boni operis humilitatem tenete, nec quibus jam ſuperiores, ſed quibus adhuc inferiores eſtis aſpicite; ut dum meliora vobis exempla proponitis, ad majora ſemper aſcendere valeatis. *Idem Homilia* 7. *in Evangelia.*

Magna & rara virtus profecto eſt, ut magna licet operantem magnum te neſcias, & manifeſtum omnibus tuam te ſolum latere ſanctitatem: mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. Hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judicio. S. BERNARDUS *Sermone* 13. *in Cantica.*

Glo-

Glorioſa res humilitas, qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat! *Idem Tractatu de gradibus humilitatis, cap.* 18. *ſeu numero* 46.

O Humilitas virtus Chriſti! quantum confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis! parum aliquid ſcio vel potius ſcire mihi videor, & jam ſilere non poſſum, impudenter me, & imprudenter ingerens & oſtentans: promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Chriſtus cum tanto tempore ſilebat, cum ſeipſum abſcondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui eſt gloria Patris? Utique timebat, ſed non ſibi. Nobis timebat ab illa, quibus noverat eſſe timendum: nobis cavebat: nos inſtruebat. Tacebat ore; ſed inſtruebat opere: & quod poſtea docuit verbo jam clamabat exemplo: Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde. *Idem Sermone* 1. *de Epiphania.*

Obſecro, & plurimum rogo fratres, non patiamini ſine cauſa tam pretioſum exemplar vobis exhibitum eſſe; ſed conformamini illi, & reformamini ſpiritu mentis veſtræ. Studete humilitati, quæ fundamentum eſt, cuſtosque virtutum. Sectamini illam, quæ ſola poteſt ſalvare animas veſtras. Quid enim magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis imprudentiæ eſt, ut ubi ſeſe exinanivit majeſtas, vermiculus infletur, & intumeſcat. *Idem Sermone* 1. *in Natali Domini, initio.*

CAPUT II.

Fontes.

LACTANTIUS *Epitomes capite* 6. de hac virtute agit.

S. EPHRÆM *Tomo I. novo, græcolatino, habet capita centum de humilitate.* Sed & alibi ſane frequens

eſt in hoc ipſo argumento; præſertim *Sermone* illo meretur legi, qui inſcribitur: *Ad everſionem ſuperbiæ. Tomo I. eodem.*

S. Basilius M. *Homilia* 3. *in illud:* Attende tibi ipſi, *& homilia* 9. *in Pſalmum* 33. *ac homilia* 20. *de humilitate.*

S. Gregorius Nazianzenus *Carmine de externi hominis vilitate, & alio quodam de virtute humana, quod eſt ordine* 58.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 1. *de Beatitudinibus: Et Oratione* 2. *in verba:* Faciamus hominem.

S. Macarius *Abbas Homilia* 26. *præclare.*

S. Ambrosius *Epiſtola laudata, ad Conſtantium. Fuſiſſime autem tributa ipſi æque ac Proſpero, Leonique Epiſtola ad Demetriadem.*

S. Chrysostomus *Libro* 2. *de compunctione cordis, ad finem,* late & egregie.

Homilia in illud: ſive per occaſionem, ſive per virtutem, *Tomo III. Montfauconi.*

Homilia de profectu Evangelii, Tomo eodem nova.

Homilia 23. *in Geneſin.*

Homilia 8. *in Pſalmum* 122.

Homilia 3. *&* 4. *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum.

Homiliis 3. 15. 29. 59. 62. 65. 66. *in Matthæum.*

Homilia 1. *in I. ad Corinthios, toto Morali.*

Homilia 5. *in ad Epheſios.*

Homiliis 5. 6. 7. *in ad Philippenſes.*

Homilia 2. *in ad Philemonem.*

Homilia 27. *in ad Hebræos.*

S. Hieronymus *in Epiſtolis* ſæpe; præſertim in *ſuppoſita ipſi ad Demetriadem, in Appendice.*

S. Augustinus *Libro XIV. de Civitate, cap.* 13.

Libro de S. Virginitate, capitibus 35. *&* 36.

Libro de vera Innocentia, cap. 388.

Epiſto-

Epiſtola 118. *alias* 56. *ad Dioſcorum.*
Epiſtola 149. *alias* 59. *ad Quæſtionem* 7.
Concionibus in Pſalmos 18. 31. 33. de humilitate Domini.
Sermone 77. *alias* 74. *de Tempore.*
Sermone 69. *alias* 10. *de verbis Domini.*
Sermone 142. *alias Homilia* 34. *ex* 50.

S. Paulinus *Epiſtola citata* 21.

S. Cassianus *Collatione X. cap.* 11. *& Collatione XVIII. cap.* 11. de humilitate falſa.

S. Isidorus Pelusiota *Libro III. epiſtola* 373. quod magna hæc virtus apud Sanctos.

Eusebius Gallicanus *Homilia* 1. *de Epiphania: Et Homilia de Maccabæis.*

S. Valerianus Cimeliensis *Homilia* 14. de bono humilitatis.

S. Cæsarius Arelatensis *Homilia* 18. de humilitate ſimulata.

Marcus *Eremita Libro de præceptis ſalutaribus, quam fuſe tam inſigniter.*

S. Dorotheus *Archimandrita Doctrina* 2. de humilitate cordis.

S. Joannes Climacus *Gradu* 25.

S. Gregorius M. *Copioſe & præſtanter Paſtoralis Curæ Parte III. admonitione* 18.
Libro II. Moralium, capitibus pluribus.
Libro XXIV. Moralium, fuſe.
Libro XXVI. Moralium, fuſe.
Libro XXXII. Moralium, fuſe.
Libro XXXIV. Moralium, iterum fuſe.

S. Antiochus *Homilia* 70.

S. Petrus Damiani *Sermone* 18. ubi oſtendit Providentiam Dei, volentis nos ex vitio redire ad humilitatem, quemadmodum ex virtute ad ſuperbiam devenimus.

S. Bernardus *Libro de gradibus humilitatis & ſuperbiæ.*

Tractatu de moribus & officio Epiſcoporum, olim epiſtola 42 *ad Henricum, Senonenſem Archiepiſcopum, fuſe.*

In Homiliis ſuper: Miſſus eſt, *præclare.*

Sermone 2. *de Quadrageſima,* ubi illud ſingulare docet, humilitatem ſuperbia faciliorem eſſe.

Sermonibus 16. & 34. *in Cantica.*

Epiſtola 87. *ad Ogerium.*

Richardus Victorinus *Explanatione in cap.* 14. *Canticorum.*

S. Laurentius Justinianus *in Ligno vitæ, ſpeciatim & egregie* agit de Humilitate. Idem *Tomo II.* habet alium *Tractatum de Humilitate.* Denique *Libro de caſto connubio, cap.* 20. de ficta, veraque humilitate, atque de ipſius exercitatione & perfectione commentatur.

Adde Titulos: *de Ambitione. De Superbia. De Cognitione ſui ipſius. De Gratia. De Feſto Annuntiationis B. V.*

TITULUS XXI.

De *Intentione*, rectaque in operando Voluntate.

CAPUT I.

Loci.

Invenit (Diabolus) quomodo homines etiam boni ſectationibus perderet; & nihil apud eum refert, alios luxuria, alios continentia occidere. Tertullianus *Libro I. ad uxorem, cap.* 7.

S. Cyprianus, *cum oſtendiſſet, Deum deſiderium ac voluntatem patiendi pro ipſo Martyrio acceptare, eleganter inter alia ait:* Non enim ſanguinem veſtrum quærit Deus, ſed fidem. *Libro de Mortalitate.*

Illud

Illud pulcherrimum, humaniſſimumque cenſendum eſt, quod Deus munificentiam non oblatæ rei pretio & dignitate, ſed offerentis affectu, & facultate metitur. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 9. de ſuis ſermonibus, & ad Julianum.*

Non quæritur quantum, ſed de quanto & quo animo detur. Nam & vidua illa laudatur. Illius enim parum multum eſt; quia plus miſit quam poterat. Divites autem minus miſerunt cum plus poſſent, & de eo, quo abundabant, miſerunt. S. Ambrosius *creditus*, *Commentario in Caput VII. Epiſtolæ 2. ad Corinthios.*

Rem Deo acceptam facis: & aliam mercedem requiris? Vere ignoras, quantum boni ſit placere Deo; ſi id namque ſcires, nullum aliud huic par præmium eſſe putares. S. Chrysostomus *Libro 2. de comparatione cordis, verſus finem.*

In cœlo habens theatrum conſtitutum terrenos ſpectatores congregas! *Idem Homilia 17. in ad Romanos, ante finem.*

Conveniat unusquisque cor ſuum, & in omni vita inveniet quam rarum ſit fidelem animam reperiri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumuſculos hominum faciat. Neque enim ſtatim qui jejunat Deo jejunat, aut extendens pauperi manum Deo fœnerat. Vicina ſunt vitia virtutibus: difficile eſt Deo judice eſſe contentum. S. Hieronymus *Dialogo contra Luciferianos, cap. 6.*

O quanta apud Deum merces, ſi in præſenti pretium non ſperarent! quantis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur! minori labore margaritum Chriſti emi poterat. *Idem Epiſtola 52. alias 2. ad Nepotianum.*

Martyrium ipſum ſi ideo fiat, ut admirationi & laudi habeamur a fratribus, fruſtra ſanguis effuſus eſt. *Idem in Caput 5. Epiſtolæ ad Galatas.*

Magni

Magni intereſt cum aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe noſtrum non initio ſed fine penſandum eſt; ut ſcilicet non tantum, ſi bonum eſt quod facimus, ſed præcipue ſi bonum eſt propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos, quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, averti poſcit *ne videant vanitatem*, id eſt, ne hanc attendat propter quam faciat, cum boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui Magni in hoc ſæculo nominati ſunt, multumque laudati in civitatibus Gentium; quærentes non apud Deum, ſed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter, juſteque viventes. Ad quam pervenientes perceperunt mercedem ſuam; vani vanam. S. Augustinus *Sermone* 12. *in Pſalmum* 118. *ad verſum:* Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

Bonum opus Intentio facit; Intentionem fides dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, ſed quid cum facit aſpiciat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. Quid valet, ſi quis navem optime gubernet, & non in portum, ſed in ſaxa feſtinet? *Idem Enarratione* 2. *in Pſalmum* 31.

Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, ſed illa quærebant. *Idem Enarratione in Pſalmum* 77. *num.* 20.

Deus gratis ſe vult coli, gratis ſe vult diligi, hoc eſt caſte amari, non propterea reamari quia dat aliquid præter ſe; ſed quia dat ſe. Qui ergo invocat Deum, ut dives fiat, Deum non invocat. Hoc enim invocat quod ad ſe vult venire. Quid enim eſt invocare, niſi vocare in ſe? nam cum dicitur: Deus da mihi divitias, non vis ut ipſe Deus ad te veniat; ſed vis ut divitiæ veniant ad te. Si autem Deum invocares, ipſe ad te veniret, ipſe eſſet divi-

divitiæ tuæ. Nunc autem vis habere arcam plenam & inanem conſcientiam. Deus non implet arcam ſed pectus. Ergo iſti qui propter ſæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præſentem & terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum. *Idem Enarratione in Pſalmum* 52. *ad verſum* 6. Deum non invocaverunt.

Quæritis me propter aliud. Quærite me propter me. *Idem Tractatu* 25. *in Joannem, circa medium.*

Vix quæritur Jeſus propter Jeſum. *Idem ibidem, paulo ante.*

Bene currunt, ſed in via non currunt. Quanto plus currunt, plus errant; quia a via recedunt. Melius eſt in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. *Idem Sermone* 141. *alias* 55. *de verbis Domini, in fine.*

Juſtitia, quæ ſe humanis oculis locat, divini patris non poteſt expectare mercedem. Voluit videri, & viſa eſt: voluit hominibus placere, & placuit: habet mercedem, quam voluit; præmium, quod habere noluit, non habebit. S. Chrysologus *Sermone* 9.

Nulli parvus eſt cenſus, cui magnus eſt animus, nec de rei familiaris modo menſura miſerationis pendet, ac pietatis. Nunquam merito caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia. S. Leo *Sermone* 2. *de Quadrageſima.* Similia habet *Sermone* 4. *de Jejunio.*

Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. S. Gregorius M. *Homilia* 5. *in Evangelia.*

Non Abel ex muneribus, ſed ex Abel munera placuerunt. *Idem Libro XXII. Moralium, cap.* 14. *ubi & alia.*

Totam arborem ſibi fructus afferre (Dæmon) conſpicit, quam veneni dente in radice vitiavit. *Idem Libro I. Moralium, cap.* 36. *ubi iterum alia.*

Quis-

Quiſquis ſuper eum, cui aliquid tribuit, faſtu ſe elationis extollit, majorem culpam intrinſecus ſuperbiendo peragit, quam extrinſecus largiendo mercedem: fitque ipſe bonis interioribus nudus, cum nudum deſpicit veſtiens, eoque agit, ut ſe ipſo deterior fiat, quo ſe indigenti proximo meliorem putat; minus quippe inops eſt, qui veſtem non habet, quam qui humilitatem. *Idem Libro XXI. Moralium, cap.* 19.

Dum ſubtiliter radicem meæ Intentionis aſpicio, Deo quidem me ex ea placere voluiſſe cognoſco; ſed eidem intentioni, qua Deo placere ſtudeo, furtim ſe, neſcio quomodo, intentio humanæ laudis interſerit. Quod enim jam poſtmodum tardeque diſcerno, invenio me aliter agere, quod ſcio me aliter inchoaſſe. Sic enim ſæpe Intentionem noſtram dum ante Dei oculos recte incipitur, occulte ſibi ſubjuncta, & eam velut in itinere comprehendens intentio humanæ laudis aſſequitur. Sicut pro neceſſitate quidem cibus ſumitur, ſed in ipſo eſu dum furtim gula ſubrepit, edendi delectatio permiſcetur. Unde plerumque contingit, ut refectionem corporis quam ſalutis cauſa cœpimus, cauſa voluptatis expleamus. Fatendum eſt igitur, quod rectam intentionem noſtram quæ ſoli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta quæ de donis Dei placere hominibus quærit, inſidiando comitatur. Si autem de his divinitus diſtricte diſcutimur, quis inter iſta remanet ſalutis locus; quando & mala noſtra pura mala ſunt, & bona, quæ nos habere credimus, pura bona eſſe nequaquam poſſunt? *Idem Libro XXXV. Moralium, capite ultimo.*

Lex Domini immaculata convertens animas; **quod ſola videlicet ſit, quæ ab amore ſui & mundi avertere poſſit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe nec amor privatus convertit animam, ſed**

ſed mutant interdum vultum, vel actum; affectum nunquam. S. BERNARDUS *Epiſtola* 11. *ad Guigonem.*

In eo qui malum facit & bonum putat, laude duxerim dignam vel ſolam intentionem piam. Nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipſa bona voluntas. *Idem Libro de Præcepto, & Diſpenſatione, cap.* 14.

Quod eſt corpus ſine vita, hoc eſt opus ſine intentione bona. RICHARDUS A S. VICTORE *Tractatu I. de ſtatu interioris hominis, Parte* 1. *cap.* 7.

CAPUT II.

Fontes.

LACTANTIUS *Libro VI. Inſtitutionum divinarum*, *cap.* 12. de Intentione in operibus miſericordiæ.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Libro de Virginitate vera & incorrupta, cap.* 21. *præclare* de Intentione in rebus delectabilibus.

S. CHRYSOSTOMUS *Libro dato de compunctione cordis.*

Homilia 2. *ad populum.*

Oratione habita Kalendis, Tomo I. novo.

Homilia 9. *&* 27. *in Matthæum.*

Homilia 2. *in Joannem.*

Homilia 5. *in ad Romanos,* ne multum reſpiciamus ad mercedem, cum recte agimus.

Homilia 8. *in ad Romanos, præſtanter* de gloria Dei quærenda.

Epiſtola 93. *alias* 48. *ad Vincentium Rogatiſtam, cap.* 2. Idem opus pro intentione varia modo bonum, modo malum fieri.

S. AUGUSTINUS *Enarratione* 2. *in Pſalmum* 31. *ſupra laudata, præclare.*

Libro XIX. de Civitate, cap. 25. Ipſas virtutes fieri vitia, cum non referuntur ad Deum.

Libro

Libro contra mendacium, cap. 7. bona intentione non excuſari opus malum.

Libro IV. contra Julianum, cap. 3. ſine recta intentione nullam dari virtutem, *fuſe & egregie.*

Sermone 270. *Appendicis novæ, alias homilia* 8. *ex* 50. ubi, quod oſtendunt Maurini, multa huc ex germano Auguſtino.

Libro de moribus Manichæorum, cap. 13.

Libro II. de Sermone Domini in monte, ad caput 6. *Matthæi:* atque iterum *ad caput* 7. *capitibus poſtremis.*

Tractatu 7. *in Epiſtolam S. Joannis.*

S. Chrysologus *Sermone jam laudato.*

Theodoretus *Commentario in caput* 1. *Oſeæ, fuſe,* quanti ſit momenti ſeu ad vitium, ſeu ad virtutem, quo quis animo quid faciat.

S. Cæsarius Arelatensis *Homilia* 19. voluntatem eſſe pro facultate.

S. Gregorius M. *Libro XXVIII. Moralium, capitibus* 11. *&* 12. *ubi fuſe explicat illud Chriſti:* Lucerna corporis tui.

Libro IX. eorumdem, cap. 25.

Homilia 5. *citata, præſtanter* docet, quam ſit venale regnum cœlorum.

S. Bernardus *Sermone* 40. *in Cantica.* Item *Libro de diligendo Deo,* ubi eximie verſatur in hac materia.

Gilbertus *Abbas Sermone* 5. *in Cantica,* ubi docet, vel in iis, quæ pro Chriſto fiunt, nos noſtra quærere.

TITU-

TITULUS XXII.

De *Invidia*.

CAPUT I.

Loci.

Hinc diabolus inter initia ſtatim mundi & periit primus, & perdidit. S. Cyprianus *Libro de Zelo, & Livore.*

Quale malum eſt Fratres dilectiſſimi! quo Angelus cecidit, quo circumveniri & ſubverti alta illa & præclara ſublimitas potuit, quo deceptus eſt ipſe qui decepit? *Idem ibidem.*

Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ad ſchismata proſilitur. *Idem ibidem.*

Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum, & ſine fine peccatum. *Idem ibidem.*

Perniciofius nullum vitium innaſcitur in hominum animis, quam invidia, quæ extraneos minime lædens primum malum eſt, & domeſticum habenti. Ut enim rubigo ferrum, ita invidia infectam ipſa animam abſumit. S. Basilius M. *Homilia* 9. *de invidia.*

Quam belluam non ſuperant morum acerbitate? quas feras feritate non vincunt? Canes alimento oblato manſueſcunt, leones cum curantur, tractabiles fiunt; ſed invidi obſequiis & officiis evadunt agreſtiores. *Idem ibidem.*

Utinam ex hominum vita livor interiret. Invidorum tabes venenum eorum qui eo laborant. Solus ex omnibus affectibus iniquiſſimus ſimul & æquiſſimus; illud quia bonis omnibus infeſtus eſt: hoc quia dominos ſuos exeſt & conficit. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 27. *de ſe ipſo.*

Filii fugite improbos, cavete invidos. Inter improbum & invidum hoc intereſt: improbus ſuo delectatur bono; invidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit; ut prope tolerabilior ſit qui ſibi vult bene, quam qui male omnibus. S. Ambrosius *Libro II. de Officiis, cap. ultimo.*

Cui ergo talem animam comparaveris? cui viperæ? cui aſpidi? cui vermi? cui cantharo? Nihil enim ſceleſtius, nihil deterius hujuſmodi anima. Hoc enim, hoc inquam, Eccleſias ſubvertit, hoc hæreſes peperit, hoc fraternam armavit manum, & effecit, ut in ſanguine juſti dextera mergeretur, legesque naturæ peſſum dedit, & morti januas aperuit, ac maledictionem illam ad opus deduxit. S. Chrysostomus *Homilia 7. in ad Romanos.*

Quænam erit hujus morbi medela? conjunctim omnes precemur, unamque pro illis emittamus vocem, quaſi pro energumenis. * Nam hi miſerabilius affecti ſunt, quam illi; quia furor ille ex propoſito manat. *Idem ibidem, paulo ſuperius.*

Zelus ſuum rodit auctorem, & dum æmulum lædere nititur, in ſemetipſum proprio furore bacchatur. S. Hieronymus *Epiſtola 27. nunc 108. ad Euſtochium, num.* 18.

Si amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illa habet aliquid. Tolle invidiam, & tuum eſt, quod habeo. Tollam invidiam, & meum eſt, quod habes. Livor ſeparat, charitas jungit. S. Augustinus *Tractatu 32. in Joannem.*

Faciat quæque veſtrum, quod poterit: quod altera minus poteſt, in ea quæ poteſt facit, ſi in altera diligit, quod ideo quia non poteſt ipſa, non facit. *Idem Epiſtola 121. nunc 130. ad Probam.*

In hoc tantum tibi diſplicuit ſolitarius frater, quod Deo placere geſtivit? Fuiſſes & tu Deo placens.

* Pro his enim ſub officio publicæ preces fundi ſolebant.

cens. Numquid & te ille excluſerat? An tam pauperem Dei charitatem eſſe cognoveras, ut vos ſimul amare non poſſet? S. Paulinus, *vel quiſquis ſcripſit Epiſtolam ad Virginem in exilium miſſam, in Appendice S. Hieronymi.*

O Zeli tumor! duos non capit domus ampla germanos. Et quid mirum Fratres? fecit invidia, ut mundi tota duobus eſſet anguſta fratribus latitudo. S. Chrysologus *Sermone* 4.

Invidia de cœlo abjecit Angelum, de paradyſo excluſit hominem. Ipſa primum contaminavit terram germano ſanguine: ipſa germanos compulit venumdare germanum &c. Ac ne multis, quod pavet mens, quod viſus tremit, auditus non capit, ipſum Chriſti attendit & pervenit ad ſanguinem. *Idem Sermone* 48.

Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna eſt? ubi cruciatus eſt aliena felicitas? Malum multiplex! quot ſunt proſperitates hominum, tot tormenta ſunt invidorum. *Idem Sermone* 172.

In quo non lucidus malevolentiæ zelus ardet? cujus non ſenſum livor invaſit? cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt. Quis non bonum alterius malum ſuum credit? cui ita ſufficit felicitas ſua, ut etiam alium velit eſſe felicem? Novum & inæſtimabile nunc in plurimis malum eſt; parum alicui eſt ſi ipſe ſit felix, niſi alter fuerit infelix. Salvianus *Libro* 5. *de Providentia, ſive Gubernatione Dei, propius initium.*

Bene iſtos ſua tela puniunt; ut videatur mihi ipſa invidia aliquid habere diſcretionis, cum auctoris ſui cor repercutit, & male conſcium pectus cruento jugiter livore conſumit. S. Valerianus Cimeliensis *Homilia* 13.

Conſiderate, obſecro, qualiter invidos punitura ſint mala ſua, quos etiam bona puniunt aliena?

Julianus Pomoerius *Libro III. de vita contemplativa. cap.* 9.

Ubi iſti fieri poterunt boni, qui ſunt in bono mali? aut quando bene malis uſuri ſunt, qui male bonis uti non deſinunt? *Idem eodem Libro, & capite.*

Quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus infunditur, in hac tamen nequitia tota ſua viſcera ſerpens concutit, & imprimendæ malitiæ peſtem vomit. S. Gregorius M. *Libro V. Moralium, capite ultimo.*

Livoris crudele tormentum, & frementis invidiæ miſerior quam miſerabilior cruciatus. S. Bernardus *de Converſione ad Clericos, cap.* 12.

Ut videat (Diabolus) & invideat, ipſaque invidia torqueatur. *Idem Sermone* 54. *in Cantica.*

O quisquis es, qui ſaluti invides alienæ, parcito vel tuæ. *Idem Epiſtola* 7. *ad Adam Monachum, prope finem.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Libro laudato de Zelo, & livore.*

S. Ephræm *Sermone de virtutibus & vitiis, capitibus* 17. *&* 18. *Tomo I. novo.*

S. Basilius M. *Homilia* 11. *pariter laudata de invidia:* Et *Homilia ſuppoſita in aliquot Scripturæ loca, dicta in Lacizis.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 7. *ſeu Apologetico ad patrem ſuum: Oratione* 27. *citata:* Et *Carmine jambico in invidos, ad finem jambicorum.*

S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 7. *de Beatitudinibus:* Et *de vita Moſis,* cum de Aarone & Maria murmurantibus.

S. Zeno Veronensis *Sermone de livore & invidia,* qui tamen nihil eſt aliud quam homilia S. Baſilii M. ſupra memorata, prout eam Latinam fecit

Ruffi

Ruffinus Aquilejenſis. Vide Julianum Garnier *in Editione nova S. Baſilii M. animadverſione in has ipſas orationes*, & Joannem Dominicum Manſi *in Notis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Natalis Alexandri, Tomo IV. pag.* 38. ſed præ ceteris Editores Veronenſes *in Prolegomenis, & Notationibus.*

S. Chrysostomus *Homiliis* 46. 52. & 61. *in Geneſin.*

Homilia 41. *in Matthæum.*
Homiliis 36. 54. & 63. *in Joannem.*
Homilia 7. *in ad Romanos.*
Homilia 31. *in I. ad Corinthios.*
Homilia 24. *in II. ad Corinthios.*
Homilia 10. *in ad Epheſios*, ubi in invidiam Præſulum & Eccleſiaſticorum.
Homilia 11. *in ad Coloſſenſes.*
Homilia 3. *in I. ad Timotheum.*

S. Hieronymus ſparſim, præſertim *in Epiſtolis; uti* 52. *alias* 2. *ad Nepotianum.*

S. Augustinus *Libro de vera Religione, cap.* 47. *Libro de diſciplina Chriſtiana: Sermone* 14. *Appendicis novæ, alias* 83. *de tempore.*

S. Chrysologus *Sermonibus citatis* 4. & 172.

S. Cassianus *Collatione XVIII. cap.* 7. & *ultimo.*

S. Leo *Sermone* 10. *de Quadrageſima.*

S. Valerianus *Cimelienſis Homilia* 13. *etiam citata.*

Julianus Pomoerius *Libro & capite citatis.* Adde *caput* 5. *ejusdem Libri.*

S. Gregorius M. *Curæ Paſtoralis Parte III. admonitione* 11. *Libro V. Moralium, capite* 46. *Libro XXII. Moralium, cap.* 11. ubi pulchre de invidia innocenti.

S. Isidorus *Hiſpalenſis Libro III. Sententiarum, cap.* 25. Et *Libro II. Synonimorum, cap.* 8.

S. Antiochus *Homiliis* 55. & 59.

S. Bernardus *in Apologia ad Guilielmum Abbatem,* de invidia inter ordines religioſos. *Idem Libro ſuppoſititio de interiori domo, capitibus* 32. & 33.

Joannes Saresberiensis *Libro VII. Policratici, cap.* 24.

S. Thomas a Villanova *Concione in feria* 6. *poſt Dominicam Paſſionis, præclare.*

TITULUS XXIII.

De *Ira.*

CAPUT I.

Loci.

Quivis affectus dimovens animam a ſtatu ſuo, dici merito poteſt ebrietas. Cogita mihi hominem ira percitum, quam temulentus ſit eo vitio. Non eſt ſui compos, non novit ſemetipſum, non novit qui adſunt; ſed velut in pugna nocturna omnes attingit, in quoslibet obvios incidit, inconſiderata loquitur; non poteſt cohiberi, convitiatur, percutit, minatur, dejerat, vociferatur, disrumpitur. Fugito iſtam temulentiam. S. Basilius M. *Homilia* 1. *de Jejunio.*

Poſtquam hoc vitium depulſa ratione dominium animæ ſemel uſurpaverit, hominem prorſus convertit in belluam, & ne hominem quidem eſſe finit, cum auxilio rationis privetur. Quod enim venenatis venenum eſt, hoc idem ira eſt exaſperatis. Fiunt rabidi canum in morem, inſiliunt ut ſcorpii, mordent, ut ſerpentes. *Idem Homilia* 10. *adverſus iratos.*

Irati ſcilicet plerumque in apertum malum conjiciunt ſe ipſi, ſua ipſorum commoda ulciſcendi ſtudio negligentes. Nam eorum qui ipſis moleſti fuerunt recordatione quaſi æſtro exſtimulati efferveſcente in eis ira atque ſubſiliente non prius ceſſant

quam

quam damnum aliquod inferant irritanti, aut forte ipſi, ſi ita contingat, accipiant: quemadmodum ſæpe evenit, ut quæ violenter alliduntur plus accipiant detrimenti quam afferant, dum a rebus renitentibus conquaſſantur. *Idem ibidem.*

Dixit rem contumelioſam: commovit & animum tuum. Quemadmodum canis latratus provocat canis alterius tumultum; ita quoque animum tuum prius ſopitum ac quieſcentem vox ejus ad iram concitavit, & alter alterum allatraſtis. *Idem creditur, homilia in aliquot Scripturæ locos, dicta in Lacizis.*

Qualia enim contumelioſi alter alteri viciſſim objiciunt? alter alterum dixit obſcurum, & ex obſcuris oriundum? Hic illum vernam ex vernis viciſſim appellat. Hic pauperem, ille errónem. Hic indoctum, ille inſanum: idque quoad contumeliæ velut ſpicula eos deficiant. *Idem Homilia ſupra laudata adverſus iratos.*

Convitiis omnibus per linguam velut per fundam emiſſis, tum demum ad vindictam re ipſa procedunt. Nam excitat ira rixam, rixa parit convitia, convitia verbera, verbera autem vulnera: denique ex vulneribus mors ipſa plerumque ſequitur. *Idem ibidem.*

Quis affectus, ac vitia Iræ digne expoſuerit? quæ oratio turpitudinem ejusmodi morbi deſcribet? Vides eorum qui a dæmone vexantur affectus in iis, qui ab ira victi ſunt apparere? Reputa ad invicem comparata tum quæ iratis, tum quæ a dæmone correptis accidunt atque contingunt, equa ſit in his differentia. Sanguine ſuffuſi, ac diſtorti eorum qui a dæmonio vexantur, oculi ſunt, lingua præceps, aſpera loquela, acuta ac latratui ſimilis vox. Communia hæc tum iræ, tum dæmoni. Quaſſatio capitis, manuum ſtolidi motus, concuſſio & quaſi æſtuatio corporis totius, pedes inſtabiles, una utriusque

morbi per hujuſmodi accidentia deſcriptio eſt. Tantum duntaxat alterum ab altero variat, quod unum quidem voluntarium malum eſt; alterum abſque voluntate ipſorum accidit, in quibus exiſtit. At quanto miſerabilius eſt ſi præter animi ſententiam alicui quidpiam accidat, quam ſi proprio impetu in calamitatem incidat? Ac morbum quidem ex dæmone accidentem ſi quis animadverterit, non poteſt non miſereri; ex ira vero provenientem vecordiam ſimul atque vidit, imitatur, damno ſibi ducens ſi ſuo morbo non ſuperaverit eum qui prior ægrotare cœpit. S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 7. *de Beatitudinibus.*

Illæ commotiones in pueris innoxiæ ſunt; quæ plus habent gratiæ quam amaritudinis; & ſi cito inter ſe moventur, facile ſedantur, & majori ſuavitate in ſe recurrunt. S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 21.

Multos novi, qui ab iracundia in morbos inciderunt. Hæ ſunt graviſſimæ omnium febres. Quod ſi corpus ita labefactent, animam cogita! S. Chrysostomus *Homilia* 6. *in acta, ad finem.*

Neque vero corpus tantum (hæc paſſio) labefactat; ſed & animæ ſanitatem corrumpit, vim ejus omnem corrodens, dilanians, diſcerpens, & ad omnia inutilem reddens. Nam ſi is qui vermes in viſceribus nutrit ne reſpirare quidem poterit, cunctis intus corruptis quomodo talem ſerpentem habentes viſcera omnia corrodentem, Iram dico, generoſum aliquid parere poterimus? Quomodo ergo poterimus ab hac peſte liberari? Si illam potionem bibamus quæ poſſit intus poſitos vermes & ſerpentes extinguere. Ecqua potio illa eſt, in quis, quæ tantam vim habeat? Pretioſus ſanguis Chriſti, ſi cum fiducia ſumatur. Morbos quippe omnes extinguere poterit. Huic adde divinarum Scripturarum lectioni attentionem, huicque adjicias eleemo-

ſynam.

ſynam. Per hæc quippe omnia extingui poterunt morbi animam labefactantes. Tuncque ſolum vivemus (cum jam non meliori conditione ſimus quam mortui) nam illis (vermibus) viventibus nos vivere nequimus, ſed neceſſario perimus. Niſi enim hic illos occiderimus, illi nos omnino interficient, imo & ante extremum obitum de nobis hic ultionem ſument. *Idem Homilia* 4. *in Matthæum.*

Non poteſt igne ignis extingui. Repugnat enim hoc naturæ. Sic neque furor furore alio demulceri poterit unquam. Verum quod igni eſt aqua, hoc eſt iræ manſuetudo & mititas. *Idem Homilia* 58. *in Geneſin.*

Quæ iracundia ſanari poteſt ſi patientia filii Dei non ſanatur? S. Augustinus *Libro de agone Chriſtiano, cap,* 11.

S. Chrysologus *ad illa verba Domini:* Ego autem dico vobis non reſiſtere malo; *addit eleganter:* Sic cum dicit, vult nos vitia non repenſare vitiis, ſed ſuperare virtutibus, & in ipſis ſcintillis adhuc extinguere iram, quæ ſi pervenerit ad totum furoris incendium ſine ſanguine non ſedatur. *Sermone* 38.

Nihil intereſt inter iratum & inſanum, niſi unus dies. Alter non ſemper iraſcitur, alter ſemper inſanit. S. Martinus Bracarensis *in ſententiis de Moribus.*

De Ira in ſemetipſum pulcherrime S. Bernardus: Itaque dilectiſſime iraſcere, & noli peccare. Peccabis autem non minus nimis iraſcendo, quam omnino non iraſcendo, ſiquidem non iraſci, ubi iraſcendum ſit, nolle emendare peccatum eſt; plus vero iraſci quam iraſcendum ſit, peccatum peccato addere eſt. Quod ſi malum eſt peccatum non emendare: quomodo malum non erit augmentare? *Epiſtola* 69.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro de Patientia, capitibus* 8. 9. 10.

Lactantius *Libro de Ira Dei, aliquot capitibus.*

S. Basilius M. *Homiliis duabus ſupra laudatis.*

S. Gregorius Nazianzenus *Carmine* 21. *adverſus Iram.*

S. Gregorius Nyssenus *Orationibus* 2. & 7. *de Beatitudinibus.*

S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 21. Item *in Pſalmum* 36.

S. Chrysostomus *Homilia* 58. *in Geneſin.*
Homilia in Pſalmum 4. de neceſſitate iræ.
Homilia: Quod ubi ira, ibi non ſit Spiritus Sanctus.
Homiliis 4. & 18. *in Matthæum.*
Homiliis 25. & 47. *in Joannem.*
Homiliis 6. 17. 39. & 41. *in Acta.*
Homilia 14. *in II. ad Corinthios,* de neceſſitate iræ in ſubditos peccantes.
Homilia 2. *in cap.* 1. *ad Epheſios.*
Homilia 6. *de laudibus Pauli, pulchre* de Ira juſta.
Libro I. de compunctione cordis.
Libro III. de Sacerdotio.
Ecloga de manſuetudine &c. &c.

S. Hieronymus *Libro II. in caput* 12. *Proverbiorum:* Et *Commentario in illud ad Epheſios:* Nolite locum dare diabolo.

S. Augustinus *Epiſtola* 115. *nunc* 9. *ad Nebridium:* Et *Libro IV. de Civitate, cap.* 16. *Libro I. de Sermone Domini in monte, cap.* 19. An etiam ira juſta admittat appetitum vindictæ, *fuſe.* De quo etiam agit *Epiſtola* 5. *nunc* 138. *ad Marcellinum, cap.* 11. Adde *Epiſtolam* 38. *alias* 149. ad Profuturum. Ut iræ aditus non detur, ne degeneret in odium.

S. Cas-

S. Caſſianus *Libro II. de inſtitutis Renuntiantium.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtola* 239.

S. Nilus *Oratione* 4. *de octo vitioſis cogitationibus,* ubi agit *de Iracundia.*

S. Joannes Climacus *Gradibus* 8. & 24.

S. Martinus Bracarensis *Libro de Ira ad Wittimirum Epiſcopum,* quem editurum ſe promiſit Cardinalis d'Aguirre.

S. Gregorius M. *Parte III. Paſtoralis Curæ, cap.* 17. *præclare: Libro V. Moralium, capitibus aliquot: Libro X. Indictione* 3. *Epiſtola nunc & olim* 51. *ad Leontium Exconſulem.*

S. Antiochus *Homiliis* 23. 24. & 110.

S. Joannes Damascenus *Libro III. Parallelorum, cap.* 32. *nunc Titulo XV. litera* π.

S. Petrus Damiani *Opuſculo* 40. *de ira refrænanda.*

Gilbertus Tornacensis *Tractatu de Pace & Tranquillitate animi* præclara huc habet, *præſertim cap.* 27.

Addi poſſunt Tituli: *Odium. Contentiones. Amor Proximi. Duellum. Homicidium,* & ſimiles.

TITULUS XXIV.

De *Judicio* temerario, ſuſpicionibus &c.

CAPUT I.

Loci.

Qui alios judicas, eſto & tui judex. S. Cyprianus *Libro ad Demetrianum.*

Non ille debet eſſe peccator quem vos volueritis. Dei eſt noſſe reum: illius ferre ſententiam. Taceamus omnes homines, ſolus Deus judicet peccatorem. S. Optatus Milevitanus *Libro IV. de Schiſmate Donatiſtarum.*

Alii

Alii aliorum peccata obſervamus, non ut eorum cauſa lugeamus; ſed ut exprobremus, neque ut medicinam afferamus, ſed ut novum vulnus infligamus, atque a proximorum vulneribus excuſationem vitiis noſtris petamus. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 1. *Apologetica.*

Malos & bonos non vita, ſed diſſenſio vel amicitia tanquam notis quibusdam inſigniunt: & quæ hodie laudamus eadem craſtino die vituperamus: & quæ apud alios infamia notantur eadem apud nos admirationi ſunt, omniaque flagitia impietatem amplectentibus facile condonantur. Usque adeo in vitiis magnanimi ſumus. *Idem eadem Oratione.*

Atqui pleriſque ſecus videtur? quid mea intereſt qui rei veritatem magis curo, imo ſolus curo. Hæc enim vel me condemnaverit, vel abſolverit, hæc miſerum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur nihil ad nos quemadmodum nec alienum ſomnium. Non ita aliis videtur ais? Quid vero? an iis qui vertigine correpti ſunt terra fixa & ſtabilis eſſe videtur? an ebriis ſobrii integra mente eſſe? an non potius in caput incedere, ac ſurſum deorſumque moveri! an non quibusdam interdum hominibus mel amarum eſt, nempe morbo laborantibus, maleque affectis? at non propterea res ita ſe habent ut qui hoc ſtatu ſunt arbitranrur. Quocirca fac prius fidem ſanos eos eſſe, qui de nobis ita ſentiunt: & tunc nos admone, ut meliorem mentem induamus; aut condemna niſi conſilio tuo pareamus ſed in ſententia perſtemus. *Idem Oratione* 27. *de ſeipſo.*

Cum unusquisque ſit ſuorum conſcius peccatorum, quomodo poteſt de alterius judicare peccato? Judicet de alterius errore qui non habet quod in ſe ipſo condemnet: judicet ille qui non agat eadem quæ in alio putaverit punienda; ne cum de alio judicat, in ſe ferat ipſe ſententiam: judicet ille qui ad pro-

pronuntiandum nullo odio, nulla offenſione, nulla levitate ducatur. S. Ambrosius *Sermone* 20. *in Pſalmum* 118.

Etiamſi nihil aliud mali feciſſemus (quam quod proximum judicemus) vel hoc unum poſſet nos in extremam gehennam abducere; ita ſcilicet alienorum delictorum acerbi judices ſedemus, dum trabes noſtras deſpicimus, atque in alienis curioſe inquirendis & damnandis tota vita conſumitur noſtra. Ac neminem facile invenias ſive ſæcularem virum ſive monachum, aut Clericum ab hac culpa liberum; etiamſi tanta comminatio adjaceat: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini (inquit)* Et: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Attamen cum hoc peccatum tantam annexam pœnam, nullamque voluptatem habeat, omnes in hoc malum præcipites currimus, ac ſi id ſtudeamus, in hoc contendamus, ut non per unam ſolam, ſed per multas quoque vias in gehennæ caminum ingrediamur. Neque ſolum in ea quæ laborioſa eſſe videntur, ſed etiam in leviora illis ſimiliter incidimus, & hæc & illa pariter transgredientes: ac per levia oſtendimus, nos difficiliora ob contemptum, non ob gravitatem præceptorum non perficere. Nam dic mihi quid laboris ineſt in non curioſe perquirendis alienis negotiis, & in non damnandis proximorum delictis? Contra vero laboratur ſane in curioſa tali perquiſitione, & in judicio de aliis ferendo. Quis igitur hæc audiens nobis unquam credat quod ſcilicet ex ſegnitie non autem de induſtria & defectu voluntatis ad prævaricandum accedamus? S. Chrysostomus *Libro I. de compunctione cordis, circa medium.*

Si enim in quibus ipſe peccavi, nihil clare novi quomodo dignus fuerim qui de aliis feram ſententiam? Quomodo qui mea non accurate novi aliena potero judicare? *Idem homilia* 11. *in I. ad Corinthios.*

In

In hoc errore judicii quæ poteſt eſſe certa ſententia? S. HIERONYMUS *in Dialogo contra Luciferianos.*

Partim non inveniunt bonos, dum ipſi mali ſunt; partim timent invenire dum mali eſſe ſemper volunt. *Idem.*

Nulli cœlibi credentes pudicitiam, imo oſtendentes quam ſancte vivant, qui male de omnibus ſuſpicantur. *Idem initio Libri adverſus Vigilantium.* *

Si unusquisque de proximo judicat, quid Deo reſervamus? *Idem S. Pater*, cui utique eleganter ſubjicias: *Imo vero plus multo reſervamus, quia temere judicando peccata propria cumulamus. Quo ſane de noſtro identidem aliquid Deo accedit ad judicandum.*

Si reſpicere & reprehendere peccata delectat, ad interiora noſtra potius unusquisque ſolicitos conferamus mentis oculos. Illic occupemus intentionem, illic ſecuritate depulſa, quæ criminibus latebram præbet, abſconditum inquiramus reatum: illic cenſore animo revelemus erubeſcendum confuſibilis agnitionis ſecretum: illic intra nosmetipſos exerceamus privatum ſalutifera reprehenſione judicium: & cum expaverimus ad propria diſcutere non præſumamus aliena. Ac ſic facile calcare poterimus obtrectationis vitium, ſi, conſcientiæ noſtræ recogitantes opprobrium, maluerimus proprium curare delictum: & hoc modo, dum culpas noſtras opponimus peſſimæ conſuetudini, gaudebimus nos de peccato damnaſſe peccatum, & quodammodo curaſſe vulnus de vulnere. EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia ad plebem obtrectatricem.*

Quid

* Eodem ſpectat illud MINUTII FELICIS: Nemo hoc poteſt credere, niſi qui poſſit audere. *In Octavio.*

Quid nobis de proximo? quid nobis de alieno malo? habemus nos ipſi Fratres! in nobis quod curemus. S. DOROTHEUS *Doctrina* 16.

Cur non magis nos ipſos dijudicemus de malis propriis, quæ optime novimus, & de quibus inviti reddere rationem Deo cogemur. *Idem eadem Doctrina.*

Hoc habet omnis affectus, ut in quod ipſe inſanit, in id putet etiam alios furere. S. MARTINUS BRACARENSIS *in ſententiis de Moribus.*

Minime vitium ſuſpicatur, qui a vitio liber & immunis eſt. Qui ad vitium minime propenſus eſt, ne ad ſuſpicandum quidem proclivis eſt. S. JOANNES DAMASCENUS *Libro I. Parallelorum, cap.* 25. *hodie Titulo XXV. litera α. Eſt ex S. Greg. Nazianzeno.*

Omnes hoc uno nomine pii ſumus, quod alios impietatis condemnamus. *Idem Libro III. Parallelorum, cap.* III. *nunc Titulo XIII. litera Φ, ex eodem Nazianzeno.*

Ita clemens eſto in alienis delictis, ſicut in tuis: nec quemquam diſtrictius, quam te judices. Sic alios judica, ut ipſe judicari cupis. Lex tua te conſtringit. Judicium, quod aliis imponis, ipſe portabis. Nullum ante judicium condemnes. Ante proba, & ſic judica. Non enim qui accuſatur, ſed qui convincitur, reus eſt. HUGO A S. VICTORE *Libro II. de anima, cap.* 27. alias S. Bernardus *de interiori domo, capite* 45.

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *in Apologetico, capitibus prioribus.* Uti & *Libro I. adverſus nationes*, ac *Libro ad Scapulam.*

MINU-

MINUTIUS FELIX *in Octavio*, ubi & ipſe inſigniter in opiniones præjudicatas.

LACTANTIUS *Libro V. Inſtitutionum divinarum*, *initio*. Et jam ante *Libro III. earumdem Inſtitutionum, cap.* 15

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 14. *quæ eſt tertia de Pace*, ne ob culpam aliquorum reliquos omnes condemnemus. *Oratione* 21. *in Laudem Athanaſii*, *numeris* 19. *ac* 27. ubi & iſtud verſat: Deo ſecus videri quam hominibus, cum judicant. Adde *Orationem ſupra laudatam de ſeipſo*.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione in eos*, *qui alios acerbius judicant*.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia de Suſanna*, ubi *præclare* de ſuſpicionibus, ſive bonis, ſive malis. *Fuſe* item hanc materiam noſtram pertractat *homilia* 11. *in I. ad Corinthios*. Nec omitte *homilias* 24. 43. & 66. *in Matthæum*.

S. HIERONYMUS *in caput* 4. *Epiſtolæ I. ad Corinthios*.

S. AUGUSTINUS *Sermone* 202. *de Tempore*, *nunc* 66. *in Appendice nova*.

Initio Libri contra Secundinum, Manichæum.

Epiſtola 137. *nunc* 122. *ad Clerum & Populum Hipponenſem*

Epiſtola 77. *olim* 136.

Enarratione in Pſalmum 147. *num.* 16.

Sermone 306. in ſuſpiciones odii. *Fuit* 112. *de diverſis*.

Libro II. de Sermone Domini in monte, *capitibus* 18. & 19. Et *Tractatu* 90. *in Joannem*.

S. ISIDORUS PELUSIOTA, cujus eſt de contemnendis judiciis præclariſſimus locus *Libro V. Epiſtola* 336. Adde, quæ habet *Libro I. epiſtola* 210. & *Libro V. epiſtola* 47.

EUSEBIUS GALLICANUS *loco citato*.

SAL-

SALVIANUS *Libro I. de Gubernatione Dei, fuſe atque egregie*, de vanitate judiciorum humanorum.

S. DOROTHEUS *Doctrina 6. & Doctrina 16. jam ante laudata.*

S. ANTIOCHUS *Homilia 49.*

S. JOANNES DAMASCENUS *in Parallelis, Litera γ, Titulo 2 olim Libro I. cap. 66.*

HUGO A S. VICTORE *Libro & capite jam ſupra allegatis.*

S. BERNARDUS *initio Apologiæ ad Guilielmum Abbatem, fuſe.* Et *Sermone 40. in Cantica, obiter.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo II. Sermone 14.*

Addi poſſunt Tituli: De *Calumnia & Detractione.* De *Veritate, & mendacio.* De *Reſpectu humano,* aliique iſtis affines.

TITULUS XXV.

De *Juriſdictione* & Immunitate Eccleſiaſtica.

CAPUT I.

Loci.

Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum eſt. Duritia vincenda eſt, non ſuadenda. TERTULLIANUS *in Scorpiaco, initio.* *

Deſine, quo te (Imperator) & memento te mortalem hominem eſſe. Time judicii diem, teque ipſe innoxium ad eam diem cuſtodias. Ne te rebus

* *Neque contradicit ſibi, quando Libro ad Scapulam, cap. 2. eleganter ait*: Humani juris & naturalis poteſtatis eſt unicuique, quod putaverit, colere: nec alii obeſt aut prodeſt alterius Religio. Sed nec religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi; cum & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur. *Hic enim de Chriſtianis, quos Gentiles igni ferroque adigebant ad ſua ſacra relinquenda; at ſupra de lapſis in hæreſin loquitur, atque adeo Eccleſiæ poteſtati ſaltem aliquando ſubjectis.*

bus miſceas eccleſiaſticis, neu nobis his de rebus præcepta mandes; ſed a nobis potius hæc ediſcas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis eccleſiaſtica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium ſubripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne ſi ad te Eccleſiaſtica pertrahas, magni criminis reus fias. *Reddite,* ſcriptum eſt, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Neque nobis igitur terræ imperare licet, neque tu adolendi habes poteſtatem. Hæc, quod tuam curem ſalutem, ſcribo. S. Athanasius *Epiſtola ad Monachos, Tomo I. pag.* 371. Loquitur autem ex perſona Oſii. Quamquam & alia ibi æque fortia ex perſona ipſius Athanaſii.

Si illud Epiſcoporum decretum eſt, quid illud attinet ad Imperatorem? ſin illud imperatoriæ minæ ſunt, quid opus hominibus, nuncupatis Epiſcopis? Quandonam a ſæculo res hujuſmodi audita eſt? quandonam Eccleſiæ decretum ab Imperatore accepit auctoritatem? *Ibidem, pagina* 376.

O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, Appellationem interpoſuerunt. S. Optatus Milevitanus *Libro I. de Schiſmate Donatiſtarum, adverſus Parmenianum.*

Neque imperiale eſt, libertatem dicendi denegare; neque ſacerdotale, quod ſentias, non dicere. S. Ambrosius *Epiſtola* 29. *vel* 17. *nunc* 40. *ad Theodoſium Imperatorem.*

Habemus & nos, cui diſplicere plus periculi ſit. *Idem ibidem.*

Noli te gravare, Imperator! ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere; ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. *Idem Epiſtola* 33. *vel* 14. *nunc* 20 *ad Marcellinam ſororem.*

Qui vobis deferri vultis, patimini, ut deferamus ei, quem Imperii veſtri vultis auctorem probari. *Idem Epiſtola* 57. *alias* 15. *ad Eugenium Imperatorem.*

Vulgo

Vulgo dicitur, quod Imperatores Sacerdotium magis optaverint, quam imperium Sacerdotes, Chriſtus fugit, ne Rex fieret. Habemus tyrannidem noſtram. Tyrannis ſacerdotis infirmitas eſt. *Cum infirmor*, inquit, *tunc potens ſum. Idem Epiſtola* 33. *vel* 14. *nunc* 20. *ad Marcellinam ſororem.*

Felicius Epiſcopos perſequuntur Imperatores, quam diligunt. *Idem Concione funebri in obitu Valentiniani, poſt initium.*

Cum Imperatoris gratiam ſequuntur, Dei gratiam perdiderunt. *Idem Libro V. in Lucam, loquens de Clericis, & Epiſcopis in Concilio Ariminenſi.*

Certe, ſi vel ſcripturarum ſeriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat, in cauſa Fidei, in cauſa inquam Fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare? *Idem Epiſtola ad Valentinianum* 13. *vel* 32. *nunc* 21.

Imperator intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt. Bonus enim Imperator quærit auxilium Eccleſiæ, non refutat. Hæc, ut humiliter dicimus, ita conſtanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, deportationem minantur? Didicimus Chriſti ſervuli non timere. *Idem Sermone de Baſilicis non tradendis, ad finem.*

Si quis noluerit hoc præceptum perficere, hunc verbo quaſi tuba prohibeo, ne limina eccleſiaſtica pertranſeat, ſive princeps ſit, ſive ille ipſe qui diademate præcingitur. Aut me ab hoc principatu dejicite, aut manentem ne in pericula conjicite. In hunc thronum aſcendere non audeo, niſi quid magni præſtitero; nam ſi perficere non poſſum, melius eſt infra ſtare. S. Chrysostomus *Homilia* 8. *in Acta.*

Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. S. Hieronymus *Epiſtola* 30. *nunc* 77. *ad Oceanum.*

Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta hæreditates capiunt; ſolis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur! & prohibetur non a perſecutoribus, ſed a principibus chriſtianis. Nec de lege conqueror, ſed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum eſt, ſed quo mihi vulnus ut indigeam cauterio? *Idem Epiſtola* 2. *nunc* 52. *ad Nepotianum.*

Quaſi majora ſint Imperatorum ſcita, quam Chriſti; leges timemus, Evangelia contemnimus. *Idem ibidem.*

Fruſtra dicis: relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis, & in ſtupris, & in aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? quæ tamen omnia juſtis legibus comprimi utiliſſimum ac ſaluberrimum eſt. Dedit Deus homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam nec malam eſſe voluit impunitam. S. Augustinus *Libro III. contra Creſconium.*

S. Petrus Damiani *in Decreta illa Eccleſiaſtica, ubi ſemper anathema, & ſeparatio a communione fidelium ſubjungitur:* Cum dictante juſtitia, inquit, alia ſit ultione plectendus, qui deliquit; alia, qui minus excedit: hic graviter, leviterque peccantibus æqua cunctis, & indifferens pœna, ſolius ſcilicet anathematis irrogatur. Non tribunalium more vel forenſis examinis aut libertas creditur, aut poſſeſſio confiſcatur, nec pecuniariæ mulctæ reus addicitur; ſed Deo potius omnium ſcilicet bonorum auctore privatur! Hanc itaque homo de homine pœnam ſumit, quam de ſui transgreſſione mandati ipſe quoque Deus omnipotens non præſumit. *Libro I. Epiſtola* 12.

Lacerantur ſacra Eccleſiæ, ſcinduntur pro dolor veſtes Chriſti: idque ad cumulum doloris ab his a quibus reſarciri debuerant. S. Bernardus *Epiſtola* 216.

Quid

Quid tu denuo uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es reponere in vaginam? *Idem Libro IV. de Conſideratione, cap.* 3.

Sed non propter me, inquit, facio, ſed quæro Eccleſiæ libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, ſervitute ſervilior! Patienter ab hujusmodi libertate abſtineam, quæ me peſſimæ addicat ſuperbiæ ſervituti. Plus timeo dentes lupi quam virgam paſtoris. *Idem Tractatu de moribus & officio Epiſcoporum ad Henricum, Senonenſem Archiepiſcópum, cap.* 9. *Erat olim inter Epiſtolas, numero* 42.

Penſanda ſunt tempora, & diverſi ſtatus temporum, ſecundum quos mutantur merita cauſarum. Nam in primitiva Eccleſia ſola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteret & pallium. Extra Eccleſiam enim erat qui perſequebatur, intra Eccleſiam qui patiebatur. Modo autem adulta Eccleſia non licet filiis Eccleſiæ quod aliquando licuit inimicis. Decet enim Matrem corrigere filium, ſicut decuit Pupillam tolerare adverſarium. Petrus Cellensis *Libro I. epiſtola* 10. *ad Thomam Cantuarienſem.*

Culpis noſtris exigentibus gladius Petri rubigine obductus eſt: & quia non poteſt incidere, datus eſt in contemptum. Petrus Blesensis *Epiſtola* 73.

CAPUT II.

Fontes.

Philo Hebræus *Libro de præmiis & honoribus Sacerdotum.*

Tertullianus *Loco citato Scorpiaci* de cogendis hæreticis plura alia habet. Idem *diſerte* de pœna Excommunicationis *in Apologetico, cap.* 39.

Origenes *Tractatu* 35. *in Matthæum* de injuſta Excommunicatione. De qua etiam *Homilia* 14. *in Leviticum* pertractat.

S. CYPRIANUS *Epiſtola* 52. *ad Antonianum*, & *Libro de exhortatione Martyrii*, *cap.* 5. * Adde *Librum de lapſis*, & *Epiſtolam* 55. *ad Cornelium &c.*

S. ATHANASIUS *Apologia ad Conſtantium Imperatorem*, aliiſque in favorem ſuæ cauſæ conſcriptis, *egregie.*

LUCIFER CALARITANUS *Libro de non parcendo delinquentibus in Deum, ſed & ceteris ſuis Libris omnibus.*

S. OPTATUS MILEVITANUS *Libro I. jam laudato.*

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 17. *ad Cives Nazianzenos gravi timore perculſos, inſigniter & fuſe.* Idem legendus *Oratione* 19. *in laudem Patris*, & *Oratione* 20. *in laudem Baſilii*, quam fortiter tam iſte quam ille Eccleſiæ jura propugnaret.

S. AMBROSIUS *Sermone de Baſilicis non tradendis.*
Epiſtola 18. *alias* 31. *vel* 12. *contra Symmachum.*
Epiſtola 22. *alias* 84. *vel* 54. *ad ſororem.*
Epiſtola 56. *alias* 78. *vel* 9. *ad Theophilum*, in cauſa Flaviani, de appellatione ad judicem Laicum.
Epiſtolis item pluribus ad Imperatores Theodoſium, Gratianum, Eugenium.

S. CHRYSOSTOMUS *Epiſtola* 1. *ad Innocentium Papam.*
Libro III. de Sacerdotio, numero 16.
Homilia in Eutropium.
Homiliis 4. & 5. *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum.
Homilia 83. *in Matthæum, in fine.*
Homilia 65. *in Geneſin*, de Joſepho ſacerdotibus tributum remittente.
Homilia 83. *in Matthæum, in fine.*
Homilia 85. *in Joannem, in fine.*

Homi-

* Ubi non ſunt omittendæ Notationes Pamelii in utrumque hunc fontem.

Homilia 2. *in illud:* Salutate Priſcillam & Aquilam, *Tomo III. novo.*

Homilia 21. *in I. ad Corinthios*, de opibus Eccleſiæ.

Homilia 9. *in ad Philippenſes* præſtantiſſima huc habet.

Homilia 5. *in II. ad Theſſalonicenſes*, de ſeparatione a corpore Eccleſiæ.

Homilia 4. *in ad Hebræos, fuſe, & paulo preſſius*, de Excommunicatione.

Adde & *Librum contra Gentiles, ſeu in S. Babylam.*

S. Hieronymus *Epiſtola laudata ad Nepotianum: Epiſtola* 8. *nunc* 130. *ad Demetriadem: in Opuſculo adverſus errores Joannis Hieroſolymitani: in Dialogo adverſus Luciferianos &c.* Vide eundem *Commentario in Levitici caput* 3. de injuſta excommunicatione.

Synesius *Epiſtolis in cauſa Andronici Beronicenſis* perſcriptis.

S. Augustinus *Epiſtola* 48. *nunc* 93. de Appellantibus ad forum ſæculare: *Sermone* 355. *alias* 49. *de diverſis*, de non facile acceptandis ab Eccleſia legatis piis: *Sermone* 351. *alias homilia ultima ex* 50. de Excommunicatione.

S. Isidorus Pelusiota *Libro I. epiſtola* 174. in violatores aſyli. Item *Libro V. epiſtola* 268. ubi cum inſigni moderatione principibus dat poteſtatem in Clericos.

Theodoretus *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libro II. cap.* 13. ubi narrat *Dialogum Liberii cum Conſtantio* in urbe Mediolanenſi.

Salvianus *Libro* 4. & 8. *de gubernatione Dei*, in contemptum & perſecutionem Religioſorum. Item *Libro* 3. *ad Eccleſiam Catholicam*, in avaritiam parentum erga liberos eccleſiaſticos.

Ferrandus Diaconus *in Parænetico ad Reginum, pulcherrime,* ne mutentur leges & uſus Eccleſiæ.

S. Gregorius M. *Homilia* 26. *in Evangelia,* de poteſtate ligandi moderanda.

S. Maximus Martyr *in Collatione cum Principibus in Secretario.*

S. Joannes Damascenus *Oratione* 1. *de imaginibus.*

S. Agobardus *Libro de Privilegio & Jure Sacerdotii.* Item *Epiſtola de modo regiminis Eccleſiaſtici:* Et *Libro de diſpenſatione rei eccleſiaſticæ.*

S. Bernardus *Libris quinque de Conſideratione: Libro de Præcepto & Diſpenſatione: Epiſtola* 45. *ad Ludovicum regem &c.*

Accedunt his quam plurima ex Titulis: *Bona Eccleſiaſtica. Sacerdotium. Epiſcopatus. Summus Pontifex. Eccleſia. Hæreſis.*

TITULUS XXVI.

De *Juventute*, & quæ huc pertinent.

CAPUT I.

Loci.

Sequatur converſationis electio, ut adjungamur probatiſſimis quibusque ſenioribus. Nam ut æqualium uſus dulcior, ita ſenum tutior eſt, qui magiſterio quodam & ductu vitæ colorat mores adoleſcentium, & velut murice probitatis inficit. Nam ſi ii qui ſunt ignari locorum cum ſolertibus viarum iter adoriri geſtiunt, quanto magis adoleſcentes cum ſenibus debent novum ſibi iter vitæ aggredi, quo minus errare poſſint, & a vero tramite virtutis deflectere? Nihil enim pulchrius quam eosdem & magiſtros vitæ habere & teſtes. S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 43.

S. Chry-

S. Chrysostomus, *cum vitam præſentem turbatum quoddam mare eſſe, & ſicut ibi diverſos ſinus diverſis tempeſtatibus, ita iſtic diverſas ætates diverſis vitiis dixiſſet agitari:* Primum, *addit,* pelagus eſt puerilis ætas, quæ multis eſt tempeſtatibus obnoxia ob imprudentiam, facilitatem nimiam, parumque fixam indolem. Ideoque Pædagogos & Doctores pueris ſtatuimus, qui id, quod in natura deficit, ſuppleant, ut in mari per artem gubernatoriam. Poſt hanc ætatem adoleſcentiæ mare ſuccedit, ubi venti vehementes, ut in Ægæo mari, aucta nempe concupiſcentia. In hac maxime ætate raræ ſunt emendationes, non modo quod illa vehementius exagitetur, ſed quod peccata non redarguantur. Tunc enim Doctor & Pædagogus abſceſſerunt. Cum itaque venti vehementius reflant, ſi gubernator ſit imbecillior, nemoque ſit, qui ſubſidium afferat, cogita, quanta ſit tempeſtatis magnitudo. *Homilia 82. in Matthæum.*

Ut aqua in areola digitum ſequitur præcedentem; ita ætas mollis & tenera in utramque partem flexibilis eſt, & quocunque duxeris trahitur. S. Hieronymus *Epiſtola 128. alias 12 ad Gaudentium.*

Macta virtute, cujus talia principia, qualis finis erit. *Idem Epiſtola 60. alias 3. ad Heliodorum, num.* 13.

Optimi ſunt ad inſtitutionem morum primi quique anni. Habent enim in ſe lentum quiddam & molle, quod facile formari queat, atque ad arbitrium volentis trahi: & in cunctis fere rebus citius aſſueſcitur omne quod tenerum eſt. Novellas adhuc, & vix firmæ radicis arbuſculas, dum ad omnem ductum ſequaces ſunt, in quamlibet partem flecti facile eſt; quæ natura plerumque curvatæ cito ad arbitrium colentis corriguntur. *Idem creditus, Epiſtola ad Demetriadem, in Appendice.*

Scitis ipſi lubricum adoleſcentiæ iter, in quo & ego lapſus ſum, & vos non ſine timore tranſitis. Hoc illa nunc maxime ingrediens omnium eſt fulcienda præceptis, omnium eſt ſuſtentanda ſolatiis. *Idem Epiſtola germana* 7. *olim* 43. *ad Chromatium &c.*

Nec hoc dico, quod in juvenibus & adhuc ſolidioris ætatis frigeat ſapientia; ſed quod adoleſcentia multa corporis bella ſuſtineat, & inter incentiva vitiorum & carnis titillationes quaſi ignis in lignis viridibus ſuffocetur, ut ſuum non poſſit explicare fulgorem. *Idem Epiſtola* 52. *alias* 2. *ad Nepotianum.*

Juvenibus & puellis incentiva aufero voluptatum. Non Æthnæi ignes, non Vulcania tellus, non Veſevus, & Olympus tantis ardoribus æſtuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. *Idem Epiſtola* 10. *nunc* 54. *ad Furiam.*

Vos ergo juvenes! maxime monemus, & hortamur, ut veræ virtutis pulchritudine capiamini. Nulla ſpecies vos terreſtris, nullus fulgor metallorum, nulla nemorum amœnitas, nullæ florum purpuræ, nullus vel naturalis vel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet & chordarum atque tibiarum ſonus, nulla odorum jucunditas, nulla ſaporum ſuavitas, nulli amplexus pulchritudini, inſpirationi, dulcedini, fomentis ſapientia conferantur. Ab his enim quæ turpiter amantur, non ab ipſo amore prohibemus. Amare vultis! amate ſapientiam. S. Augustinus *Sermone* 391. *alias* 246. *de Tempore.*

Tantillus puer, & tantus peccator! *Idem Libro I. Confeſſionum, cap.* 12.

Et quid erat, quod me delectabat, niſi amare, & amari? *Idem Libro II. Confeſſionum, cap.* 2.

Sed dicit aliquis: juvenis homo ſum, faciam quod me delectat modo, & poſtea pœnitentiam agam. Quomodo ſi dicat: percutio me crudeli gla-

gladio, & poſtea vadam ad medicum. Heu miſer homo! neſcis quod unius horæ puncto vulnus accipitur, ſed vix longo tempore ad ſanitatem priſtinam revocatur? Qui enim fornicans dicit pœnitentiam ſe acturum, quare non timet, ne eum ſubitanea febricula vel aliquo caſu ſubita mors ſuperveniens rapiat: & pereat dilatio, & ſuccedat æterna damnatio? *Idem S. Doctor Libro de honeſtate mulierum, cap.* 3.

Per abſentiam veſtram venerandæ ſolutus lege formidinis molitur obſcœna. Ætas illa peccatis amicior multos reperit ad errata ductores. S. Ennodius Ticinensis *Libro VII. epiſt.* 30.

Fulconi frater Bernardus peccator inde lætari in adoleſcentia, unde in ſenectute non pœniteat. S. Bernardus *Epiſtola* 2. *ad Fulconem.*

Nec dicimus quamcunque ætatem Dei gratiæ præmaturam, ſicut nec ſeram; cum multos videamus juniorum ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, & quod ætati deeſt compenſare virtutibus. *Idem Epiſtola* 42. *ad Henricum Senonenſem. Eſt hodie inter Tractatus.*

Quis neſciat, primitias florentis ætatis ſicut & in plantis, & vineis, & rebus ceteris acceptiores exiſtere: ac proinde obſequia parvulorum gratiora eſſe, quam ſenum debilitatorum; qui non vitia deferunt, ſed a vitiis relinquuntur? Joannes Gerson *Tractatu de Parvulis ad Chriſtum trahendis, Conſideratione* 1.

CAPUT II.

Fontes.

S. Ephræm *Tomo I. novo* ſane præclara Juvenibus documenta dat *Sermone quodam parænetico ad Juventutem, pag.* 166.

S. Ba-

S. Basilius M *Homilia* 22. *ad adoleſcentes de legendis libris gentilium:* Item *in caput* 3. *Eſaiæ: Homilia* 3. *in illud: Attende tibi ipſi:* Et *Oratione* 18. *Collectitia.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 10. *in laudem Cæſarii fratris* ubi de illo adhuc juvene, cum operam ſtudiis navaret. *Oratione* 20. *in laudem Baſilii,* ubi fuſiſſime, quam in contubernio ipſius vitam Athenis duxiſſet. *Initio Epiſtolæ* 63. *ad Eudoxium Rhetorem,* ubi docet, puerulos eſſe iis admovendos, ad quæ natura feruntur. *Carminibus Jambicis* 3. & 18. queis juvenis maxime ſpei ille inſtituit.

S. Gregorius Nyssenus *in Vita S. Gregorii Thaumaturgi,* cum de ejus adoleſcentia. Et *Libro de Virginitate, cap.* 24. ubi duce ait Juvenibus opus ad probitatem. Item *in Monodia Pulcheriæ.*

S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 17. *Libro I. de Abel & Cain, cap.* 3. *Pluribus item ſermonibus in Pſalmum* 118. Denique *Epiſtola* 82. & 25. *nunc* 63. *numero* 26. quam ſit neceſſaria juventuti temperantia victus.

S. Chrysostomus *Epiſtola* 3. *ad Olympiadem.*
Homilia in Pſalmum 14. in Juventute ſerviendum Deo.
Homiliis 50. 60. & 61. *in Matthæum.*
Homilia 5. *in I. ad Theſſalonicenſes.*
Homilia 2. *in II. ad Theſſalonicenſes.*
Homilia 1. *in ad Hebræos.*
Libris adverſus vituperatores vitæ monaſticæ, maxime 3.
Parœneſi utraque ad Theodorum.

Quæ fere omnia faciunt ad Juventutem coërcendam.

S. Hieronymus *Epiſtola* 107. *alias* 7. *ad Lætam: Epiſtola* 128. *alias* 12. *ad Gaudentium: Epiſtola* 58. *alias* 13. *ad Paulinum, ad calcem,* ubi pulchre hortatur ad ſtudia literarum. Vide eundem *in cap.* 12. *Eccleſiaſt.*

S. Au-

S. AUGUSTINUS *in Libris prioribus Confeſſionum: Libro II. de Ordine, cap.* 8. ubi regulas ſane præſtantes dat Juventuti. *Sermone* 391. *alias* 246. *de Tempore,* qui eſt totus pro juvenili ætate.

S. ENNODIUS TICINENSIS *in vita S. Epiphanii, itidem Ticinenſis.*

S. BERNARDUS *Epiſtolis compluribus* ad juvenes perſcriptis.

JOANNES GERSON *Libro ſupra laudato.*

Adde Titulos: *Liberi. Parentes. Innocentia. Societas. Occaſio &c.*

TITULUS XXVII.

De *Liberalitate*, Luxu, Prodigalitate.

CAPUT I.

Loci.

Laus eſt, pietatis nomine facere ſumptum. TERTULLIANUS *in Apologetico, cap.* 39.

Stulta prorſus & vana jactura, fruſtrantis ſpectaculi voluptate id parare voluiſſe, quod nec populus acciperet, & perderet Magiſtratus. S. CYPRIANUS *Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

Sequitur avaritia præcurrentem luxuriam, quidquid hæc per vitia conſumpſerit, illa per ſcelera reſtituit, orbe criminum recurſo, ut rurſum luxuria eximat, quidquid avaritia congeſſerat. NOVATIANUS *Libro de cibis Judaicis, cap.* 6. *Eſt ad calcem operum Tertulliani.*

Qui exiguam ſtipem miſeris negant, qui conſervare humanitatem ſine damno ſuo volunt: patrimonia ſua effundunt, ut aut peritura & fragilia ſibi comparent, aut certe maximis ſuis damnis nihil conſequantur. Quid enim dicendum eſt de iis, qui populari levitate ducti vel magnis urbibus ſuffecturas opes exhibendis *Muneribus* impendunt, niſi eos demen-

dementes ac furioſos, qui præſtent id populo quod & ipſi perdant, & nemo eorum, quibus præſtatur accipiat? Lactantius *Libro VI. Inſtitutionum divinarum, cap.* 11.

Beneficium, ſi refertur, interit, atque finitur. Nec enim poſſumus id habere integrum, cujus pretium nobis perſolutum eſt. In his itaque beneficiis Juſtitiæ ratio verſatur quæ ſalva & incorrupta permanſerint. Permanent autem non aliter quam ſi præſtentur hominibus iis, quibus prodeſſe nullo modo poſſunt. *Idem Libro eodem, cap.* 12.

Ne dici quidem munera oportet, in quibus nemo accipit, niſi qui accipere non meretur. *Idem ibidem.*

Modus liberalitatis tenendus eſt, ut quod bene facis, id quotidie facere poſſis; ne ſubtrahas neceſſitati quod indulſeris effuſioni. S. Ambrosius *Libro II. de Officiis, cap.* 16.

Dominus non vult effundi opes, ſed diſpenſari. *Idem Libro II. de iisdem Officiis, cap.* 30.

Parietes veſtitis auro; homines veſte nudatis. *Idem Libro de Nabuth, cap.* 13.

Uberior eſt nummus e parvo quam theſaurus e maximo; quia non quantum detur, ſed quantum reſideat expenditur. Nemo plus tribuit quam qui nihil ſibi relinquit. *Idem Libro de viduis, ante medium.*

Et flumina ſuperfluunt, cum redundant; gratior tamen hauſtus e rivulo eſt. Spumant & muſta, dum fervent: nec damnum putat agricola, quod defluxerit. Non ergo quod faſtidio exſpuas, ſed quantum devotione conferas, æſtimandum eſt. *Idem ibidem.*

S. Chrysostomus *poſt medium libri* 2. *de compunctione cordis, admirabili eloquentia:* Cogita interim plantarum varietatem, fructiferarum, infructuoſarum: earum quæ in deſertis, quæ in agris cultis, in

in montibus, in planitie. Conſidera diverſitatem in ſeminibus, in oleribus, in floribus, in animalibus terreſtribus, in amphibiis, in natalibus. Perpende viſibilia omnia propter nos facta cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Quemadmodum enim ſi quis regiam ſplendidam conſtruxerit, multo fulgentem auro, multo gemmarum nitore: ita mundum fabricatus Deus hominem introduxit, ut in hæc omnia regnum obtineret. Quodque longe mirabilius in hac domo eſt, non ex lapidibus tectum concinnavit, ſed ex alia pretioſiore materia condidit: neque candelabri aurei flammam accendit, ſed ſuperne lampadas ponens, eas per domus tectum diſcurrere juſſit, ita ut id non utile modo eſſet, ſed magnam etiam nobis pareret voluptatem: pavimentum autem inſtar opiparæ menſæ adornavit: & hæc præbuit ei qui nihil adhuc boni exhibuerat. Verumtamen poſt tanta dona cum erga beneficum homo ſe ingratum præbuiſſet, non ideo illum honore privavit, ſed expulit tantum ex paradiſo, atque ſic caſtigavit, ut ingratum animum ultra procedere cohiberet, & ad pejora declinare impediret. Hæc porro omnia hisque plura ſecum reputans Apoſtolus, utpote divino motus ſpiritu, quæ ab initio, quæ quotidie, quæ in ſingulos, quæ in omnes ſimul, quæ palam, quæ clanculum, multo plura iis quæ manifeſta ſunt; item quæ ſecundum œconomiam unigeniti filii Dei, futura quoque bona, & omnia demum circumſpiciens, atque inenarrabilem Dei amorem undique colligens, & cogitans quaſi in immenſum pelagus delapſus ſic edidicit, quot & quantis eſſet rationibus reddendis obnoxius, quarum ne minimam partem exhibere poterat. Quapropter talia loquebatur, & minima quidem peccata magna cum diligentia ſcrutabatur, recte facta autem oblivioni mandabat. Sed non perinde nos qui delictorum quidem licet multa magna-

magnaque ſint, nec rationem habemus, nec mentionem facimus: ſi quid autem vel minimum boni fecerimus id ultro citroque jactamus, nec prius jactandi & gloriandi finem facimus quam parvum illud per arrogantiam deleamus.

Nemo plus dedit pauperibus, quam quæ ſibi nihil reſervavit. S. Hieronymus *Epiſtola* 27. *nunc* 108. *ad Euſtochium, in fine.*

Cum ipſe nullius pretii ſit, plurima inſumit. S. Isidorus Pelusiota *Libro III. Epiſtola* 371.

Quid plura? dat ſe tibi Deus homo! ut ferre potes, quia ut eſt tu non potes ſuſtinere. S. Chrysologus *Sermone* 23.

Sed audiamus jam quid puſillo gregi talis promiſerit Paſtor. *Nolite*, inquit, *timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* O bonitas effuſa! o inaudita pietas! o ineffabilis affectio! in ſocietatem cenſus paſtor oves aſſumit, atque ad conſortium dominationis ſervos dominus adſciſcit, ad participatum regni rex gregem populi totius admittit! Sic dat cui deficere cenſus, cui regnum minui, vacuari poteſtas non poteſt largiendo. *Idem eodem Sermone.*

Quod habet Eccleſia cum omnibus nihil habentibus habet commune: nec aliquid inde eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, debet erogare; quando nihil aliud ſit habentibus dare, quam perdere. Julianus Pomoerius *Libro II. de vita contemplativa, cap.* 9.

Cœleſtis, ut creſcat, beneficii genus ſubitum facit eſſe quod tribuit; ne devenuſtet ſperatam prolixitas miſericordiam largitoris. S. Ennodius *Libro VIII. epiſtola* 18.

Munus accipientibus vultu & animo blandiſſimo commendabat. *Idem de S. Epiphanio Ticinenſi, in Vita.*

Egentibus juſtum eſt, non divitibus, ſubvenire. Fundit potius qui mittit in plenum; illud potius recon-

reconditur, quod vaſis vacuis congregatur. Cassiodorus *Libro XIV. epiſtola* 27.

Juxta Philoſophum non tulit gratis, qui cum rogaret accepit. Et quidem ſcio, quia nullum vendit amicus obſequium. Libenter & gratis & cito ſubvenit. Neſcit preces expectare; ſed, velut egentis vaticinetur voluntatem, prævenit rogaturum. Dubitat enim, utrum ſit obſequium, quod vis precum elicit: quod non accipit improvidus, ſed importunus extorquet. Hildebertus Cenomanensis *Epiſtola* 53.

CAPUT II.

Fontes.

Clemens Alexandrinus *Libro III. Pædagogi, cap.* 7. contra Luxum. Et jam ante *Libro II. ejusdem operis, capitibus* 1. *&* 3.

S. Cyprianus *Epiſtola ſupra dicta.*

Novatianus *Libro laudato de cibis Judaicis, præclare.*

Lactantius *Libro VI. Inſtitutionum divinarum, capitibus jam citatis, uti &* 17.

S. Basilius M. *Regula* 2. *fuſiore,* ubi pulchram habet enumerationem liberalitatis divinæ. Idem *Homilia* 7. in divites, multa de luxu & prodigalitate.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 16. *de pauperum amore*, ubi eſt ſane magnificus æque ac vehemens in luxu divitum impugnando.

S. Gregorius Nyssenus *Homilia* 3. *in Eccleſiaſten*, ubi de ædificiis, atque inſanis ſubſtructionibus prodigorum. *Oratione* 1. *de pauperibus amandis, verſus finem,* contra luxum. *Oratione, non eſſe dolendum in eorum obitu, qui in fide dormierunt.*

S. Asterius Amasenus *fuſe & præſtanter homilia de divite & Lazaro*: Et iterum *Homilia in feſtum Kalendarum,* ubi invehitur in luxum & profuſionem.

S. Ambroſius *Libro II. de Officiis, capitibus* 15. 16. *&* 21. de prodigalitate. *Libro I. de iisdem, cap.* 49. *obiter* de luxu.

S. Chryſoſtomus *Sermone* 2. *in Pſalmum* 48. *ad illud :* auxilium eorum veteraſcet &c. Ædificia ſumptuoſa monumenta eſſe avaritiæ & ambitionis, quæ poſt mortem infamiam potius & maledicta pariant, quam admirationem.

Adde *Homiliam* 2. *ad populum*, *circa medium*, contra ornatum & ſplendorem ædium.

Homilia 5. *in ad Romanos, in Morali.*

Homilia 11. *in eandem Epiſtolam, fuſe.*

Homilia 7. *in ad Philippenſes*, ubi luxum infamem Conſtantinopolitanorum vehementiſſime inſectatur.

S. Hieronymus *ad finem vitæ S. Pauli, primi Eremitæ*, contra inſanos pompæ ſectatores. Item *Epiſtola* 108. *alias* 27. *ad Euſtochium*, de S. Paulæ profuſione in pauperes.

S. Isidorus Pelusiota *loco citato egregie* parcum cum prodigo componit.

S. Cyrillus Alexandrinus *Apologorum ipſi falſo tributorum Libro* 3. ubi *fuſe & eleganter* de beneficio non differendo.

Salvianus *tam in libris de Gubernatione, quam ad Eccleſiam, paſſim*, de divina in nos largitate, noſtraque in Deum avaritia. Sed nec raro in prodigalitatem & luxum concitatur.

S. Petrus Damiani *Opuſculo XXXI. cap.* 6. in Luxum Clericorum, *vehementer & fuſe.* Idem *Opuſculo IX. cap.* 1. de beneficiis non protelandis.

Hildebertus Cenomanensis *Tractatu de Honeſto & Utili*, ex inſtituto. Nota ibidem, quæ Titulo *de Utili* habet de ædificiis.

S. Bernardus *in Declamationibus*, in luxum & pompam Cleri quam maxime concitatur. Nec minus in pompam & luxum Abbatum & Monacho-

rum

rum *Apologia ad Guilielmum Abbatem.* Denique in Luxum & pompam Præſulum *Epiſtola* 42. *ad Henricum Senonenſem, quæ eſt hodie inter Tractatus repoſita.* Taceo alias ejus *Epiſtolas complures*, ubi iſtuc ipſum vexat argumentum.

Petrus Blesensis *Epiſtola* 128. de cruciatu dilati beneficii.

Joannes Saresberiensis *Libro VIII. Policratici*, *cap.* 13. de liberalitate tam vera, quam falſa.

Vide Titulos: *Eleemoſyna. Bona Eccleſiaſtica. Ambitio &c.*

TITULUS XXVIII.

De *Longanimitate* Dei.

CAPUT I.

Loci.

Florem lucis hujus ſuper juſtos & injuſtos æqualiter ſpargit: temporum officia, elementorum ſervitia, totius genituræ tributa dignis & indignis patitur ſimul occurrere; ſuſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem; ut ſua ſibi patientia detrahat. Plures enim Dominum idcirco non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt. Tertullianus *Libro de Patientia, cap.* 2.

Sicut omnia in menſura fecit Deus, & pondere, & numero: ita & patientiæ ejus menſura &c. Origenes *Libro II. in Caput* 2. *Epiſtolæ ad Romanos.*

Qualis vero in Deo, & quanta patientia, quod in contumeliam ſuæ majeſtatis & honoris inſtituta templa, & terrena figmenta, & ſacra ſacrilega patientiſſime ſuſtinens, ſuper bonos & malos æqualiter

facit diem naſci, & lumen ſolis oboriri! Et cum imbribus terras rigat, nemo a beneficiis ejus excluditur, quo minus juſtis ſimiliter & injuſtis indiſcretas pluvias largiatur. Videmus inſeparabili æqualitate patientiæ nocentibus & innoxiis, religioſis & impiis, gratias agentibus & ingratis Dei nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſſium, fructus miteſcere vinearum, exuberare pomis arbuſta, nemora frondeſcere, prata florere. Et cum continuis exacerbetur offenſis Deus, indignationem ſuam temperat, & præſtitutum ſemel retributionis diem patienter expectat: cumque habeat in poteſtate vindictam, mavult tenere patientiam, ſuſtinens ſcilicet clementer & differens, ut, ſi fieri poteſt, multum malitia protracta aliquando mutetur, & homo in errorum & ſcelerum contagione volutatus vel ſero ad Dominum convertatur. S. Cyprianus *Libro de bono Patientiæ, poſt initium.*

Non enim Deus rapit humanorum criminum occaſiones: neque tanquam infirmitatis noſtræ, naturæque neſcius ipſum illud ad pœnam erroris & peccati noſtri tempus invadit; ſed diſſimulat & differt, & pœnitentiæ ſolatium dilatione ultionis expectat. S. Hilarius Pictaviensis *in Pſalmum* 144.

Deus laneos habet pedes, ſed ferreas manus. Tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. S. Hieronymus *Commentario in caput II. Epiſtolæ ad Romanos.*

Quid tam longanimum, quid tam multum in miſericordia? peccatur, & vivitur! accedunt peccata, augetur vita! S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 102. *poſt medium.*

Numquid tam prolixa miſericordia poteſt Deo auferre juſtitiam? Quanto enim diutius expectat, tanto gravius vindicat. *Idem Sermone alias* 102. *de Tempore, nunc* 29. *in Appendice nova.*

Pro

Pro ineffabili pietate ſua non ſolum nos admonet Deus, ſed etiam rogat, ut nos a peccatis mortiferis revocemus. Audiamus illum dum rogat; ne nos poſtea non audiat ille, dum judicat. Audiamus eum per Prophetam dicentem: Fili! inquit, miſerere animæ tuæ, placens Deo. Quid ad hæc reſpondet humana fragilitas! Deus te rogat, ut tui miſerearis, & non vis? cauſam tuam apud te agit, & a te non poteſt impetrare? Et quomodo te audiet ille in die judicii ſupplicantem, cum tu eum pro te ipſo nolueris audire rogantem? *Idem Sermone* 29. *in Appendice nova, alias* 102. *de Tempore. Eſt Cæſarii Sermo* 15.

Penſate fratres chariſſimi, quia concluſit Dei pietas duritiam noſtram. Non eſt jam quod homo excuſationis inveniat. Deus deſpicitur, & expectat! contemni ſe videt, & revocat! injuriam de contemptu ſuo ſuſcipit, & tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit! Sed nemo hanc ejus longanimitatem negligat! quia tanto diſtrictiorem juſtitiam in judicio exigit, quanto longiorem patientiam ante judicium prorogavit. S. Gregorius M. *Homilia* 13. *in Evangelia.*

Miſericordia tua ſuper me, Domine, quonam poterit explicari ſermone, quam benigna, quam liberalis, quamque gratuita fuerit. Ego peccabam, & tu diſſimulabas: non continebam a ſceleribus, & tu a verberibus abſtinebas: prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam! Sed quid prodeſſet expectatio, niſi ſequeretur pœnitudo? S. Bernardus *Sermone* 2. *in Dominicam VI. poſt Pentecoſten.*

Ex magnitudine Indulgentiæ magnitudinem ultionis attende. *Idem Sermone* 1. *in Epiphania.*

Plura dant Tituli: *Spes. Dilatio Pœnitentiæ. Præſumptio. Pœnitentia &c.*

CAPUT II.

Fontes.

Origenes *Libro* 2. *in Epiſtolam ad Romanos, ad verba:* An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Item *Libro VII. in eandem Epiſtolam:* Et *Homilia* 1. *in caput I. Jeremiæ.*

S. Macarius *Homilia* 4. *fuſe.*

S. Basilius M. *Homilia* 8. *in Pſalmum* 32. *ad verba:* Diligit miſericordiam. Item *Homilia* 13. *in ſanctum baptiſma.*

S. Chrysostomus *Homilia* 5. *nunc* 7. *de Pœnitentia.*

Homilia 25. *in Geneſin.*
Homilia in Pſalmum 49.
Homilia 1. *de Elia.*
Homilia 14. *in Matthæum.*
Homilia 5. *in ad Romanos.*
Homilia 11. *in II. ad Corinthios.*

Adde *Librum* 1. *de Providentia Dei ad Stagyricum.*

S. Hieronymus *Libro VIII. Commentariorum in Eſaiam, cap.* 26. Et *Libro V. Commentariorum in Ezechielem, cap.* 16.

S. Augustinus *Sermone* 2. *in Pſalmum* 58. *ad verſum ultimum:* Deus meus, miſericordia mea. Item *Enarratione in Pſalmum* 102. *Tractatu* 36. *in Joannem,* quantam Deus judicio miſericordiam præmittat.

S. Isidorus Pelusiota *Libro V. epiſtola* 549. Et *Libro II. epiſtola* 160.

S. Chrysologus *Sermone* 42. quam magna Dei miſericordia, tempus ſæpe longiſſimum tribuentis ad agendam pœnitentiam.

S. Prosper *Expoſitione in Pſalmum* 102.

S. Gre-

S. Gregorius M. *Libro XVII. Moralium, cap. 6. ad verba:* Dedit ei Deus locum pœnitentiæ: Et *Libro XXV. Moralium, capitibus* 3. 4. 5.

Sedulius *Collectaneo in Epiſtolam ad Romanos, cap.* 2.

S. Bernardus *Sermone* 13. *de diverſis, de triplici miſericordia, & quatuor miſerationibus.*

TITULUS XXIX.

De *Miſericordia*, variiſque ejus operibus, ab Eleemoſyna jam ante tractata diverſis.

CAPUT I.

Loci.

Qui ſe a præſtando auxilio removet, etiam ab accipiendo ſe removeat neceſſe eſt; quia nullius opera indigere ſe putat, qui alteri ſuam denegat. Lactantius *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, cap.* 10.

Tenendum eſt omni modo, ut ab officio miſericordiæ ſpes recipiendi abſit omnino. Hujus enim operis & officii merces a Deo eſt expetenda ſolo; nam ſi ab homine expectes jam non humanitas erit illa, ſed beneficii fœneratio: nec poteſt videri bene meruiſſe qui quod fecit non alteri, ſed ſibi præſtat. Et tamen res eodem redit, ut quod alteri quisque præſtiterit nihil ab eo commodi ſperans, vere ſibi præſtet; quia mercedem capiet a Deo. *Idem Libro eodem, cap.* 12.

Faciendum nobis eſt fratres, ut curemus non minus aliorum corpora quam ſuum quisque corpus, ſeu commoda valetudine ſit ſeu eodem modo conſumatur. Omnes enim unum in Domino ſumus ſive dives ſive pauper, ſive ſervus ſive liber, ſive ſanus ſive æger: atque unum omnium caput ex quo

omnia Chriſtus. Quodque membra inter ſe ſunt, hoc quisque alteri atque omnibus omnes. Ac proinde minime committendum eſt, ut eos qui prius in communem infirmitatem inciderunt contemnamus, & negligamus, nec magis gaudendum nobis eſt, quod commoda valetudine utimur, quam lugendum quod fratres miſera, & afflicta; quin potius ita exiſtimare debemus, carnium & animarum noſtrarum ſalutem in hoc uno poſitam eſſe, ut eos humanitate ac miſericordia proſequamur. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 16. *num.* 18.

Quem alterius fames, ac ægritudo commiſeratione non tangit, fera ſane eſt, rationis expers, perperam humanam indutus formam, ac voluntate (prava) fallens naturam. Adeoque feris ipſis atque belluis immanior. Siquidem ſues jugulata ſue ſenſu quodam doloris afficiuntur, ac circum recens fuſum ſanguinem triſte murmur edunt. Boves tauri cædem circumſtant, miſerabili dolorem rugitu deſignantes. Quin gruum quoque greges, cum una forte gregalium in caſſes incidit, captam circumvolitant, ac lamentabili quodam clangore complentes aërem, comitem ſuam ac gregalem requirunt. Hominem vero, anima ratione præditum ac manſuetum, Deique imitatione bonitatem doctum, leviter adeo proximorum acerbi caſus, gravesque calamitates afficient, atque movebunt? S. Asterius *Homilia* 1. *de divite & Lazaro.*

Canes ante menſam impaſtos eſſe non patimur, & homines excludimus? S. Ambrosius *Libro III. Officiorum, cap.* 7.

Cum ali te opus fuerit, ne carni quidem ſuæ parcit ipſe (Dominus) cum tibi potum dari opus fuerit, ne ſanguini quidem ſuo parcit, nec illum invidet; tu vero ne panem quidem impertis, nec calicem? Quam tandem veniam obtinebis, qui tot bonis tam pretioſis acceptis, tam vilibus parcas? Vide, ne

ne frequenter cum Chriſto largiri ad lucrum recuſaveris, ad damnum diabolo largiaris. S. Chrysostomus *Homilia in illud:* Vidua eligatur. *Tomo III. novo.*

(S. Paula) pauperes omnes ac debiles curioſiſſime tota urbe perquirens, damnum putabat, ſi quisquam eorum cibo ſuſtentaretur alieno. Spoliabat filios, & inter objurgantes propinquos majorem ſe eis hæreditatem, Chriſti miſericordiam, dimittere loquebatur. S. Hieronymus *Epiſtola 27. nunc 105. ad Euſtochium.*

(S. Exuperantius) eſuriens paſcit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur aliena: omnemque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogavit. *Idem Epiſtola 4. nunc 125. ad Ruſticum.*

Ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & neminem (miſericordem) permittit in carcerem mitti. Et quicunque miſertus fuerit, miſerebitur ei. S. Augustinus *Sermone 311. Appendicis novæ, olim homilia 39. ex 50.*

Non eſt perfecta pietas, quæ precibus extorquetur. *Idem ibidem.*

Quid miſerius miſero, non miſerante ſeipſum? *Idem Libro I. Confeſſionum, cap. 13.*

De Loth, qui loco hoſpitum ſuſcepit Angelos: Conſuetudine hoſpitalitatis liberatus eſt a periculo civitatis, & temporale evaſit incendium, & æternum conſecutus eſt præmium. Diſcite Chriſtiani, ſine diſcretione hoſpites ſuſcipere; ne forte, cui domum clauſeritis, cui humanitatem negaveritis, ipſe ſit Chriſtus. *Idem Oratione de quinque hæreſibus, cap. 4.*

Clamat Deus: *Miſericordiam volo.* Qui, quod vult Deus, Deo negat; a Deo ſibi, quod deſiderat, vult negari. *Miſericordiam volo.* Homo! petit Deus; ſed tibi, non ſibi. *Miſericordiam volo.* Humanam miſericordiam petit, ut largiatur divinam.

Eſt in cœlis miſericordia, ad quam per terrenas miſericordias pervenitur. S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 8. *de Jejunio & eleemoſyna.*

Dicturus cauſam in judicio Dei, patronam tibi miſericordiam, per quam liberari poſſis, aſſume. Qui de patrocinio miſericordiæ certus eſt, de venia ſit ſecurus, de abſolutione non dubitet. Miſericordia non ſolum cauſam prævenit, anticipat cognitionem; ſed etiam ſententiam revocat. *Idem ibidem.*

Guttam aquæ petiit, qui micas panis negavit. S. GREGORIUS M. *Libro XVIII. Moralium, cap.* 19.

Quam fœdum eſt, & nos hæc a vobis requirere, & vos non præbere! S. JOANNES DAMASCENUS *Libro II. Parallelorum, cap.* 62. *hodie Titulo III. littera* 1. *eſt ex Nazianzeno.*

Hæc (miranda miſericordiæ virtus) Deum facit hominibus debitorem, ut regnum ſibi cœlorum non jam quaſi quod alienum eſt quærant, ſed velut quod ſui juris eſt audacter invadant. O felix miſericordia! quæ de miſeria quidem naſceris, ſed veram tuis executoribus beatitudinem paris! B. PETRUS DAMIANI *Opuſculo* 9.

Neſcit ſanus, quid ſentiat æger; aut plenus, quid patiatur jejunus. Et æger ægro, & jejunus jejuno quanto propinquius, tanto familiarius compatiuntur. Sicut enim pura veritas non niſi puro corde videtur, ſic miſeria fratris verius miſero corde ſentitur. Sed ut ob alienam miſeriam miſerum cor habeas, oportet ut tuam prius agnoſcas, ut proximi mentem in tua invenias, & ex te noveris qualiter illi ſubvenias; exemplo ſcilicet ſalvatoris noſtri, qui pati voluit ut compati ſciret, miſer fieri ut miſereri diſceret. S. BERNARDUS *Tractatu de gradibus humilitatis & ſuperbiæ, cap.* 3.

CA-

CAPUT II.

Fontes.

ORIGENES *in Explanatione capitis* 12. *Epiſtolæ ad Romanos,* de perfecta hoſpitalitate.

S. CYPRIANUS *Epiſtola* 60. *ad Epiſcopos Numidas,* de redimendis captivis.

LACTANTIUS *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, capitibus* 10. 11. 12. 13. de miſericordia tam generatim, quam ſpeciatim. Idem eandem rem tractat *Epitomes cap.* 5.

S. BASILIUS M. *Homiliis* 6. 7. *& præſertim* 8.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *tam oratione citata, quam Oratione* 20. ubi de hoſpitali S. Baſilii.

S. GREGORIUS NYSSENUS *in orationibus de pauperibus amandis, præcipue vero oratione* 5. *de Beatitudinibus tota.*

S. AMBROSIUS *Libro I. de Abraham, cap.* 5. *de hoſpitalitate.*

Libro de Nabuth, cap. 5. de benignitate erga obæratos.

Libro I. de Officiis, cap. 30. de operibus miſericordiæ.

Libro II. de Officiis, cap. 15. de captivis redimendis.

Libro eodem, cap. 21. de miſericordia, præſertim erga peregrinos.

Libro eodem, cap. 28. de ſacris etiam vaſis ad redemptionem captivorum &c. vendendis.

Libro III. de Officiis, cap. 6. in abſcondentes frumenta.

Libro eodem, cap 7. de miſeratione erga accolas.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 41. *in Geneſin,* de hoſpitalitate, *fuſe.*

Homilia 59. *in Joannem,* de viſitandis captivis, *præclare.*

Homilia 45. *in Acta,* de hoſpitalitate, *fuſe.*

Homi-

Homilia 11. *in ad Romanos*, miſericordiam omnem tolli ab avaritia, ubi de abſcondentibus frumenta.

Homilia 4. *in ad Philippenſes*, quantopere hominem deceat miſericordia.

Homilia in illud: Vidua eligatur. *Tomo III. novo.*

RUFFINUS, *ſive Auctor, ſive Interpres*, *Libro II. de vitis Patrum, cap.* 21. de hoſpitalitate Monachorum Nitriæ.

S. AUGUSTINUS *Sermone* 239. *alias* 146. *de Tempore.* Idem, ſeu potius Faſtidius, *Libro de vita Chriſtiana, cap.* 15. in delicatas mulieres, quæ jam non dignantur in hoſpitalibus Chriſto Domino miniſtrare.

SALVIANUS *Libro* 4. *adverſus avaritiam, ſeu ad Eccleſiam Catholicam*, Sanctos plerumque ſanctitati initium a miſericordia feciſſe.

S. VALERIANUS CIMELIENSIS *Homiliis* 7. 8. & 9. *totis* agit de miſericordia.

HILDEBERTUS CENOMANENSIS *Sermonibus* 108. & 109. *de operibus miſericordiæ.*

Libro & capite jam laudatis.

PETRUS BLESENSIS *Epiſtola* 102. in falſam hoſpitalitatem, quæ eſt hodie in monaſteriis, ex perſona Abbatis Radingenſis.

Alia vide Titulis: *Amor proximi. Eleemoſyna. Adverſa. Morbi. Mors*, quod ad funus ſpectat &c.

TITU-

TITULUS XXX.

De *Miſſæ* Sacrificio.

CAPUT I.

Loci.

Chriſtus non ſolum Pontifex, ſed Sacerdotum Princeps, ſed Princeps Principum Sacerdotum. ORIGENES *Homilia 6. in Leviticum.*

Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo ſacrificiis deleatur: quid de cetero pro delictorum expiatione dabitur, quando in ipſa ſacrificii oblatione peccatur? S. JULIUS I. *Papa, in Epiſtola ad Epiſcopos Ægypti.*

Quid agis frater? nonne cum verbi divinis miniſtro orante dixiſti: *Elevemus ad Deum corda noſtra?* Nihilne metuis homo? nihil te pudet tremenda hac hora mendacii crimen admittere? O rem admirandam! cœleſtis Regis epulas apparatas! agnum Dei ipſum pro te mactatum! ignem cœleſti menſa emicantem! adſtantes Cherubinos, & Seraphinos circumdantes, facieque alis obtecta cum omnibus cœleſtibus exercitibus, unacum ſacro miniſtro pro te orantes! ſacrum ignem exeuntem! ſanguinem Chriſti, tui mundandi gratia, ſacro calici infuſum! Nonne te pudet? non ploras! non tecum ipſe habitas? ut nec pro te ipſo, nec pro aliis Deum ores? S. EPHRÆM *Sermone de ſanctiſſimis & vivificantibus Sacramentis, ad calcem Tomi III. novi, græcolatini.* *

Quæ

* Hæc ipſa leguntur apud Chryſoſtomum, *homilia in Encæniis*, id quod primo aſpectu me illico advertit. Quare Joannes Petrus Kohlius, in Academia Scientiarum Petropolitana hiſtoriæ eccleſiaſticæ & humaniorum literarum Profeſſor, qui ſermonem e Sclavonico vertit, ediditque Altonaviæ 1729. ægrius ferre haud debet, ſi poſt P. Petrum Benedictum, qui meram eſſe compilationem ſuſpicatus

Quæ major victima, quam quæ mundi totius peccatum ſuo cruore mundavit? S. Ambrosius *in Pſalmum* 43. *ad illud:* In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.

Cum videris Dominum immolatum, & jacentem, & ſacerdotem ſacrificio incumbentem ac precantem, omneſque pretioſo illo ſanguine rubentes; an putas, te adhuc cum hominibus, & in terra eſſe! an non potius in cœlos translatus, omnique carnali cogitatione eliminata, nudo animo, menteque pura, quæ in cœlis ſunt, circumſpicis? O miraculum! o Dei bonitatem! Qui cum patre ſurſum ſedet, illa hora omnium manibus tenetur, ſeſeque volentibus dat complectendum, & accipiendum! S. Chrysostomus *Libro III. de Sacerdotio, poſt initium.*

Alios video colloquentes ſtare, dum fit Oratio. Modeſtiores autem non modo, dum fit oratio, ſed etiam dum ſacerdos benedicit. O audaciam! quomodo poterimus Deum placare? *Idem Homilia* 24. *in Acta.*

Neſcis, te cum Angelis ſtare, & cum illis cantare, hymnoſque celebrare? Et ſtas ridens? An non mirum eſt, quod fulmen non immittatur, non in illos tantum, ſed & in nos omnes? *Idem ibidem.*

S. Augustinus *Libro X. de Civitate Dei, cap.* 20. *Sacrificium Miſſæ* Summum *vocat* verumque ſacrificium, cui cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.

Quis eſt ſacerdos, niſi unus ſacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum? Quis eſt iſte ſacerdos, niſi qui fuit & victima & ſacerdos? niſi ille, qui cum in mundo non inveniret mundum, quod offerret, ſeipſum obtulit? *Idem Enarratione in Pſalmum* 132. *poſt medium.*

Ipſe

catus eſt, opinio Lectionis & Eruditionis ſuæ etiam a nobis in dubium revocetur. Vide *Antirrheticon* Benedicti *Tomo II. Syrolatino*, & *Prolegomena Aſſemani in Tomum III. græcolatinum a pag. LV.*

Ipſe Dominus hoſtia omnium ſacerdotum eſt, qui ſemetipſum pro omnium reconciliatione Patri libans victima ſacerdotii ſui & ſacerdos ſuæ victimæ fuit, cuique nunc ut uni omnium Domino omnis nova creatura ſacrificium, ipſique ſunt hoſtia ſacerdotes. S. Paulinus *Epiſtola* 11. *alias* 5. *ad Severum.*

Quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit? S. Leo *Epiſtola* 8. *nunc cap.* 4.

Ut umbræ cederent corpori, antiqua obſervatio novo excluditur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtivitas dum mutatur impletur. *Idem Sermone* 7. *de Paſſione.*

Hæc ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſalvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per myſterium reparat. Qui licet reſurgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur; tamen in ſe ipſo immortaliter, atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc myſterio ſuæ Oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus ſumitur, ejus ſanguis non jam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem Unigeniti filii ſemper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi, unum quoque ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri? Sed neceſſe eſt, ut cum hæc agimus, nosmetipſos Deo in cordis contritione mactemus; quia qui Paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hoſtia erit Deo, cum nos ipſos hoſtiam fece-

fecerimus * S. Gregorius M. *Libro IV. Dialogorum, cap.* 58. & 59.

Audenter dico, quia ſalutari hoſtia poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem Deo ipſi hoſtia fuerimus. *Idem ibidem, cap.* 60.

Quanto putamus adverſus nos zelo moventur Angeli, dum in conſpectu illius nos irreverenter ſedere conſpiciunt, cui ipſi trementes aſſiſtunt! S. Petrus Damiani *Libro III. epiſtola* 8.

Multiplicitatem ſacrificiorum veterum ſingularitate ſui ſacrificii abbrevians occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit. Algerus *Libro II. de Sacramento corporis & ſanguinis Domini, cap.* 3.

Hoc unum ceterarum hoſtiarum vim magnitudine ſua & præſtabili dignitate obruit. Hic holocauſtum, hic victima pacifica, hic propitiatorium ſacrificium continetur. *Idem.*

S. Rupertus Tuitiensis *Sacrificium Miſſæ eleganter* juges Chriſti exequias *appellat.*

S. Bonaventura *ait:* Non minus videri Deum facere quotidie deſcendendo de cœlo ſuper altare, quam cum naturam noſtram aſſumendo in uterum virginis deſcendit. *Parte II. Inſtitutionis Novitiorum, cap.* 11. *Ibidem vocat:* Memoriale totius dilectionis ſuæ, & compendium quoddam omnium beneficiorum.

CAPUT II.

Fontes.

Origenes *Homilia* 17. *in Numeros*, de priorum ſacrificiorum cauſis, & imperfectione.

Euse-

* Huc, credo, reſpexit P. Chaplaine in egregio opuſculo, quod *in uſum audiendi Sacri pro regia Galliarum Principe* conſcripſit, & quod plenum, ac univerſale hominis ſacrificium eo tempore Deo ſtatuit.

Euſebius Cæsariensis *Libro IV. Præparationis Evangelicæ, a capite 11.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catecheſi myſtagogica 5.*

S. Ephræm *Sermone citato.*

S. Ambrosius *Libro IV. de Sacramentis, cap. 4.* de omnipotentia divini Verbi panem in vinum vertentis, *præclare.*

S. Chrysostomus *Oratione 3. contra Anomœos*, ubi preces Angelorum durante ſacro perquam graphice depingit. Idem *Homilia 4. contra eosdem, egregie facit* pro Muſicis, minus plerumque ſub ſacrificio reverentibus.

Adde ejusdem *Librum III. & VI. de Sacerdotio.*

Homiliam 2. adverſus Judæos, de ſacrificiis antiquis.

Oratione in cœmeterii appellationem ac crucem, ad finem.

Homilia in Encœniis.

Homilia de baptiſmo Chriſti, de relinquentibus ſacrum, priusquam ſit abſolutum, graviſſimis verbis. *Eſt Tomo II. novo.*

Homilia 1. de proditione Judæ, Tomo II. novo.

Homilia 26. in Matthæum, de Miſſa, ut eſt actio gratiarum.

Homilia 24. in Acta, adverſum irreverentes, *graviſſime.*

Homilia 24. in I. ad Corinthios, ubi pulchre de carne Chriſti, atque aliis huc facientibus.

Homiliis 15. & 17. in ad Hebræos. &c.

S. Hieronymus, *cujus locos omnes collegit Cornelius Schultingus Confeſſionis Hieronymianæ, Tomo III. cap. 7.*

S. Augustinus *Libro X. de Civitate Dei, capite 4. & 5.* Item *Libro IV. de Trinitate, cap. 14.* Omnia, quæ pertinent ad ſacrificium, huic noſtro quam pleniſſime convenire. *Sermone 251. de tempore,*

nunc 280. *Appendicis*, de iis, qui miſſa necdum finita e templo diſcedunt.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *Libro IV. contra Julianum Apoſtatam*, de ſacrificiis veterum: Et *Libro XV. de Adoratione in ſpiritu & veritate.*

S. PROCLUS *Tractatu de Traditionibus Miſſæ divinæ.*

S. NILUS *Epiſtola ad Anaſtaſium Epiſcopum*, ubi graviter Angelorum ſacrificio huic adſtantium reverentiam inculcat.

THEODORETUS *Quæſtionibus in Leviticum; & Libro, ſeu Sermone* 7. *de græcarum affectionum curatione*, ubi agit de *Sacrificiis.*

S. CÆSARIUS ARELATENSIS *Homilia* 80. *in Appendice nova Tomi V. Auguſtiniani, ſermone* 281. Iterum *Homilia* 81. *ſermone* 282. *ibidem.* Rurſum *Homilia* 82. *ſermone* 283. *ibidem* in eos, qui miſſam imperfectam relinquunt, verbis ſimplicibus, ſed multis & vehementibus.

S. ANASTASIUS SINAITA *præclara Oratione de S. Synaxi*, ubi multa quadrant in abuſus noſtrorum temporum circa iſtam materiam.

S. MAXIMUS MARTYR *de Eccleſiaſtica Myſtagogia.*

S. ILDEPHONSUS *creditus*, *Libro de Miſſa*, quem reperire mihi hodieque haud contigit.

S. GERMANUS CONSTANTINOPOLITANUS (ſi tamen ſit ſenior, ſeu defenſor imaginum) *in Theoria rerum Eccleſiaſticarum.*

ALCUINUS *in Commentariis de miniſterio Miſſæ.*

FLORUS DIACONUS *Libro de actione Miſſarum.*

REMIGIUS ANTISIODORENSIS *in Expoſitione de celebratione Miſſæ.*

BERNO AUGIENSIS *de quibusdam rebus ad Miſſæ officium pertinentibus.*

S. PETRUS DAMIANI *Opuſculo* 39. *contra ſedentes tempore divini officii.*

S. IRO

S. Ivo Carnotensis *Sermone* 5. ſeu potius (ut ipſe vocat) *Opuſculo de convenientia veteris & novi Sacrificii.*

Hildebertus Cenomanensis *de Miſſæ Sacrificio quamplurima ſcripſit.*

Franco Affliginensis *Libris X. & XI. de gratia ſeu beneficentia Dei.*

S. Rupertus Tuitiensis *Libro II. de divinis officiis.*

Petrus Cluniacensis *de Miſſæ Sacrificio, & Tractatu adverſus Petrobruſianos.*

Guilielmus Parisiensis *Libro de Legibus, cap.* 11. ubi agit de Sacrificiis veterum. Item *Libro de Sacramento Euchariſtiæ, capitibus pluribus.* Et *Libro de Rhetorica divina, capitibus* 32. & 33.

Quibus addi poſſunt: Innocentius III. *de officiis Miſſæ, ſeu de ſacri Altaris myſteriis, Libris ſex.*

Dionysius Carthusianus *in Expoſitione Miſſæ, de Sacramento Altaris, Tomo I. Opuſculorum, &*

Franciscus Titelmannus *de Officio Miſſæ.* &c. &c.

Multa etiam, imo plurima huc faciunt ex iis auctoribus, quos Libro præcedente, Titulo: *de Euchariſtia* laudabamus.

TITULUS XXXI.

De *Mollitie* moderna; ſeu voluptaria, delicataque vita.

CAPUT I.

Loci.

Delicatus es Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis; imo nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem. Philoſophi quidam hoc nomen quieti & tranquillitati dederunt. In ea gaudent,

dent, in ea avocantur, in ea gloriantur. Tu mihi metas & ſcenas, & pulverem, & arenam ſuſpiras? Dicas velim: non poſſumus vivere ſine voluptate, qui mori cum voluptate debemus. Nam quod eſt aliud votum noſtrum, quam quod & Apoſtoli; exire de ſæculo, & recipi apud Dominum? hic voluptas, ubi & votum. Tertullianus *Libro de Spectaculis, cap.* 28.

Quæ major voluptas, quam faſtidium ipſius voluptatis. *Idem ibidem, cap.* 29.

Quæ iſtos Epicureos nova ſchola miſit? S. Ambrosius *Epiſtola* 25. *alias* 82. *vel* 63. *ad Vercellenſem Eccleſiam.*

Appetentia voluptatis conſtat deceptum Adam excidiſſe mandato Dei, & fructu gratiæ. Quomodo igitur voluptas ad paradyſum revocare nos poteſt, quæ ſola nos paradiſo exuit? *Idem eadem Epiſtola.*

Te vero non oportet olere unguentum, ſed ſpirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim ac veſtium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem, & immundum. S. Chrysostomus *Homilia* 1. *de Lazaro.*

Quid igitur? non eſt quiſpiam, inquies, qui & hic & illic requie fruatur? Iſtud impoſſibile eſt o homo! atque ex eorum numero quæ fruſtra ſperes. Fieri enim non poteſt, non poteſt inquam, ut qui hic in ſocordia, ſecuritateque vixerit, qui in deliciis omnibus aſſidue dies conſumpſerit, qui temere neglecteque tranſegerit ætatem, illic honorem conſequatur. *Idem Concione* 3. *de Lazaro.*

Ii, qui principum miniſteria, vel publicorum negotiorum adminiſtrationem ſuſcipiunt, nihil horum ſciſcitantur; ſed ſolum ſi res lucro futura ſit; lucro inquam temporali. Quod ſi hoc ſperare valeant, non labores, non pericula, non ignominiam, non

non ſervilia miniſteria, non peregrinationes longas, non diuturnam in alia regione commorationem, non contumelias, non cruciatus, non temporum mutationem, non periculum a ſperato fine aberrandi, non præmaturam mortem, non ſeparationem a domeſticis, non uxoris & liberorum ſolitudinem, non aliam quampiam difficultatem cogitant, ſed pecuniarum cupidine ceu amentes effecti omnia ſubeunt mala quæ ad hanc conducere poſſint. Nos autem quibus non pecuniæ, neque terra, ſed cœlum proponitur, & cœleſtia bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, de quiete ſciſcitamur; usque adeo ſumus illis miſerabiliores, & molliores. Quid agis mi homo? In cœlumne mittendus, ibi regnum accepturus, percontaris an quid ſit arduum in via & peregrinatione hujusmodi, & non te pudet, non erubeſcis, nec te ſub terram defodis? Etiamſi omnia quæ hominibus contingere poſſunt, mala occurrant, ſive convitia, ſive contumeliæ, ſive ignominiæ & ſycophantiæ: ſeu gladius, ignis, ferrum, feræ, demerſiones: ſive fames, morbus, & omnia quæ ab initio in hac vita contingunt acerbiora, an non quæſo hæc irridebis, & deſpicies? An de illis vel minimum cogitabis? Equid hujusmodi animo ſtolidius, quid vilius, quid miſerius? Cœleſtium deſiderio captum non dico tantum quietem quærere non debere, ſed ne ejus quidem præſentis affectu moveri. Quomodo abſurdum non fuerit eos qui ineptis amoribus tenentur, amatis ita ſe totos dedere, ut præter eos, eorumque conſortium nihil eorum quæ in hac vita ſunt (ſunt autem bene multa) dulce exiſtiment: nos autem qui non inepto quodam ſed omnium ſupremo amore tenemur, non ſolum præſentem quietem non deſpicere, ſed etiam abſentem requirere? Nullus hactenus chariſſime, ita cœleſtium deſiderio correptus eſt, ut corripi par erat; alioquin quæ gra-

via videntur eſſe umbram, & riſu digna eſſe putaſſet. Sane qui præſentia ſuſpicit, nunquam futurorum contemplatione dignabitur; qui autem illa deſpicit, & omnia nihilo meliora eſſe quam umbras & ſomnia exiſtimat, cito magna illa, & ſpiritualia aſſequetur. *Idem Libro* I. *de compunctione cordis, poſt medium.*

Rurſum *Parœneſi* I. *ad Theodorum, de mollem, & voluptariam vitam agentibus:* An non vidiſti quosdam qui in deliciis, & in ebrietatibus & in reliquo hujus vitæ ludibrio mortui ſunt? Ubi nunc ſunt qui tumidi ſuperbia cum multis ſequacibus per forum incedebant? qui ſericis induti veſtibus, & unguentum olentes, paraſitosque alentes ſcenæ ſemper affixi erant! Ubi nunc oſtentatio illa & pompa? Abiit cœnarum ſumptus, muſicorum turba, aſſentantium clientela, riſus immodicus, animi remiſſio, mentis effuſio, vita mollis, otioſa, luxu perdita. Quo nunc evolarunt omnia? quid factum eſt de corpore quod pridem tanto famulitio tanta munditia abundabat? Perge nunc ad ſepulchrum, contemplare, pulverem, cineres, vermes, loci deformitatem intuere, & amare ſuſpira. Atque utinam ad cineres damnum ſiſteret. Jam autem a ſepulchro & a vermibus cogitatum transfer ad immortalem illum vermem, ad ignem inextinguibilem, ad fremitum dentium, ad tenebras exteriores, ad afflictionem, & anguſtiam, ad parobolam Lazari & divitis, qui tot pecuniis inſtructus, purpuraque indutus, ne ſtillam quidem aquæ poſtea in poteſtate habuit in tanta calamitate conſtitutus. Hujus enim vitæ conditio ſomniis nihilo melior eſt. Quemadmodum enim qui metalla effodiunt, aut aliam quamdam pœnam luunt hac graviorem, ſi quando ſub duris illis laboribus & acerbiſſima vita dormitantes per ſomnium ſe viderint in deliciis, & rerum affluentia, experrecti poſtea, nullam ſomniis gratiam habent: ſic & dives

dives ille cum in præſenti vita quaſi in ſomnio divitiis abundaſſet, poſteaquam hinc emigraverat, duro ſupplicio plectebatur. Hæc cogita, & ignem conferens cum eo, quo nunc detineris, cupiditatum incendio, tandem a fornace illa te expedi; nam qui hanc hic probe reſtinxit, nec illam aliam experietur: ſi quis vero hanc non ſuperaverit, vehementius hinc profectus in illa tunc cruciabitur.

Dominus tuus clavis confixus eſt: & tu deliciaris! Hæccine militis generoſi? *Idem, initio homiliæ* 13. *in ad Philippenſes.*

Paululum laboremus, ut in omne ævum requieſcamus. Omnino ærumnis angamur neceſſe eſt. Quod ſi hic minime angamur, id nos ibi manet. Cur non malumus hic vexari, ut ibi requieſcamus? *Idem ibidem, in fine.*

Delicatus es frater, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto. S. Hieronymus *Epiſtola* 14. *alias* 1. *ad Heliodorum, in fine.*

Si volueris reſpondere, te nobili ſtirpe generatam, ſemper in deliciis, ſemper in plumis, non poſſe a vino & eſculentioribus cibis abſtinere, nec his legibus vivere, diſtrictius reſpondebo: Vive ergo lege tua, quæ Dei non potes. *Idem Epiſtola* 22. *ad Euſtochium.*

Satius & præſtabilius eſt a laboribus ad requiem quam a voluptate ad cruciatum proficiſci. S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtola* 174.

Si qui jejuniis & humi dormitionibus, aliiſque aſperioris vitæ generibus corpus domant, atque hac ratione brutam libidinum potentiam coërcent; ſi a libidine ſemel ſubacti deprehendantur, veniam haud quaquam conſecuturi ſunt: qui libidinem alliciunt, ac per luxum eam excitant, quam tandem veniam conſequentur? *Idem Libro III. epiſtola* 401.

Tantum ad virtutem adjicies, quantum ex voluptate abſtraxeris. S. Martinus Bracarensis *in Sententiis de Moribus.*

Malorum metropolis eſt voluptas. S. Joannes Damascenus *Libro III. Parallelorum, cap.* 28. *nunc Titulo XI. Litera* π. *Eſt ex Chryſoſtomo.*

Aut iſte (Chriſtus ſcilicet) fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impoſſibile eſt ſapientiam. Merito proinde & carnis prudentia (Mors ſiquidem eſt & ipſa) inimica eſt Deo: & ſæculi quoque prudentia ſtultitia nominatur. Quid enim? Chriſtus utique qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quisquis aliud doceat vel ſuadeat ab eo tanquam a ſeductore cavendum. S. Bernardus *Sermone* 3. *de Natali Domini; ubi infantem divinum exhibet delicatis.*

Rogo, quæ eſt hæc ſecuritas, inter frendentium undique hoſtium fulgurantes haſtas, & circumvolitantia ſpicula tanquam finito jam bello, & triumphato adverſario projicere arma: & aut prandiis incubare longioribus, aut nudum molli volutari in lectulo? Quid hoc ignaviæ eſt o boni milites? Sociis in ſanguine & cæde verſantibus vos aut cibos diligitis delicatos, aut ſomnos capitis matutinos? Aliis inquam nocte & die cura pervigili feſtinantibus redimere tempus quoniam dies mali ſunt: vos econtrario & longas noctes dormitando conſumitis, & dies fabulando ducitis otioſos? An dicitis pax? Et non eſt pax. Cur non verecundamini ad exprobrationem Apoſtolicæ indignationis? *Nondum enim,* ait, *reſtitiſtis usque ad ſanguinem.* Imo jam ad ejusdem terribilis valde comminationis tonitruum cur non expergiſcimini? *Cum dixerint,* inquit, *pax & ſecuritas,* tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. *Idem in Apologia ad Guilielmum Abbatem, verſus finem.*

Indignum eſt, ut gratis merces ſempiterna donetur. Si enim quod momentaneum eſt periculis emitur, ac laborioſa ſolicitudine poſſidetur, quod caret fine & humanum ſupereminet ſenſum, atque beatum eſt, torpentibus tribuetur? Pudeat prorſus Chriſtianum crucifixo Domino militantem absque ſudore certaminis triumphum reportare pugnantium. Ducem ſuum aſpiciat, ejus cicatrices tangat, utriusque hominis * dolores agnoſcat, paſſionis intelligat cauſam; quatenus evigilet ad gratiam, animetur ad bellum, roboretur in pœna, elevetur a carne, converſetur in ſpiritu, ſequatur exercitum, perveniat ad coronam. S. Laurentius Justinianus *Sermone de S. Laurentio.*

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro de pœnitentia, cap.* 11. in molles pœnitentes: Et *Libro ad Martyres, cap.* 3.

Clemens Alexandrinus *in Pædagogo, paſſim.*

Lactantius *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, capitibus* 21. & 22. egregie facit in voluptarios & molles.

S. Ephræm *ſæpiſſime, præſertim ubi de Pœnitentia. Lege ex Inſtitutione ejus, Tomo III. novo, græcolatino, ſermonem quemdam pag.* 398. qui huc maxime quadrat.

S. Pacianus *in Paræneſi ad pœnitentiam,* in pœnitentes, qui ſibi nimium indulgent.

S. Chrysostomus *Libro laudato de compunctione cordis.*

Oratione adverſus eos, qui in deliciis agunt.

Oratione 6. de fato & providentia, per totum.

Libro de Virginitate, cap. 66. in eos, qui nolunt amplius pedibus uti, & perpetuo curribus vehuntur.

* Superioris, & inferioris.

Homiliis de Lazaro, ubi varia huc, eaque egregia.
Homilia 35. *in Acta, in Morali, fuſe & vehementer.*
Homiliis 6. *&* 39. *in I. ad Corinthios.*
Homilia 32. *in ad Epheſios, initio Moralis.*
Homilia citata in ad Philippenſes, vehementer.
Homilia 9. *in I. ad Theſſalonicenſes.*
Homilia 2. *in I. ad Timotheum*, de unguentis, atque odoribus.
Homilia 8. *in I. ad Timotheum.*
Homilia 28. *in ad Hebræos, in Morali.*
Homilia 29. *in ad Hebræos, fuſe*, ubi vel naturalibus de cauſis mollitiem impugnat, præſertim illam mulierum.
Sermone ſuppoſito de Pſeudoprophetis.
Oratione in SS. Martyres Ægyptios, in Epilogo, ubi mollitiem excutit exemplo Martyrum.

S. Hieronymus *Libro* 2. *contra Jovinianum, fuſe & eleganter.*

S. Cyrillus Alexandrinus *Homiliis Paſchalibus* 18. 19. 28.

S. Fulgentius *Epiſtola* 2. *ad Gallam viduam.*

S. Gregorius M. *Libro X. Moralium, cap.* 13.

S. Bernardus *in Declamationibus, ante medium*, & *Sermone* 30. *in Cantica*, quo maxime perſtringit delicias circa victum. Latius exſpatiatur laudata *Apologia ad Guilielmũ Abbatem.* Idem fuſe & præſtanter ſuppeditat media, quibus mollis hæc vita excutiatur *Epiſtola* 1.

Vide etiam Titulos: *Amor proprius. Mortificatio. Odium. Recreationes. Bacchanalia. Tepor. Fervor. Satisfactio. SS. Martyres. Circumciſio Domini. Fortitudo &c.*

TITU-

TITULUS XXXII.

De *Mortibus* Carorum, Luctuque reprimendo.

CAPUT I.

Loci.

Profectio eſt, quam putas mortem. Non eſt lugendus, qui antecedit, ſed plane deſiderandus. Id quoque deſiderium patientia temperandum. Cur enim immoderate feras abiiſſe quem mox ſubſequeris? TERTULLIANUS *Libro de Patientia, cap.* 9.

Qui filium non potes lege, & ſorte mortalitatis amittere; quid faceres, ſi filium jubereris occidere? S. CYPRIANUS *Libro de Mortalitate, circa medium, commonſtrans parentibus ſacrificium Abrahami.*

Gaudeamus & nos, cum juſtum viderimus interiiſſe, vel potius quando aliquem etiam ex deſperatis. Nam ille quidem diſcedit, laborum ſuorum mercedem accepturus, hic vero quidpiam de peccatorum ſuorum numero detraxit. Sed fortaſſe, inquit, vivens vitam mutaſſet ſuam. At non illum rapuiſſet Deus, ſi vitam ille mutaturus fuiſſet. Etenim qui omnia pro ſalute noſtra facit, ac diſponit, cur non eum ſiviſſet vivere, qui aliquando talis futurus eſſet, ut placeret? Si ſinit eos, qui non convertuntur, multo magis eos, qui convertuntur. Undique igitur fletus nobis amputatus ſit, undique lamenta ſublata. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 8. *in ad Philippenſes, in fine.*

Non generatim eos, qui moriuntur, lugeamus; neque de viventibus generatim gaudeamus. Sed quid? Lugeamus peccatores, non ſolum morientes, ſed etiam viventes; de juſtis gaudeamus, non ſolum dum vivunt; verum etiam poſtquam mortui fuerint. Nam illi quidem, etiam dum vivunt, mortui

tui ſunt: hi vero etiam, cum mortui fuerint, vivunt. *Idem Homilia* 3. *in ad Philippenſes.*

Obiſſe nuntiant. Concidi fateor, obortiſque lacrimis flevi uberrime; quin etiam dum hæc ad te frater ſcribimus, fluunt lacrimæ; nec ullum impatientiſſimi doloris admitto ſolatium. Te vero, ubi hoc nuntiatum eſt, participem eſſe volui luctus mei, qui eras ſocius amoris. Veni ergo ad me ſtatim ut pariter lugeamus quem pariter amamus. Quamquam ſciam virum illum non eſſe lugendum cui poſt evictum, triumphatumque ſæculum nunc demum reddita eſt corona juſtitiæ; ſed tamen ego non poſſum mihi imperare quin doleam. Præmiſi quidem Patronum, ſed ſolatium vitæ præſentis amiſi. Sulpitius Severus *Epiſtola* 2. *ad Aurelium.*

En rurſus lacrimæ fluunt, imoque de pectore gemitus erumpit. In quo mihi poſthac homine ſimilis requies, in cujus erit charitate ſolatium? me miſerum! me infelicem! poterone unquam, ſi diutius vixero, non dolere quod Martino ſuperſtes ſum? erit mihi poſt hæc vita jucunda? erit dies aut hora ſine lacrimis? aut tecum frater dilectiſſime potero illius mentionem habere ſine fletu: aut unquam loquens apud te aliud quam de illo loqui? Sed quid te in lacrimas, fletuſque commoveo? Ecce nunc conſolatum eſſe te cupio qui me conſolari ipſe non poſſum. *Idem ibidem.*

Scimus quidem Nepotianum noſtrum eſſe cum Chriſto, & Sanctorum mixtum choris; ſed deſiderium abſentiæ ejus ferre non poſſumus, non illius, ſed noſtram vicem dolentes. Quanto ille felicior, tanto amplius nos in dolore, quod tali caremus bono. S. Hieronymus *Epiſtola* 60. *alias* 3 *ad Heliodorum, poſt initium.*

Felix Nepotianus qui hæc non videt! felix qui hæc non audit! Nos miſeri qui aut patimur, aut patientes fratres noſtros tanta perſpicimus; & tamen vivere

vivere volumus, eosque, qui his carent, flendos potius quam beatos putamus. *Idem ibidem, ad finem.*

Mortem juvenis mariti ſic flevit ut exemplum conjugii dederit: ſic tulit, ut eum profectum crederet, non amiſſum. Orbitatis magnitudo religionis occaſio fuit. *Idem Epiſtola 79. alias 9. ad Salvinam, initio.*

Sed quid agimus? Matris prohibituri lacrimas ipſi plangimus. Confiteor affectus meos, totus hic liber fletibus ſcribitur. *Idem Epiſtola 25. nunc 39. ad Paulam.*

Si viventem crederes filiam, nunquam plangeres ad meliora migraſſe. *Idem ibidem.*

Cum omnem ſubſtantiolam aut pauperibus dilargita ſis, aut filiis ante mortem mundo mortua dederis: miror te ea facere, quæ ſi facerent ceteræ, reprehenſione dignæ viderentur. Redit tibi in memoriam confabulatio ejus, blanditiæ, ſermo, conſortium: & quod his careas pati non potes. Ignoſcimus matris lacrimis, ſed modum quærimus in dolore. Si parcentem cogito, non reprehendo, quod plangis; ſi chriſtianam, & monacham, iſtis nominibus mater excluditur. Recens vulnus eſt, & tactus iſte quo blandior non tam curat, quam exaſperat; attamen quod tempore mitigandum eſt, cur ratione non vincitur? *Idem ibidem.*

Speramus nos de hac vita, unde migraturi quosdam noſtros migrantes non amiſimus, ſed præmiſimus ad eam vitam eſſe venturos, ubi nobis erunt quanto notiores, tanto utique cariores, & ſine timore ullius diſceſſionis amabiles. S. AUGUSTINUS *Epiſtola 92. alias 6. ad Italicam.*

Audite fratres! Chriſtiani ſumus, & tamen plerumque ſi filius cujusquam moriatur, plangit illum; ſi peccet, non illum plangit. Tunc plangeret, tunc doleret, cum peccantem videret! Tunc modum imponeret, tunc normam vivendi doceret, diſciplinam

nam daret; aut ſi fecit, & ille non audivit, tunc erat plangendus, tunc pejus mortuus luxurioſe vivens, quam moriendo luxuriam finiens. *Idem Enarratione in Pſalmum* 37. *ad finem.*

Quam malum eſt, ut lugeamus quod non poſſumus ſuſcitare? carnem, quam non poſſumus ſuſcitare, plangimus: & animam mortuam non plangimus, quam poſſumus per pœnitentiam ad ſtatum priſtinum revocare. Corpus mortuum plangimus, quod amamus; animam vero mortuam, quod non amamus, non dolemus, non plangimus. S. Cæsarius Arelatensis *Homilia* 8.

Egone fleam illum, qui fletum evaſit? S. Bernardus *in vita S. Malachiæ.* Et *Sermone* 26. *in Cantica, poſt medium*: Plorandi, *ait*, qui ita plorant.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro citato.*

Origenes *Homilia* 8. *in Geneſin.*

S. Cyprianus *Libro citato.*

S. Ephræm *Sermone in eos, qui in Chriſto obdormierunt. Tomo III. novo, præclare.*

S. Basilius M. *Homilia* 4. *de gratiarum actione, & Homilia* 5. *in Martyrem Julittam.* Sed nihil ſimile *Epiſtolis ejus nunc* 5. *&* 6. *alias* 188. *&* 189.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 19. *fere initio, & rurſum in fine egregie.*

S. Gregorius Nyssenus *Monodia in Pulcheriam: Oratione in Placillam Auguſtam: Oratione in Magnum Meletium: Oratione, non eſſe dolendum ob eorum obitum, qui in fide dormierunt &c.*

S. Ambrosius *Libro de bono mortis.*

Oratione in obitu Valentiniani II. Imperatoris.

Oratione in obitu Theodoſii M. Imperatoris.

Libro de exceſſu fratris ſui Satyri.

Libro

Libro ſecundo ejusdem materiæ, de fide reſurrectionis.

S. Chrysostomus *Homilia de dormientibus, ſive in illud:* De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres. *Eſt apud Montfauconum Tomo I. poſt quatuor Conciones de Lazaro: ubi maxime invehitur in immoderatum luctum fidelium cum offenſa Ethnicorum.*

Sermonibus duobus de Conſolatione mortis, Tomo VI. Montfauconi, qui extant latine tantum, atque etiam habentur apud Auguſtinum Tomo VI. a pag. 259.

Homilia 32. in Matthæum.

Homilia 61. in Joannem.

Homilia 22. in Acta.

Homilia 41. in I. ad Corinthios, Morali toto.

Homilia 1. in II. ad Corinthios, in Morali.

Homilia citata in ad Philippenſes.

Homilia 6. in I. ad Theſſalonicenſes, toto Morali.

Homilia 4. in ad Hebræos.

Adde *Tractatum geminum ad Viduam juniorem.*

S. Hieronymus *tum Epiſtolis ſupra citatis, cum Epiſtola 26. nunc 66. Epiſtola 27. nunc 105. Epiſtola 34. nunc 118.* Et *ſuppoſita illa ad Tyraſium, præclare & fuſe. Eſt in Appendice.*

S. Augustinus *Libro de cura pro mortuis, capite præſertim 1. & ultimo.*

Libro de vera Religione, cap. 47.

Libro XIX. de Civitate, cap. 8.

Sermone 65. alias 13. inter additos a Pariſienſibus.

Sermone 172. alias 32. de verbis Apoſtoli.

Idem Tomo VI. novo, in Appendice, habet Tractatum, ſeu ſermones duos de conſolatione mortuorum. Habentur etiam *apud Chryſoſtomum Tomo VI. novo, a pag.* 102.

S. Basilius Seleuciensis *Orationibus* 32. 33. & 40.

S. Ful-

S. Fulgentius *Epiſtola* 2. *ad Gallam viduam.*

S. Andreas Cretensis *Oratione de vita humana, atque defunctis.*

S. Petrus Damiani *Libro VIII. epiſtola* 8. de non lugendo parvulo poſt baptiſmum mortuo.

S. Bernardus *Sermone in depoſitione Humberti Monachi.* Et *Sermone* 26. *in Cantica, de morte Gerardi fratris.*

Mitto alia, quæ ſunt plane innumera; quod hæc omnibus abunde ſufficiant. Lege etiam, quæ damus infra, *ad Feſtum SS. Innocentium.*

TITULUS XXXIII.

De *Mortificatione*, externa & interna.

CAPUT I.

Loci.

Quid gravatur pati nunc homo ex remedio, quod non eſt tunc gravatus pati ex vitio? Diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicuit occidi in perditionem? nauſeabit ad antidotum, qui hiavit ad venenum? Tertullianus *in Scorpiaco, adverſus Gnoſticos, cap.* 5. *Loquens de Mortificatione a Deo immiſſa a Perſecutoribus.*

S. Basilius M. *initio homiliæ* 13. *in ſanctum baptiſma:* Moriamur, *inquit,* ut vivamus. Perimamus affectum carnis, qui Dei legi ſubjici non poteſt, ut valida ſpiritus affectio in nobis gignatur, unde vita paxque ſolet oriri. Sepeliamur unacum Chriſto, qui pro nobis mortuus eſt, ut etiam una cum Chriſto, qui nobis reſurrectionis auctor fuit, reſurgamus.

Ego, aſelle, faciam, ut non calcitres: nec te hordeo alam, ſed paleis. Fame te conficiam, & ſiti: gravi onerabo pondere: per æſtus indagabo & frigora, ut cibum potius quam laſciviam cogites. S. Hieronymus *in vita S. Hilarionis, poſt initium.*

Noli

Noli extrinſecus pecus, quod mactes, inquirere; habes in te, quod occidas. S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 50. *prope finem.*

Primo vincendæ ſunt delectationes, & poſtea dolores. Quomodo poteſt ſuperare mundum ſævientem, qui non poteſt ſuperare blandientem? *Idem Sermone* 35. *alias* 50. *de Sanctis.*

Mortua eſt delectatio una? ſed vivit altera. *Idem Sermone* 156. *alias* 13. *de verbis Apoſtoli.*

Spiritus deficit, ubi caro requieſcit. Ut enim caro mollibus, ſic anima duris nutritur: illam blanda refovent; hanc aſpera exercent: illa delectationibus paſcitur; hæc amaritudinibus vegetatur. S. Gregorius M. *Libro X. Moralium, cap.* 24.

Quid abſurdum eſt, quid ineptum, ſi nunc ſancta Eccleſia in pacis otio utitur, quo dudum utebabatur in bello? Nam & Apoſtolus iterum dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo:* Et alibi: *Sancti ludibria, & verbera experti.* Porro dum manus carnificis nunc ab infligendo Martyribus verbere ceſſat; quid obeſt, ſi ſancta devotio ipſa ſibimet, unde ſanctis Martyribus particeps fieri mereatur, exhibeat? Nam cum ſponte me propriis manibus ante conſpectum Dei verbero, devotionis ingenuæ deſiderium, ſi carnifex accurreret, promptus oſtendo. Quia ſi pro amore Chriſti tam dulcis eſt mihi pœna cum deeſt: quo ſuſciperetur animo, ſi perſecutor offerret? S. Petrus Damiani *Libro VI. epiſtola* 27.

S. Bernardus, *cum præmiſiſſet:* Quomodo dicunt nobis carnales homines: crudelis eſt vita veſtra: non parcitis carni veſtræ. *Ad quæ verba repente argumentum invertens,* ſic vos, *inquit,* parcitis carni veſtræ? Simus nos crudeles interim non parcendo; at vos plane parcendo crudeliores. Siquidem etiam nunc caro noſtra requieſcit in ſpe. Videritis vos ipſi, quid ignominiæ interim veſtra ſu-

ſtineat: quid miſeriæ eam maneat in futurum. *Sermone* 10. *in Pſalmum* 90. *Qui habitat.*

Quis ita ad unguem omnia a ſe ſuperflua reſecavit, ut nihil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuo excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe; ſæpe putandum eſt; imo, ſi fieri poſſit, ſemper; quia ſemper quod putari oporteat, ſi non diſſimulas, invenies. *Idem Sermone* 58. *in Cantica.*

Non poteſt virtus cum vitiis pariter creſcere. Ergo, ut illa vigeat, iſta creſcere non ſinatur. Tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgunt. Utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. *Idem ibidem.*

Nolo Domine ſine vulnere vivere; quia te video vulneratum. S. Bonaventura *Parte I. Stimulorum divini amoris, cap.* 2.

Hæc pauca adſcribere placuit; quod infinita his quatuor Libris occurrunt in Titulis affinibus, maxime in illo: *De vita molli. De odio carnis. De Paſſionibus. De Temperantia.*

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro de pœnitentia, ſæpius.*

Origenes *Homilia* 3. *in Leviticum: Homilia* 1. *in Pſalmum* 37. Et *in illud Pauli:* Debitores ſumus non carni &c.

S Basilius M. *Regula* 128. *breviore:* Et *Conſtitutionum Monaſticarum cap.* 5. de Mortificatione immoderata. De eadem, atque etiam aliis huc facientibus copioſe *Libro de virginitate: Homilia in Pſalmum* 29.

S. Gregorius Nazianzenus *Carmine Jambico* 7. *adverſus brutam animæ partem.*

S. Gre-

S. Gregorius Nyssenus *Libro de Virginitate vera, capitibus* 22. *&* 23. de moderatione hic adhibenda.

S. Ambrosius *Libro de bono mortis, cap.* 3.

S Chrysostomus *in Libris de Compunctione cordis.* Et *Sermone: Carnis concupiſcentias ne ſectemur. Homilia* 4. *in Matthæum*, & paſſim alibi in *Eundem*; atque etiam in *Joannem*, in *Epiſtolas Pauli*, in *varios novi Teſtamenti locos; præſertim autem Commentario in caput* 5. *&* 6. *Epiſtolæ ad Galatas.*

Adde *Auctorem Operis imperfecti, homilia* 25.

S. Hieronymus *fuſe Libro* 2. *adverſus Jovinianum.*

Commentario in caput 25. *Ezechielis.*

Commentariis in caput 5. *&* 6. *Epiſtolæ ad Galatas.*

Epiſtola 14. *alias* 1. *ad Heliodorum.*

Epiſtola 22. *ad Euſtochium.*

S. Augustinus *Libro de continentia, fuſe: Libro de Agone Chriſtiano, ſæpius: Libro III. contra Julianum, fuſe.* Idem in aliis quamplurimis Locis, quibus agit de concupiſcentia. *Tractatu* 51. *in Joannem, ſub medium, in illud:* Qui amat animam ſuam.

S. Cassianus *Libro I. de Inſtitutis Renuntiantium, cap.* 6. Item *ejuſdem operis Libro III. cap.* 8. Et *Collatione IV ac V.*

S. Joannes Climacus *gradu* 15. ubi *fuſe & præſtanter* genium carnis noſtræ depingit. Idem *gradu* 5. de vigore ſummo pœnitentium monachorum.

S. Dorotheus *Doctrina* 1. *de obedientia*, ubi pulchre, quomodo abnegando nos ipſos ad perfectiſſimam tranquillitatem veniamus.

S. Petrus Damiani *Opuſculo* 43. *de laude flagellorum & diſciplinæ.* Item *Libro VI. epiſtola* 27. *jam laudata.*

S. BERNARDUS *Sermone 6. de Adventu*: Et *Sermone* 10. *in Pſalmum* 90. Qui habitat, *atque alias ſæpiſſime.* Nota, quæ *Sermone* 3. *de circumciſione*, & apud ipſum Auctor *Tractatus de vita ſolitaria, cap.* 11. de immoderata mortificatione commemorant.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Tractatu de interiori conflictu.*

Vide etiam Titulos: De *Satisfactione.* De *Paſſionibus*, & his ſimiles.

TITULUS XXXIV.

De *Obduratione* * Frigore, Stupore & Inſenſibilitate Animi.

CAPUT I.

Loci.

Tanto magis impii ſunt nonnulli, quanto benignior eſt Deus, ac humanior. CLEMENS ALEXANDRINUS *in cohortatione ad Gentes*, *numero hodie* 9.

Graviſſime ORIGENES, *cum præmiſiſſet, minas Dei, & verbera & pœnas miſerentis veluti vocem eſſe*, *iſtuc ſubjungit*: Vis autem audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi, quod dixit per Prophetam! Cum enumeraſſet multa nefanda, quæ commiſerat populus, addit etiam hæc: *Et propter hoc non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fornicantur. & ſuper nurus veſtras, cum mæchantur.* Hoc eſt terribile, hoc extremum, cum jam non corripimur pro peccatis, cum jam non corripimur delinquentes! *Ante finem homiliæ* 8. *in Exodum.*

Quod

* Deſtinaveram equidem obſtinationem *Cæcitati* adjungere; quando (ut ait S. Rupertus) *Cæcitas eſt mater obſtinationis*; ſed ut ordinis rationem quam maximam tenerem, ſeparandas putavi. Omnis equidem induratus cæcus eſt; ſed non item omnis cæcus induratus.

Quod ſi poſt peccatum non pœnitere, grave eſt; de admiſſis peccatis intumeſcere, quantum meretur ſupplicium? Nam ſi is, qui de recte factis extollitur, immundus eſt; qui de peccatis inflatur, quam conſequatur veniam? S. Chrysostomus *Homilia* 11. *in I. ad Corinthios, ante medium.*

O Clementia Dei! o noſtra duritia! dum & poſt tanta ſcelera nos provocat ad ſalutem, & ne ſic quidem volumus ad meliora converti! S. Hieronymus *Epiſtola* 46. *nunc* 122. *ad Ruſticum.*

Non vis erigi poſt ruinam, nec oculos ad cœlum levare; ſed prodita patris ſubſtantia porcorum ſiliquis delectaris, & ſuperbiæ prærupta conſcendens præceps laberis in profundum. Deum ventrem vis habere pro Chriſto, ſervis libidini, gloriaris in carne, & confuſione tua, & quaſi pinguis hoſtia in mortem propriam ſaginaris, imitarisque eorum vitam, quorum tormenta non metuis. *Idem Epiſtola* 48. *nunc* 147. *ad Sabinianum.*

Nihi ita repugnat Deo, quam cor impœnitens. Solum crimen eſt, quod veniam conſequi non poteſt. Si enim ei ignoſcitur poſt peccatum, qui peccare deſiſtit: & ille flectit judicem qui rogat; impœnitens autem omnis ad iracundiam provocat judicantem, ſolum deſperationis crimen eſt, quod mederi nequeat. *Idem ibidem, inferius.*

Obduratio Dei (eſt) nolle miſereri; ut non ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior; ſed tantum, quo ſit melior, non erogetur. S. Augustinus *Libro I. de diverſis quæſtionibus ad Simplicianum, numero* 15.

Sic excæcat, ſic obdurat Deus, deferendo & non adjuvando. Quod occulto judicio facere poteſt; iniquo non poteſt. *Idem Tractatu* 53. *in Joannem.*

Deſerunt, & deſeruntur. *Idem Libro de correptione & gratia, cap.* 13.

Obduratio impiorum utrumque demonſtrat; & quid timendum ſit, ut quiſque convertatur ad Deum: & quantæ agendæ ſint gratiæ miſericordiæ Dei qui in aliorum pœna quid aliis donet oſtendit. *Idem Libro I. Quæſtionum ad Simplicianum, q.* 2.

Quantum nos diligit, qui nos nec, cum reſpuitur, relinquit! *Idem.*

Amat languores ſuos, & pro ſanitate habet, quod ægrotare ſe neſcit. S. PROSPER *ad objectiones Gallorum, cap* 6.

Deus nos vocat ad pœnitentiam, ſed nos theſaurizamus iram: Deus nos invitat ad veniam, ſed nos quotidie cumulamus offenſam. SALVIANUS *Libro* 5. *de Gubernatione Dei.*

Aut eſt ullus criminum modus, & non prius eſt ut de vita homines quam de iniquitate diſcedant? Quis enim non cum ipſis admodum, atque in ipſis ſceleribus ſepelitur? ut vere de his Propheticum illud rectiſſime dici poſſit: *Sepulchra eorum domus eorum in æternum. Idem eodem libro, prope finem.*

Nullus hominum juſte peccat, quamvis eum juſte Deus peccare permittat. Juſte enim deſeritur a Deo, qui deſerit Deum: & quia homo deſerens Deum peccat, deſerens peccatorem Deus juſtitiam ſervat. S. FULGENTIUS *Libro I. ad Monimum, cap.* 13.

Peccatum poſterius jam non peccatum tantummodo, ſed peccatum eſt, & pœna peccati. S. GREGORIUS M. *Libro XXV Moralium, cap.* 9.

Nec pergas quærere, quod cor durum ſit. Si non expaviſti, tuum hoc eſt. Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret; quia nec ſentit. S. BERNARDUS *Libro I. de Conſideratione, cap.* 2.

Quod ergo cor durum? Ipſum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia eſt: ad conſilia infidum,

ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina: præteritorum obliviſcens, præſentia negligens, futura non providens. *Idem ibidem.*

Condoleo, ſi tamen doles & tu. Alioquin doleo magis dixiſſe debueram; quia non eſt condolere, ubi nemo qui doleat. Itaque ſi doles condoleo. Si non, doleo tamen, & maxime; ſciens longius a ſalute abſiſtere membrum quod obſtupuit: & ægrum ſeſe non ſentientem periculoſius laborare. *Idem Libro eodem, cap.* 1.

Rurſum, de demolitione vinearum locutus, egregie diſtinguit gradus inſenſibilitatis & obſtinationis vel apud ſacros homines: Parabola iſta, *inquit*, inſtantis eſt temporis. Videtis iſtos novitios? Nuper venerunt, nuper converſi ſunt. Non poſſumus de ipſis dicere: *Quia vinea noſtra floruit;* floret enim. Interim quod in eis apparere videtis flos eſt. Fructuum tempus nondum advenit. Flos novella converſatio eſt: flos formula recens vitæ emendationis eſt. Induerunt ſibi faciem diſciplinatam, & bonam totius corporis compoſitionem. Placent fateor quæ in facie ſunt; negligentior utique is qui foris apparet corporum cultus, & veſtium, ſermo rarior, vultus hilarior, aſpectus verecundior, inceſſus maturior; verum quia hæc noviter cœpere, ipſa ſui novitate flores cenſenda ſunt, & ſpes fructuum magis quam fructus. Vobis filioli! non timemus a fraude vulpium, quæ fructibus magis quam floribus invidere noſcuntur. Veſtrum aliunde periculum eſt. Uſtionem certe metuo floribus, non ſubreptionem; ſed uſtionem a frigore. Aquilo mihi ſuſpectus eſt, & frigora matutina, quæ intempeſtivos flores ſolent perdere, fructus præripere Itaque ab Aquilone panditur veſtrum malum. A facie frigoris ejus quis ſuſtinebit? Hoc frigus ſi ſemel animam (animæ quidem, ut aſſolet, incuria) ſpiritu

dormitante pervaſerit: ac nemine deinde, quod abſit, inhibente ad interiora ejus pervenerit, deſcenderit in viſcera cordis & ſinum mentis, concuſſerit affectiones, occupaverit conſilii ſemitas, perturbaverit judicii lumen, libertatem adduxerit ſpiritus: mox, ut in corpore ſolet evenire febricitantibus, ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſolicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferveſcit novitius fervor, ingraveſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, revocatur conſuetudo. Quid plura? diſſimulatur lex, abdicatur jus, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini, dantur poſtremo impudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione ſaltus de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cœlo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum. *Sermone 63. in Cantica.*

CAPUT I.

Loci.

Origenes *Commentario in Exodum, in illud:* Induravit Dominus cor Pharaonis, a *pag.* 111. *Editionis novæ.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 1. *num.* 36. in illud genus obſtinationis, quæ perſequitur recte monentes.

S. Chrysostomus *Homilia* 14. *in Matthæum*, peccatum non ſentire, eſſe pejus quam peccare. *Homilia de Adam & Eva*, quomodo peccatum ſit pœna novorum peccatorum. Adde *Homiliam* 52. *in Matthæum*, atque etiam *Homilias* 16. & 24. *in ad Roma-*

Romanos: Et *Homilam* 9. *in I. ad Theſſalonicenſes*, ubi deterret a ſecuritate in peccatis.

S. Augustinus *Libro V. contra Julianum, cap.* 3. ubi oſtendit graviſſimis verbis, dari peccata quædam in pœnam præcedentium peccatorum: *Enarratione in Pſalmum* 51. *ad verſum* 3. *Epiſtola* 194. *alias* 105. *ad Sixtum: Tractatu* 53. *in Joannem*, ubi præclare in gloriantes de maleficiis & oppreſſione aliorum: *Enarratione in Pſalmum* 129. *initio.* Adde & *Enarrationem laudatam in Pſalmum* 57. *Libri II. in Exodum Quæſtionem* 18.

S. Prosper *ad Capitula Gallorum reſponſione* 11. Et *ibidem ſubjectis ſententiis* 11. & 13.

Eusebius Gallicanus *Homilia de SS. Epipodio & Alexandro.*

S. Joannes Climacus *Gradu* 18. ubi agit de inſenſibili mentis ſtupore, ſeu duritie & morte animiæ ante mortem corporis.

S. Gregorius M. *Homilia* 11. *in Ezechielem, poſt medium,* ubi *fuſe* oſtendit, peccata priora peccatis novis vindicari. Idem docet *Libro XXV. Moralium, capitibus pluribus.* Huc facit rurſum *Libro XII. iterum capitibus aliquot,* de arrogantia peccatorum. Denique amœnum de obſtinatione locum *Homilia* 18. *in Evangelia* miniſtrat.

Creditus Bernardus *Libro de conſcientia*, ubi agit de mala, & tranquilla, *præclare.*

Addantur & Tituli: *De Longanimitate Divina. De Præſumptione. De Dilata Pænitentia. De Proſperitate &c.*

TITULUS XXXV.

De *Obedientia*; tam erga Deum, quam alios ejus locum tenentes.

CAPUT I.

Loci.

Qualiter in ſenectute aliis miniſterium imperabit, qui in adoleſcentia ſe ſenioribus obedientem exhibere contemnit? *Creditur* CYPRIANUS *Libro de duodecim abuſionibus ſæculi, gradu* 3.

Si, qui ſecundum carnem ægrotant, ſuæ vim inferunt naturæ, ut ſervent quæcunque ipſis præſcripſerint Medici: nonne multo nos magis decet morem iis gerere, quibus cura animarum noſtrarum eſt credita? S. EPHRÆM *Parœneſi* 15. *Tomo II. novo græcolatino.*

Miſera ſervitus cui vagum jus eſt. Plures Dominos habet, qui unum non habet. S. AMBROSIUS *Libro IX. in Lucam, ad caput* 1.

Deus juſſit. Et audes interrogare, an legem cuſtodire ſit poſſibile? S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 8. *ad populum, in fine.*

Noli cauſas amplius a me requirere. Lex eſt regia. Qui tulit ipſam & ipſius rationem novit. Niſi fuiſſet utile non prohibuiſſet. *Idem Homilia* 16. *ad populum, numero* 2.

Populus non parens rectori ac magiſtratui eſt ſimilis ei, qui non habet, & forte etiam deterior. *Idem Homilia* 34. *in ad Hebræos, initio.*

Si Rex imperet ab alienis pecuniis abſtinere, noſtras potius in domum omnes afferremus; cum vero Deus jubeat non rapere, neque aliena colligere, non paremus. Viden' ut nos Deo homines anteferamus? *Idem homilia* 1. *in ad Philemonem, in Morali.*

Si ſol, & luna, & cœlum, & ſtellæ Deo ſerviunt, quare ego non ſerviam? Cœlum ſervit, & terra ſervit: & infelix homo non ſervit! S. Hieronymus *in Pſalmum* 91.

Quaſi majora ſint Imperatorum ſcita quam Chriſti. Leges timemus Evangelia contemnimus. *Idem Epiſtola* 52. *alias* 2. *ad Nepotianum.*

Majus eſt bonum obedientiæ, quam continentiæ. Nam connubium nusquam noſtrarum Scripturarum auctoritate damnatur; inobedientia vero nusquam abſolvitur. S. Augustinus *Libro de bono conjugali, cap* 23.

Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus; ſi impoſſibile judicaret, ut hoc ab homine fieret. Sed conſiderans infirmitatem tuam deficis ſub præcepto? confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum eſt? Adeſt ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium. *Idem Enarratione in Pſalmum* 56. *initio.*

Sed quid, ſi illud jubeat (poteſtas) quod non debes facere? Hic ſane contemne poteſtatem, timendo poteſtatem. Ipſos humanarum rerum gradus advertite. Si aliquid juſſerit curator, nonne faciendum eſt? Tamen ſi contra Proconſulem jubeat, non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire. Nec hinc debet minor iraſci, ſi major prælatus eſt. Rurſum, ſi aliquid ipſe Proconſul jubeat, & aliud jubeat Imperator; numquid dubitatur, iſto contempto illi eſſe ſerviendum? Ergo, ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, eſto mihi in obſequium. Recte, ſed non in Idolio. In Idolio prohibet. Quis prohibet? Major poteſtas. Da veniam. Tu carcerem, ille gehennam minatur. *Idem Sermone* 62. *alias* 6. *de verbis Domini, cap.* 8.

Quid enim unquam tam ſuperbum, quid vero tam ingratum videri poteſt, quam adverſus ejus vivere

vere voluntatem, a quo ipſum vivere acceperis? quam illius præcepta deſpicere, qui ideo aliquid imperat, ut cauſas habeat remunerandi? Neque enim obſequii noſtri Deus indiget, ſed nos illius indigemus imperio. *Creditus* PAULINUS *in Epiſtola ad Celantiam, apud hunc & Hieronymum.*

Si pro arbitrio ſuo ſervi Dominis obtemperant, ne in iis quidem, in quibus obtemperaverint, obſequuntur. Quando enim ſervus ex Domini juſſis ea facit tantummodo, quæ vult facere, jam non dominicam voluntatem implet, ſed ſuam. SALVIANUS *Libro* 3. *de Gubernatione Dei, circa medium.*

Si ea, quæ tibi præcipiuntur, dura ſunt, numquid murmurando illa facere poteris meliora? S. CÆSARIUS ARELATENSIS *Homilia* 18.

Obedientia ſola virtus eſt, quæ ceteras menti inſerit, inſertasque cuſtodit. S. GREGORIUS M. *Libro* 35. *Moralium, cap.* 14.

Vera obedientia nec præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit. Neſcit judicare, quisquis perfecte didicit obedire. *Idem in caput* 2. *Libri* 1. *Regum.*

S. BERNARDUS ad verba: *Et erat ſubditus illis.* Quis? Quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ; nec tantum Mariæ, ſed etiam Joſeph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige, quid amplius mireris, ſive filii benigniſſimam dignationem, ſive Mariæ excellentiſſimam dignitatem Utrimque ſtupor, utrimque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo: & quod Deo fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio. In laudibus virginum ſingulariter canitur, quod ſequuntur Agnum, quocunque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit? Diſce homo obedire, diſce

ſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare! *Homilia* 1. *ſuper:* Miſſus eſt.

Quisquis vel aperte vel occulte ſatagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis Pater injungat: ipſe ſe ſeducit, ſi forte ſibi quaſi de obedientia blandiatur; neque enim in ea re ipſe prælato, ſed magis ei prælatus obedit. *Idem Sermone* 35. *de diverſis, de* 3. *ordinibus Eccl. ad Patres in Capitulo.*

O ſumma fatuitas, & cæcitas deteſtanda. Quia obſervantur ad unguem Statuta Civitatum, Leges Imperatorum ac Regum, ſervantur Decreta Præſulum, ſervant ægri præcepta medicorum; ſed non eſt, qui leges ſervet Regis Regum, Dei Deorum, & Domini Dominorum! S. Bonaventura *Sermone de S. Lucia.*

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro de Patientia, cap.* 4. de Deo debita obedientia.

Origenes *Homilia* 20. *in Lucam:* Et *Homilia* 25. *in Matthæum,* de obſervantibus ſolum mandata minora.

Novatianus *Libro de Trinitate, cap.* 1. de obedientia elementorum, qua doceantur homines obedire.

S. Ephræm *ſæpiſſime in Doctrinis, & ſermonibus ſuis.*

S. Basilius M. *Conſtitutionum Monaſticarum cap.* 23. *Regula* 28. *fuſius diſputata, egregie: Sermonibus duobus de Inſtitutione Monachorum &c.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 17 *ad Cives Nazianzenos, gravi timore perculſos,* quouque obediendum.

S. Ambrosius *Libro de Apologia David poſteriore, cap.* 3. *præclare,* etiam Principes teneri Legibus.

S. Chry-

S. CHRYSOSTOMUS *Libro* 2. *de Providentia*, de obedientia Abrahæ.

Homilia 47. *in Geneſin*, de eadem.

Homilia 1. *de David & Saul.*

Homilia de unico utriusque Teſtamenti Legislatore, de ſubjectione erga Deum Legislatorem.

Homilia 2. *in ad Romanos*, de obedientia Abrahæ.

Homilia 2. *in II. ad Corinthios*, ubi omnes ſubditos præclare hortatur ad obediendum.

Homilia 3. *in eandem Epiſtolam.*

Homilia 15. *iterum in eandem*, toto Morali, de regimine cum ſpirituali tum temporali.

Homilia 8. *in ad Philippenſes*, adverſum murmurantes ob præcepta injuncta.

Homilia 2. *in I. ad Timotheum.*

Homilia iterum 2. *in II ad eundem Epiſtolam.*

Homilia 34. *in ad Hebræos*, præcipue de neceſſitate obediendi.

S HIERONYMUS *Epiſtola* 125. *alias* 4. *ad Ruſticum*, de obedientia Religioſorum. Item de obedientia erga Deum *Epiſtola ſuppoſititia ad Demetriadem*, *cap.* 16.

S AUGUSTINUS *Libro* 1. *contra adverſarium Legis*, *cap.* 14. *numero* 19.

Libro de natura boni.

Libro XIV. de Civitate, *cap.* 12.

Enarratione in Pſalmum 70. *Sermone* 1. *ad verſum* 1. Item *Sermone* 2. *rurſum ad verſum* 1.

Libro de gratia novi Teſtamenti.

Libro de bono conjugali, *cap.* 23.

S. PAULINUS *Epiſtola laudata.*

S. CASSIANUS *Libro IV. & X. de Inſtitutis Renuntantium.*

S. EUCHERIUS *in Parænesi ad Valerianum*, de obedientia creaturarum omnium.

Cre-

Creditus Prosper *Libris duobus de vocatione Gentium*, ubi paſſim de ſubjectione erga leges ſupremas Dei.

S. Dorotheus *Doctrina, ſeu ſermone* 1. *qui eſt de obedientia.*

Theodoretus *Sermone* 9. *de Providentia*, qui *de Legibus* inſcribitur.

S. Leo *Epiſtola* 84. *vel* 12. *nunc* 14. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem*, de obedientia Prælatorum inferiorum erga ſuperiores.

Salvianus *Loco citato.*

S. Joannes Climacus *Gradu* 4. *præclare* agit de obedientia.

S. Gregorius M. *Libro XXV. Moralium, ad finem.* item *fuſe Libro XXXV. eorumdem, cap.* 14. *Libris II. IV. & VI. præcipue, in Reges.*

S. Antiochus *Homiliis* 38. 39. 113. *&* 114.

Hugo Victorinus *Tractatu de Lege naturali & ſcripta*, de Deo Legislatore noſtro agit.

S. Bernardus *Epiſtola* 42. *ad Henricum Senonenſem, hodie Tractatu de Moribus & officio Epiſcoporum*, præſtanter de obedientia ſubordinata ipſorum Præſulum, atque ſuperiorum.

Libro de Præcepto, & Diſpenſatione.

Sermone 41. *de Diverſis, de Virtute obedientiæ, & ſeptem ejus gradibus.*

Epiſtola 7. *ad Adam Monachum*, de obedientia, quæ implet male imperata.

Philippus, *Abbas bonæ ſpei, Tractatu de lapſu, & ſalute primi hominis, cap.* 25. de obedientia Chriſti usque ad mortem.

S. Bernardinus Senensis *in Dialogo de Obedientia, Tomo III. ad finem.*

S. Laurentius Justinianus Tractatu de obedientia in *ligno vitæ* & *Libro de obedientia, qui eſt Tomo II.*

S. Igna-

S. Ignatius Loyala *Epiſtola de obedientiæ virtute ad fratres Societatis Jeſu in Luſitania.*

S. Thomas a Villanova *Concione* 1. *de uno Martyre*, ubi exemplo brutorum perſuadet obedientiam.

Adde Titulos: *De Magiſtratibus. De Liberis. De Servis. De Epiſcopatu. De Sacerdotio &c.*

TITULUS XXXVI.

De *Operibus* bonis, ſeu recte factis.

CAPUT I.

Loci.

Vitæ inſtitutio aperte eos arguit, qui mandata novere. Qualis enim ſermo, talis eſt vita. Arbor autem cognoſcitur ex fructibus, non ex floribus, & foliis ac ramis. Clemens Alexandrinus *Libro* 3. *Strommatum, ante medium.*

Regnum cœlorum verborum officia non obtinent. S. Hilarius Pictaviensis *Canone* 6. *in Matthæum.*

Si quis extrinſecus accedens & Chriſti præcepta, & vitæ noſtræ confuſionem probe didicerit, neſcio an quoſpiam alios Chriſto inimiciores quam nos eſſe arbitretur; ita enim hanc viam decurrimus ac ſi contrariam ejus mandatis ingredi vellemus. S. Chrysostomus *Libro* 1. *de compunctione cordis, poſt initium.*

Bonum non feciſſe hoc eſt feciſſe malum. Nam dic mihi ſi quem habens famulum qui neque furetur, neque ſit contumelioſus, neque contradicat, & ab ebrietate abſtineat, ab aliiſque omnibus, ſed perpetuo ſedeat otioſus, & nihil faciat ex iis quæ famulus debet hero præſtare, non eum cædes flagris, non torquebis? Etiam, inquies. Atqui nihil mali

mali fecit. Hoc ipſum ergo eſt malum. *Idem Homilia 16. in ad Epheſios, poſt initium.*

Sicut teſte Jacobo fides ſine operibus mortua eſt; ita opera ſine fide mortua ſunt. S. Hieronymus *Libro 2. Commentariorum in Epiſtola ad Galatas.*

Et blandimur nobis, ſi malis fructibus non gravemur; qui damnandi ſumus, ſi a bonis ſteriles manſerimus. *Idem creditus Epiſtolam ad Demetriadem, in Appendice, cap.* 15.

Quid prodeſt nomen, ubi res non eſt! Quam multi vocantur Medici, qui curare non norunt? quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Chriſtiani, & in rebus non inveniuntur; quia hoc quod vocantur non ſunt; id eſt in vita, in moribus, in fide, in ſpe, in charitate. Quomodo ergo te gloriaris eſſe Chriſtianum? Nomen habes, & facta non habes. Qui Chriſtum non habet in ſe, Chriſtianus non poteſt dici. S. Augustinus *Tractatu 4. in Joannem.*

Juſtitia non aliud eſt quam non peccare; non peccare autem Legis præcepta ſervare. Præceptorum autem obſervatio duplici genere continetur, ut nihil eorum quæ prohibentur facias, & omnia quæ jubentur implere contendas. Hoc eſt enim quod Pſalmiſta dicit: *Recede a malo, & fac bonum.* Si a malo receſſeris, & non feceris bonum, transgreſſor es legis, quæ non tantum in malorum actuum abominatione, ſed & in bonorum perfectione completur: neque hoc ſolum tibi præcipitur, ut veſtitum ſuis non ſpolies indumentis, ſed ut ſpoliatos operias tuis. *Idem Sermone 59. de Tempore, hodie in Appendice nova* 62.

Ille ſe merito Chriſtianum judicet, qui Dei præcepta cuſtodit, qui ſanctus, humilis, pudicus, & juſtus eſt, qui in miſericordiæ & juſtitiæ operibus converſatur. Num tu illum Chriſtianum putas, in quo nullus Chriſtianitatis eſt actus, in quo conver-

ſatio nulla eſt juſtitiæ, ſed nequitiæ, impietatis, & ſceleris? Illum Chriſtianum putas qui opprimit miſerum, qui pauperem gravat, qui res concupiſcit alienas, qui ut ſe divitem faciat plures efficit indigentes, qui lucris gaudet injuſtis, qui de alienis lacrimis cibum capit, qui miſerorum ditatur interitu, cujus os aſſiduo mendacio violatur, cujus lingua nonniſi indigna & obſcœna, & ſcelerata loquitur, & turpia, cui cum jubeatur diſtribuere ſua, invadat aliena? Et ad Eccleſiam talis audenter accedit, & temere, & importune extendit impias manus illicito raptu & inſontium cruore violatas: & ore illo ſacrilego atque polluto, quo fuerat paulo ante aut falſa locutus, aut turpia, preces ad Dominum quaſi nihil ſibi conſcius mali fundit! Quid agis impudens & miſer? quid te majori peccatorum onere gravas? quid Deo propter contemptum etiam injuriam irrogas? *Idem creditus Libro de vita Chriſtiana, cap.* 11.

Simulat juſtum, & non exhibet: verba Sanctorum habet, vitam non habet. Quod verbo ædificat, moribus deſtruit. *Idem Libro II. de ſermone Domini in monte, cap.* 3.

Sine charitate fides poteſt quidem eſſe; ſed non & prodeſſe. *Idem Libro XV. de Trinitate, cap.* 18.

Vita æterna eſt totum præmium, cujus promiſſione gaudemus; nec præmium poteſt præcedere merita, & prius homini dari quam dignus eſt. Quid enim hoc eſt injuſtius? Et quid juſtius Deo? Non ergo debemus poſcere præmium, antequam mereamur accipere. *Idem Libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap* 25.

Cui debet aliquid Deus? Ecce videmus, quia tenet Deum debitorem Paulus! Conſecutus miſericordiam, exigens veritatem. *Reddet mihi*, inquit, *Dominus in illo die.* Quid tibi reddet, niſi quod tibi debet? Unde tibi debet? Quid ei dediſti? *Quis*

prior

prior dedit illi; & retribuetur ei? Debitorem Dominus ipſe ſe fecit; non accipiendo, ſed promittendo. Non ei dicitur: Redde, quod accepiſti: ſed: Redde, quod promiſiſti. *Idem Enarratione in Pſalmum* 83. *ad finem.*

Quænam vobis excuſatio, quæ venia, quæ miſericordia relinquetur, cum hæc a vobis vita repoſcetur, quam in Scripturis duntaxat ſitam perſpicio; alibi autem atque in operibus nequaquam? S. Isidorus Pelusiota *Libro II. Epiſtola* 139.

Lubenter ex te audirem, quidnam cauſæ ſit, quamobrem tam atrox atque inexpiabile virtuti bellum indixeris. Si enim Epicurum admiraris, atque ad ejus exemplum vitam tuam depingis, equid Chriſtianum te profiteris? Si autem Chriſtianus appellari cupis, quam ob cauſam Epicureo more vitam inſtituis. *Idem Chriſtianus Laco, cujus hæc eſt tota Epiſtola* 22. *Libri II.*

Non ſufficit abſtinere a malo, niſi fiat quod bonum eſt: & parum eſt nemini nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe. S. Prosper *in ſententiis ex Auguſtino collectis, num.* 86.

Sciens autem (Incentor ille, auctorque peccati) Deum non ſolum verbis ſed etiam factis negari, multis, quibus auferre non potuit fidem, ſuſtulit charitatem. S. Leo *Sermone* 4. *de Collectis, cap.* 1.

Ubi eſt lex catholica, quam credunt? ubi ſunt pietatis & caſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Evangelia legunt, & impudici ſunt: Apoſtolos audiunt, & inebriantur: Chriſtum ſequuntur, & rapiunt: vitam improbam agunt, & probam legem habere ſe dicunt. Salvianus *Libro* 4. *de Gubernatione Dei, ſub finem.*

Hoc ipſo Chriſtiani deteriores ſunt, quia meliores eſſe deberent. Non enim probant, quod fatentur, & impugnant profeſſionem ſuam moribus ſuis. *Idem ibidem.*

P 2 Quid

Quid prodeſt, quod Redemptori per fidem jungimur, ſi ab eo moribus disjungamur? S. GREGORIUS M. *Homilia* 39. *in Evangelia.*

Attende, quid mereatur iniquitas, ſi ſola ſufficit inutilitas ad damnationem. S. BERNARDUS *Epiſtola* 102.

CAPUT II.

Fontes.

S. JUSTINUS MARTYR cum ATHENAGORA, TERTULLIANO, MINUTIO FELICE, LACTANTIO, & ceteris Apologiſtis noſtræ Religionis, ubi quidem de moribus & diſciplina primorum temporum commemorant.

S. EPHRÆM *Sermonibus duobus: Quod ludicris rebus abſtinendum ſit Chriſtianis, Tomo III. novo.* Adde 2*am. ex Interrogationibus & Reſponſionibus ejusdem Tomi.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Tractatibus: Quid nomen, profeſſiove Chriſtianorum ſibi velit? De perfectione, & qualem oporteat eſſe Chriſtianum: De Scopo Chriſtiani;* qui huc omnes quam maxime referuntur.

S. AMBROSIUS *Sermone* 12. *in Pſalmum* 118. *ad illud:* Tuus ſum ego, ſalvum me fac. *Non poſſe nos eſſe Chriſti ſolo nomine.*

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 1. *in Matthæum,* de præſtantia & utilitate Evangelii, in quo ipſe nos Dominus docet, ſeu quæ facere, ſeu quæ fugere debeamus.

Homilia 4. *in Eundem,* ſuper nomen, & ſuper opera Chriſtiani, *præclare.*

Homilia 5. *iterum in Eundem,* contra eos, qui confidunt meritis aliorum, & propria negligunt, *fuſe id & graviter.*

Homilia 65. *in Eundem,* hominem quandoque reprobari ob unius virtutis neglectum.

Com-

Commentario in caput 4. Epiſtolæ ad Galatas, Judæos ſolummodo diſpoſitos ac præparatos fuiſſe ad perfectionem Chriſtianam, neque opera tam excellentia eſſe ab illis requiſita.

Homilia 16. *in ad Epheſios, fere tota, & qua nihil huc pulchrius atque diſertius.*

Homilia de perfecta charitate, Tomo VI. novo, de mercede bonorum operum.

Homilia de Pſeudoprophetis, ubi invehitur fortiſſime in repugnantiam fidei atque operum noſtrorum.

Adde *Librum de Virginitate, capitibus* 83. *&* 84. ubi iterum oſtendit, quam multa perfectiora opera requirantur in novo, atque olim in antiquo Teſtamento.

Sulpitius Severus *Epiſtola* 2. *ex nuper repertis, capitibus* 9. 10. 11. 12.

S. Hieronymus *creditus in Epiſtola ad Celantiam, numeris* 7. 8. *&* 9. Adde Locos quamplurimos, quos collegit Cornelius Schultingus *Confeſſionis Hieronymianæ Tomo II. capitibus* 4. 8. *&* 9.

S. Augustinus *Libro de fide, & operibus: Libro de perfectione Juſtitiæ contra Celeſtium: Libro ſuppoſito de vita chriſtiana.* Adde *Tractatum* 49. *in Joannem*, ubi *fuſe* oſtendit & *eleganter*, quam multa præſtemus pro vita temporali, quam pauca vero pro æterna. Item *Libro IV. de Baptiſmo contra Donatiſtas, capitibus* 18. 19. 20.

Creditus Sixtus III. *Papa Libro de malis Doctoribus, initio*, ubi agit de neceſſitate operum ad fidem.

S. Isidorus Pelusiota *Libro III. epiſtola* 405. qua docet, tam contraria fidei eſſe multorum opera, ut blaſphemiæ occaſionem præbeant.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro VI. in Joannem, & Homiliis Paſchalibus* 2. 11. 24.

THEODORETUS *Sermone* 12. *de græcis affectionibus curandis, fuſe.*

SALVIANUS *Libro* 4. *de gubernatione Dei, initio*, & rurſum *ad finem. Libro* item 2. *ad Eccleſiam Catholicam*, ac *Libro* 4. *ad eandem* multa eaque pulcherrima accumulat ad ſanctitatem operum nobis inculcandam, qui doctrinam ſanctiſſimam profitemur.

FAUSTUS RHEGIENSIS *Epiſtola ad Benedictum Paulinum, de fide ſine operibus.*

S CÆSARIUS ARELATENSIS *inter Sermones a Baluzio additos habet admonitionem ad eos, qui putant, quod illis ad vitam æternam ſufficiat, ſi male non fecerint, etiamſi bona adimplere noluerint.*

HILDEBERTUS CENOMANENSIS *Sermone* 25. qui eſt in quadrageſimalibus, agitque de bonis operibus.

S. BERNARDUS *Sermone* 24. *in Cantica. ad finem.* Item *Tractatu de converſione ad Clericos, cap.* 10.

Accedunt Tituli: *De Baptiſmo. De Fide De Devotione, vera & falſa. De Servitio divino &c.*

TITULUS XXXVII.

De *Oratione*; tam generatim, quam ſpeciatim.

CAPUT I.

Loci.

Irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem quam maxime reverearis ac venereris: quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adſtante, factum iſtud irreligioſum eſt? Niſi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit? TERTULLIANUS *Libro de Oratione, cap.* 13.

Idem de oratione Dominica loquens: Brevitas iſta magnæ, ac beatæ interpretationis ſubſtantia fulta eſt; quantumque ſubſtringitur verbis, tantum diffunditur ſenſibus. Neque enim propria tantum

ora-

orationis officia complexa eſt, venerationem Dei aut hominis petitionem, ſed omnem pene ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ; ut revera in oratione (hac) breviarium totius Evangelii comprehendatur. *Eodem Libro cap.* 1.

Quid mihi prodeſt, ſi genua corporis mei ad orationem veniens flectam Deo, & genua cordis mei flectam diabolo? ORIGENES *Homilia* 2. *in Librum Judicum.*

Quomodo nos audiat Deus, cum nos ipſum non audiamus. *Idem Homilia* 2. *in Pſalmum* 37.

Quæ autem ſegnitia eſt, alienari & capi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum depreceris? Quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loquaris? Quomodo te audiri a Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cum rogas, cum tu ipſe memor tui non ſis? S. CYPRIANUS *Libro de Oratione Dominica.*

Idem commendans Orationem, quam Servator nos docuit: Oremus itaque, *ait,* fratres dilectiſſimi, ſicut Magiſter Deus docuit. Amica & familiaris oratio eſt, Deum de ſuo rogare, ad aures ejus aſcendere Chriſti orationem. Agnoſcat pater filii ſui verba, cum precem facimus. *Ibidem.*

Cum ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur. Promptus eſt, liberalis, ac munificus. Jucundius dat, quam alii accipiant. Hoc unum caveamus, ne jejuni ac minuti animi notam ſubeamus, parva, Deique liberalitate indigna poſtulantes. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 40. *num.* 26.

Tu dicis: Quid mihi opus eſt precibus? Propterea tibi opus eſt, quoniam exiſtimas, te non opus habere. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 1. *in I. ad Theſſalonicenſes.*

Quando aliquem video, a precationis ſtudio abeſſe, neque illius ardenti ac vehementi amore teneri; jam mihi exploratum eſt, nibil ab eo magnificum, nihil præclarum poſſideri. *Idem Homilia* 1. *de precatione, circa medium.*

Quando defeſſus es orando, & nihil accipis; cogita, quoties pauperem audieris vocantem, & non exaudieris: ille autem nec ſuccenſuit, nec te contumelia affecit. Atqui tu hoc quidem facis ex crudelitate, Deus vero etiam ex benignitate facit, quod non audiat. Si ergo tu, cum conſervum non audias ob crudelitatem, non æquum cenſes, ut reprehendaris: dominum ſervi, qui propter benignitatem non exaudit, reprehendis? Vides, quanta ſit inæqualitas, quanta iniquitas & injuſtitia? *Idem Homilia* 11. *in 1. ad Theſſalonicenſes, poſt medium.*

Audi Deum in mandatis, ut ipſe exaudiat te in orationibus. *Idem ad finem homiliæ* 15. *ad populum.*

Loqui cum Deo multorum eſt, orare autem paucorum. S. Augustinus *Enchiridii, cap.* 7.

Erubeſcat humana pigritia! Plus vult Deus dare, quam tu accipere. Plus vult ille miſereri, quam tu a miſeria liberari. *Idem Sermone* 105. *alias* 29. *de verbis Domini, poſt initium.*

Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu deſiderata dulcius obtinentur; cito autem data vileſcunt. *Idem Sermone* 61. *alias* 5. *de verbis Domini, cap.* 5.

Non deficiamus in oratione. Ille, quod conceſſurus eſt, etſi differt, non aufert. *Idem Enarratione in Pſalmum* 65. *in fine.*

Idem de præambulo orationis Dominicæ: PATER NOSTER, inſigni ſententia: Quo nomine & charitas excitatur (quid enim charius filiis debet eſſe quam pater?) & ſupplex affectus, cum homines dicunt Deo pater noſter, & nomine (patris) quædam impetrandi præſumptio; cum priusquam aliquid

quid peteremus, tam magnum donum accepimus, ut ſinamur dicere: *Pater noſter.* Quid enim jam non det filiis petentibus, cum hoc ipſum ante dederit, ut filii eſſent. *Idem Libro II. de ſermone Domini in monte, cap.* 4.

Rurſum ſanctus Doctor de precatione, qua primum divina & ſpiritualia rogamus, eleganter exclamat: Domine, quas tunam preces exaudis, ſi has non exaudis? *Libro XXII. de Civitate, cap.* 8.

Quando petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite: illi committite, ut, ſi proſunt, det; ſi ſcit obeſſe, non det. Quid autem obſit, quid proſit, Medicus novit, non ægrotus. *Idem Sermone nunc* 354. *alias* 53. *de verbis Domini, cap.* 7. *In eundem ſenſum alibi:* In his temporibus, fratres, admonemus vos, & exhortamur in Domino, non petatis aliquid quaſi fixum, ſed quod vobis Deus expedire ſcit. Quid enim vobis expediat, omnino neſcitis. Aliquando quod putatis prodeſſe, obeſt, & quod putatis obeſſe, hoc prodeſt. Ægri enim eſtis. Nolite medico dictare, quæ vobis medicamenta velit apponere. *Enarratione in Pſalmum* 53. *numero* 5.

Male uſurus eo, quod vult accipere, Deo potius miſerante non accipit. Proinde ſi hoc ab illo petitur, unde homo lædatur exauditus, magis metuendum eſt, ne, quod poſſet non dare propitius, det iratus. *Idem Tractatu* 73. *in Joannem.*

Denique committere haud poſſum, quin non & imaginem illam adjungam, qua preces ipſe ſuas, cum conſuetudine libidinis adhuc irretitus eſſet, atque una omnium ejusmodi hominum expreſſit: Petieram a te, *inquit,* caſtitatem, & dixeram: Da mihi caſtitatem & continentiam; ſed noli modo. Timebam enim, ne me cito exaudires, & cito ſanares a morbo concupiſcentiæ, quem malebam expleri, quam extingui. *Libro VIII. Confeſſionum, cap.* 7.

Apud Patrem non intercedit extraneus. Intus eſt in patris pectore, ipſe qui intervenit, & exorat affectus. S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 2.

Quid petentibus ſe non dabit, qui ſe ipſum non petentibus dedit? *Idem Sermone* 67.

Idem in Parabolam importuni & intempeſtivi illius, qui rogabat in Evangelio, ſane inſigniter commentatur, atque inter alia iſtud habet: O quam negare noluit, qui ſibi etiam neganti, qualiter extorqueretur, oſtendit! *Sermone* 39.

Ne petas a Deo imperioſe, quod ſtatim velis impetrare. Vult enim diutius te beneficio afficere in oratione perſeverantem. Quid enim excellentius, quam cum Deo colloqui, & uſu ejus detineri? S. NILUS *de oratione, capite* 32.

Semper ad audiendas Sanctorum preces paratæ Domini noſtri aures, ſemper attentæ ſunt. Quam beati eſſemus omnes, ſi quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam prompte ipſi Deum audire vellemus! SALVIANUS *Libro II. de Gubernatione Dei, initio.*

Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope usque ad terram nos humiliter inclinamus: & a Deo remiſſionem peccatorum, & æternam requiem inquirentes, nec capita noſtra inclinare dignamur! S. CÆSARIUS ARELATENSIS *Homilia* 34.

Mox ſubjungens exemplum Domini, qui proſtratus in terram ſuuplicabat: Quid, *ait,* indigebat Chriſtus, ut taliter ſupplicaret? non ille quidquam indigebat, ſed nobis exemplo ſuo orationis remedia præparabat. Orat miſericordia; & non orat miſeria! orat charitas; & non humiliatur iniquitas! proſtratus in terra orat medicus; & non inclinatur ægrotus! orat innocentia; & non orat nequitia! orat, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus; & non ſe proſternit multis peccatis obnoxius! orat judex, & deſiderat parcere; & non

orat reus, ut indulgentiam mereatur accipere! *Ibidem.*

Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, ut mihi intendat; ego vero nec mihi, nec illi intendo. *Creditus* BERNARDUS *Libro Meditationum, cap.* 8.

Quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat & hortatur, ut petant! *Idem Sermone* 2. *in feſto S. Andreæ.*

CAPUT II.

Fontes.

S. IGNATIUS, *Martyr, Epiſtola ad Magneſianos, ordine* 6. *egregie* de publica oratione.

TERTULLIANUS *Libro laudato de oratione.* Adde *caput* 39. *Apologetici,* ubi belliſſime de precibus unitis & publicis.

CLEMENS ALEXANDRINUS *Libro VII. Stromatum, fuſe* de precatione.

ORIGENES *Homilia* 6. *in Numeros: Libro III. Periarchon, ſeu de Principiis, cap.* 3. ubi de oratione viſionatia, & revelationibus præclare: *Libro VIII. in Epiſtolam ad Romanos;* ſed præcipue *Libro de Oratione.*

S. CYPRIANUS *Libro de oratione Dominica jam citato.* Idem *Libro de unitate Eccleſiæ* commendat orationem publicam, atque unitam.

S. ATHANASIUS *Epiſtola ad Marcellinum,* de oratione verbis pſalmorum eleganter. *Idem in Apologia ad Conſtantium Imperatorem* locum eximium habet de precibus multitudinis, ſimul eodem in templo ad laudandum Deum congregatæ.

S. EPHRÆM *Tomo III. novo græcolatino, de oratione* bis, ſed & alibi ſæpe in ſermonibus & doctrinis ſuis de ea agit. Idem *eodem Tomo Sermonem* habet *de Pſalmo,* id eſt, de oratione pſalmodica.

S. BASI-

S. BASILIUS M. *Conſtitutionum Monaſticarum cap.* 1. de oratione generatim: *capite autem* 2. de oratione mentis ſpeciatim.

Homilia 5. *in Martyrem Julittam*, quomodo liceat omni tempore orare. *In eadem* inculcat orationem nocturnam.

Libro de Spiritu S. cap. 27. de reverentia externa.

Proœmio in Pſalmos, de cantu, & oratione Pſalmorum, præclare.

Proœmio in Eſaiam, & initio, ſeu capite 1. *in eundem*, de oratione viſionaria.

Regula fuſiore 37. de precibus pſalmodicis, ſed longe melius *initio in Pſalmos.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Orationibus quinque de oratione Dominica: Et Tractatu priore in Pſalmorum inſcriptiones*, de precibus pſalmodicis.

S. AMBROSIUS *Libro* 1. *de Abel & Cain, cap.* 9. *in fine*, oſtendit pulchre, orationem meliorem eſſe, cum quis pro omnibus, quam cum pro ſe ſolo deprecatur. *Idem Libro I. de pœnitentia, cap.* 9. *alias* 8. egregie de oratione pro magnis peccatoribus. *Idem Sermone* 19. *in Pſalmum* 118. de precibus matutinis, & de oratione poſt menſam.

S. CHRYSOSTOMUS *Homiliis duabus de precatione, Tomo II. Montfauconi, in fine.*

Homilia de inſtituenda ſecundum Deum vita &c. Tomo eodem, ubi *fuſe* de modo orandi; ſed & orationem Dominicam ibi explicat.

Homilia, non orandum contra inimicos. Ibidem.

Homilia in illud: Sive per occaſionem, ſive per virtutem. *Ibidem.*

Homilia 3. *contra Anomœos, ſub finem*, commendat orationem publicam.

Homilia, non eſſe deſperandum. Ibidem.

Homilia de profectu Evangelii.

Homi-

Homilia 3. *contra Anomœos*, de oratione communi, & publica Sed & *homilia* 7. *contra Anomœos* de oratione tractat.

Homilia 30. *in Geneſin*, varia habet.

Homilia in Pſalmum 41. *de oratione Pſalmorum*, de qua etiam *Homilia* 1. *ex* 13. *Anglicanis*, *Tomo ultimo Montfauconi &c.*

Homilia in Pſalmum 140. de puris manibus in oratione tollendis, *præclare*

Homilia 2. *de Anna*, de precibus poſt menſam.

Homilia 4. *de Anna*, de precibus in omni loco.

Homilia 2. *de Prophetarum obſcuritate*, de precibus publicis.

Homilia 1. *in illud Eſaiæ*: Vidi Dominum, de precibus publicis, & *præſtanter* de reverentia.

Homilia 19. *in Matthæum*, de oratione ſtrepera.

Homilia 52. *in Eundem*, de reverentia.

Homilia 1. *de Lazaro*, *poſt medium*, de oratione poſt menſam, & ante cubitum.

Homilia 26. *in Acta*, de oratione nocturna.

Homilia 23. *in I. ad Corinthios*, in rogantes miſericordiam, quam ſibimet ipſi non exhibent.

Homilia 2. *in II. ad Corinthios*, de oratione pro aliis.

Homilia 4. *in II. ad Theſſalonicenſes*, *ſub finem*, de precibus publicis.

Homilia 8. *in I. ad Timotheum* varia huc habet.

Homilia 6. *in II. ad Timotheum*, de puris manibus levandis ad Deum, quando illum deprecamur.

S. Hieronymus *Epiſtola* 22. *ad Euſtochium*, de prece pſalmodica. *Epiſtola ſuppoſita in Appendice ad Demetriadem*, de ſtata meditatione. *In Dialogo contra Luciferianos*, *cap.* 6. de fervore & attentione.

Epi-

Epiſtola 133. *ad Cteſiphontem, olim libris contra Pelagianos præfixa*, pulcherrime de oratione ad impetrandam gratiam.

S. AUGUSTINUS *plures habet ſermones de oratione Dominica, nunc conjunctos, ſcilicet* 56. 57. 58. 59.

Libro II. de ſermone Domini in monte, ubi de oratione generatim, atque etiam de Dominica.

Epiſtola 121. *nunc* 130. *ad Probam, fuſe & egregie.*

Libro de cura pro mortuis, cap. 5. de reverentia externa.

Enarratione in Pſalmum 144. *num.* 22. & jam ante *in Pſalmum* 53. *num.* 10. petendam a Deo pro omnibus ſalutem, ſeu potius ipſum Deum. Idem habet *Tractatu* 102. *in Joannem.*

Enarratione in Pſalmum 119. *num.* 9. de oratione clamoſa.

Enarratione in Pſalmum 76. *ad illud :* Cogitavi dies antiquos, *obiter, ſed graviſſime* de ſilentio & ſolitudine requiſitis, ubi talia meditamur.

Enarratione 2. *in Pſalmum* 26. *num.* 12. eleganter ſuppeditat materiam, eamque obviam ad meditandum.

Enarratione in Pſalmum 85. *num.* 9. *& pulchrius Tractatu* 6. *in Epiſtolam Joannis, cap.* 3. *num.* 8. de rebus, quæ orantibus negantur in commodum ipſorum.

Laudato *Tractatu* 73. *in Joannem* ſuperſunt plura de non auditis precibus.

S. CASSIANUS ſæpiſſime *tam in Libris de Inſtitutis Renuntiantium, quam in Collationibus.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro IV. epiſtola* 24. ubi laudat orationem Dominicam.

S. CHRY-

S. Chrysologus *Sermonibus* 30. 55. 67. 70. ubi præclara prorſus & varia huc habet. *Idem* pulcherrime *Sermone* 43. hortatur, uti precibus eleemoſynam adjungamus. Denique *Sermone* 132. de precibus multorum ſimul.

S. Nilus *Capitibus* 147. *de Oratione.*

Eusebius Gallicanus *Homilia de eo, quod ait in Evangelio:* oportet ſemper orare &c.

S. Maximus Taurinensis *Sermone de Lytaniis. Idem* habet *Sermones duos de diverſis*, ubi agit de precibus poſt cibum; item matutinis, & veſpertinis.

Sidonius Apollinaris *Libro V. epiſtola* 14. *&* *Libro VII. epiſtola* 1. *de Rogationibus.*

S. Alcimus *Avitus Homilia de Rogationibus.*

S. Fulgentius *Epiſtola* 4. *de oratione ad Deum.*

S. Cæsarius Arelatensis *Homiliis aliquot.*

S. Joannes Climacus *gradu* 28. *fuſe de oratione.*

S. Gregorius M. *Libro X. Moralium, capitibus* 17. *&* 18. varia dat orantibus, eaque utiliſſima monita. Adde *Commentarium eidem ſuppoſitum in Pſalmos pœnitentiales, ad Pſalmum* 6. de perſeverantia orationis.

S. Antiochus *Homiliis* 105. *&* 106. *de oratione pſalmodica.*

S. Maximus, *Martyr, Centuria I. de charitate, cap.* 93. *&* 79. *de oratione viſionaria.*

S. Joannes Damascenus *Libro II. Parallelorum, cap.* 15. *nunc Titulo VII. litera ε*, ubi aureum dat locum ex Chryſoſtomo, ne inde angamur, ſi quid petentes non audiamur.

S. Ivo Carnotensis *Sermone* 22. *de oratione Dominica.*

Hugo Victorinus *Tomo III. habet Libellum de modo orandi.*

S. Bernardus *Sermone* 74. *in Cantica,* de ſolatiis divinis inter orandum. *Sermone* 86. *in Cantica,* de oratione nocturna. *Sermone* 5. *in aſcenſione Domini,*

mini, num. 6. iterum de divinis ſolatiis, quibus dentur. *Sermonibus* 4. 5. 6. *in Quadrageſima.* Adde *Sermonem* 25. *de diverſis, in verba Apoſtoli:* Volo primum fieri obſecrationes; ubi varia pertractat de oratione &c. &c.

Petrus Cluniacensis *Tractatu contra Petrobruſianos*, de Cantu Eccleſiæ.

Guerricus, *Abbas, in Lytaniis.*

Richardus a S. Victore *Libris quinque de gratia contemplationis: Et Libro de præparatione animi ad Contemplationem.*

Guilielmus Parisiensis *in Rhetorica divina.*

S. Bernardinus Senensis *de aſpirationibus quotidianis ad Deum habet Tractatum, Tomo III.*

S. Laurentius Justinianus *Tractatu de oratione in Ligno vitæ.* Item *Libro de caſto connubio, fuſe* de mentali oratione.

TITULUS XXXVIII.

De *Otio.*

CAPUT I.

Loci.

Unicum mihi negotium eſt, nec aliud curo, quam ne curem. Tertullianus *Libro de Pallio, cap.* 5.

Quem ſudorem perpetimur, quem laborem, cum conamur aſcendere colles, & vertices montium? Quid ut aſcendamus in cœlum? S. Cyprianus *Libro de habitu Virginum, prope finem.*

S. Ambrosius *de otio Sanctorum in ſolitudine:* Conferamus, *inquit*, hoc otium cum aliorum otio. Alii enim requieſcendi cauſa animum abducere a negotiis ſolent, & a conventu, cœtuque hominum ſubtrahere ſeſe, & aut ruris petere ſecretum, captare agrorum ſolitudines, aut intra urbem vacare ani-

animo, indulgere quieti, & tranquillitati. Quando ergo juſtus ſolus eſt, qui cum Deo ſemper eſt? Quando autem feriatur a negotio, qui nunquam feriatur a merito, quo conſummatur negotium? *Libro III. de officiis, cap.* 1.

Tentant otia, quos bella non fregerant. *Idem Sermone* 11. *in Pſalmum* 118.

Nihil minus otio & quieti natum eſt, quam hominis natura. Si enim his addicti ne ſic quidem peccare deſiſtimus, quo ſcelerum progreſſa non eſſet audacia noſtra, ſi præter delicias otium nobis conceſſiſſet Deus? *Omnia enim mala otioſitas docuit*. S. Chrysostomus *Libro* 1. *de Providentia, num.* 3.

Otium eſt pars vitii; imo vero non pars, ſed occaſio & prava radix. Nam omne vitium *docuit otium* . . . Etenim bonum non feciſſe, hoc eſt feciſſe malum. *Idem homilia* 16. *in ad Epheſios, poſt initium.*

Paululum laboremus, ut in omne ævum requieſcamus: omnino ærumnis angamur neceſſe eſt; quod ſi hic minime angamur, id nos ibi manet. Cur non malumus hic vexari, ut ibi requieſcamus. *Idem homilia* 13. *in ad Philippenſes, in fine.*

Sicut otium malum eſt, ita quoque operatio non congruens . . . Ergo utrumque fugere ſtudeamus, & otium & opus otio gravius. *Idem homilia* 35. *in Acta, in fine.*

Otium quaſi quædam ingenii rubigo. S. Hieronymus *Epiſtola* 49. *nunc* 1. *ad Innocentium, ipſo initio.*

Noli mirari, quia in laboribus pararis. Ad magnum aliquid pararis. S. Augustinus *Concione* 2. *in Pſalmum* 36.

Quanto labore digna eſt requies, quæ non habet finem? *Idem Enarratione in Pſalmum* 93.

Ad tempus laboras, in æternum non laborabis. Brevis eſt moleſtia tua, æterna erit beatitudo tua. *Idem ibidem.*

Non ſemper in actu ſis; ſed interdum animo tuo requiem dato: & requies ipſa plena ſit ſapientiæ ſtudiis & cogitationibus bonis; nam prudens nunquam otio marcet. Habet autem aliquando remiſſum animum, nunquam ſolutum. S. MARTINUS BRACARENSIS *de quatuor virtutibus Cardinalibus, cap.* I.

Quisnam, ſementis tempore domi deſidens vel dormiens, orta meſſe ſinum ſuum manipulis implevit? quis vitem non conſitam vindemiavit? Horum ſunt fructus, quorum & labores. S. JOANNES DAMASCENUS *Libro II. Parallelorum, cap.* 89. *nunc Titulo VI. litera* μ.

Omnis laboris remedium alterius laboris initium eſt. S. BERNARDUS *Sermone* 17. *de Diverſis, qui inſcribitur: De primordiis, mediis & noviſſimis.*

Pro vitando otio otioſa ſectari ridiculum eſt. *Idem creditus ad fratres de Monte Dei, de vita ſolitaria, cap.* 8.

Nomen (otii) tam ſuſpectum, & vanum, & molle rei tam certæ, tam ſanctæ, tam ſeveræ imponendum non eſt. Otioſum non eſt vacare Deo, imo negotium negotiorum omnium hoc eſt. *Idem ibid.*

Omnium & tentationum & cogitationum malarum & inutilium ſentina otium eſt. *Idem ibidem.*

CAPUT II.

Fontes.

ORIGENES *Homilia* 3. *in Exodum,* de iis, qui otium religioſis objiciunt, *egregie.*

S. BASILIUS M. *Homilia* 8. *in Hexaemeron,* exemplo apum. Item *Regula* 37. *fuſa,* & *Conſtitutionum monaſticarum capite* 5.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Epiſtola* 32. ad Baſilium, de otio laudabili.

S. CHRY-

S. Chrysostomus *Homilia* 14. *in Geneſin:* Poſuit Deus hominem in paradiſo voluptatis, ut operaretur &c.

Sed pulchrius etiam *Homilia* 35. *in Acta,* ubi præclara eſt imago hominis mollis atque otioſi.

Homilia 7. *in II. ad Corinthios, egregie* de damnis ex otio.

Homilia 16. *in ad Epheſios,* ubi plura de vita inutili & otioſa.

Homilia 1. *in illud:* Salutate Priſcillam, in eos, quos pudet artem vel opificium profiteri.

Libro 1. *de Providentia ſupra laudato.*

S. Hieronymus *in vita Malchi, belliſſime* de acervo formicarum. *Epiſtola* 4. *nunc* 125. *ad Ruſticum,* ubi fugam otii, & laborem perpetuum ſuadet. Idem præſtat *Epiſtola* 8. *nunc* 130. *ad Demetriadem, num.* 15.

S. Augustinus *Libro de opere monachorum,* ubi egregie perſtringit inertiam quorumdam religioſorum.

Epiſtola 81. *nunc* 48. de otio bono.

Epiſtola 113. *nunc* 15. de eodem argumento.

Enarratione in Pſalmum 127. *ad verba:* Labores fructuum tuorum manducabis, de gaudio inter laborandum ob ſpem fructus.

Concione 2. *in Pſalmum* 36. ubi *fuſe & eleganter* propoſita requie, atque mercede invitat ad laborem, *ad verba:* Et viam ejus volet.

Enarratione in Pſalmum 93. *numeris* 23. & 24. *præclare.*

Libro III. de Civitate, capitibus 30. & 31. Item *Libro XIX. de eadem, cap.* 19.

S. Cassianus *Libro X. de Inſtitutis Renuntiantium, cap.* 6.

THEODORETUS *Oratione* 7. *de Providentia*, *pulchre* de neceſſitate laboris, atque indignitate otii.

S. ANTIOCHUS *Homiliis* 34. & 86.

S. BERNARDUS *Sermone de triplici cuſtodia; manus, linguæ & cordis. Eſt* 17. *de Diverſis.*

GUILIELMUS, *Abbas S. Theodorici*, *Epiſtola ad fratres de monte Dei*, *cap.* 8. & 13.

PETRUS BLESENSIS *Epiſtola* 9. ad quemdam ludi literarii deſertorem, ubi *fuſe* adverſus otium.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Libro de diſciplina, & perfectione monaſticæ converſationis*, *cap.* 14.

S. THOMAS A VILLANOVA *Concione in Dominicam Septuageſimæ.*

Vide & Titulos: *Tempus. Æternitas. Fervor.*

TITULUS XXXIX.

De *Pace* & Concordia.

CAPUT I.

Loci.

Inter ſua divina mandata, & magiſteria ſalutaria paſſioni jam proximus Dominus addidit, dicens: *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.* Hanc nobis hæreditatem dedit, dona omnia ſuæ pollicitationis, & præmia in pacis conſervatione promiſit. Si cohæredes Chriſti ſumus, in Chriſti pace maneamus. S. CYPRIANUS *Libro de unitate Eccleſiæ.*

Quantum ſit pacis bonum, quid opus eſt apud pacis filios dicere? S. BASILIUS M. *Epiſtola* 114. *alias* 204.

Audiant jurgiorum ſeminatores, quod ſcriptum eſt: *Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur:* atque e diverſo colligant; quia ſi filii Dei vocantur, qui pacem faciunt: procul dubio ſunt Satanæ filii, qui confundunt. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 20.

Nec

Nec vero hæc eo a me dici quiſquam ſuſpicetur, quod pacem omnem amandam & complectendam eſſe exiſtimem; nam, ut optimam quamdam diſſenſionem, ita pernicioſiſſimam quamdam concordiam eſſe, perſpectum habeo; ſed eam demum, quæ bona eſt, & boni cauſa initur, ac Deo copulat. *Idem Oratione* 12.

Pax amica! bonum ab omnibus quidem laudatum, a paucis autem conſervatum, ubinam nos tanto jam temporis ſpatio reliquiſti? quando ad nos reditura es? Equidem te ſupra mortales omnes cupio, & exoſculor, ac præſentem complector, & abſentem multis luctibus & lacrimis revoco. *Idem Oratione* 14.

Quid enim hominibus ex iis rebus, quibus frui atque potiri ſtudent, vita pacifica dulcius eſt? Quodcumque nominaveris ex iis rebus, quæ res in vita ſuaves & jucundæ ſunt, pace opus ad hoc ut jucundum ſit. Nam ſi omnia ſuppetant, quæcunque in vita magnifiunt atque in pretio ſunt, divitiæ, bona valetudo, uxor, liberi, domus, parentes, miniſtri, amici: terra, mare propriis proventibus & hoc & illa ditans: horti amœni, venationes, lavacra, palæſtræ, gymnaſia: loca deliciis & voluptatibus capiendis exercendæque pubi deſtinata; atque omnia quæcunque voluptatis inventa ſunt; huc adjiciantur jucunda ſpectacula, atque muſica acroamata, ac ſi quid eſt aliud, per quod delicias ſectantibus vita ſuavis exiſtit. Si hæc quidem omnia ſuppetant, pacis vero bonum non adſit, quod illarum rerum lucrum eſt? quid illa proſunt, bello quo minus bonis fruamur impediente? Ergo cum ipſa pax fruentibus jucunda eſt, tum omnia quæcunque in vita coluntur, expetuntur, & in pretio ſunt, dulcia efficit, atque jucunda. S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione* 7. *de Beatitudinibus.*

Neque nobis quidquam proderunt, ſi cum omnibus pacem habentes cum Deo bellum habeamus. Ut nihil nocumenti nobis erit, ſi ab omnibus impugnemur, & cum Deo pacem habeamus. S. Chrysostomus *Homilia* 1. *in I. ad Corinthios, ante medium.*

Beati pacifici &c. qui primum in corde ſuo, deinde & inter fratres diſſidentes pacem faciunt. Quid enim prodeſt alios per te pacari, cum in tuo animo ſint bella vitiorum. S. Hieronymus *Libro I. Commentariorum in Matthæi cap.* 5. *adverſum* 9.

Non poteſt regnum, aut civitas contra ſe diviſa perſtare. Sed quomodo concordia parvæ res creſcunt; ita diſcordia maximæ dilabuntur. *Idem Libro II. Commentariorum in eundem, cap* 12. *ad verba:* Omne regnum in ſe diviſum &c.

Infelix populus Dei non poteſt in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo. *Idem in Pſalmum* 92. *ad verba:* Quoniam cogitaverunt unanimiter ſimul.

Nec poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui Teſtamentum (pacis) noluerit obſervare. Non poteſt concordiam habere cum Chriſto, qui diſcors voluerit eſſe cum chriſtiano. S. Augustinus *Sermone* 97. *Appendicis novæ, alias* 57. *de verbis Domini, &* 7. *appendicis veteris.*

Quis eſt, qui non congaudet concordibus fratribus? at, quod dolendum eſt in rebus humanis, tam magna res rara eſt. Res ab omnibus laudatur, a pauciſſimis cuſtoditur. *Idem Sermone* 359. *alias* 37. *ex Sirmondianis, &* 91. *ex de diverſis.*

Pax præceptis regalibus conſervanda eſt, ipſo Domino Chriſto dicente: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hoc eſt dicere: In pace vos dimiſi; in pace vos inveniam. Proficiſcens voluit dare, quod deſiderabat rediens in omnibus invenire. S. Chrysologus *Sermone* 53.

Pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum. S. Martinus Bracarensis *in Sententiis de Moribus.*

In uno malo innumera peragunt; quia ſeminando diſcordiam charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater eſt, extinguunt. S. Gregorius M. *Paſtoralis Curæ III. parte, admonitione ſeu capite* 23.

Sicut eſſe noxium ſolet, ſi unitas deſit bonis; ita perniciosum eſt, ſi non deſit malis. Perverſos quippe unitas corroborat, dum concordat, & tanto magis incorrigibiles, quanto magis unanimes facit. *Idem Libro XXXIII. Moralium, cap.* 31.

Propter hoc ſumus congregati in unum, ut in ſervitio Dei omnes unum ſpiritum, & unum animum habeamus. Nihil prodeſt, ſi nos contineat una domus, & ſeparet voluntas diverſa. S. Bernardus *Opere ſuppoſito de modo bene vivendi ad ſororem, cap.* 41.

Melius eſt, ut pereat unus, quam unitas. *Verus* Bernardus *Epiſtola* 102. *ad quemdam Abbatem.*

CAPUT II.

Fontes.

Origenes *Libro IV. in caput* 5. *Epiſtolæ ad Romanos.*

S. Athanasius *Oratione* 2. *contra Gentes,* de pace, quam Chriſtus in mundum invexit.

S. Ephræm *Sermone de converſatione fratrum mutua in concordia, Tomo III. novo.*

S. Basilius M. *Libro de Spiritu S. cap.* 30. Quanta turbatio ex amiſſa in Eccleſiis pace. Item *Epiſtola* 342. *nunc* 156. *ad Evagrium.* Item *Epiſtola* 280. *nunc* 219.

S Gregorius Nazianzenus *Orationibus* 12. 13. & 14. *quæ ſunt omnes de Pace inſcriptæ, præcipue autem prima legenda eſt.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione* 7. *de Beatitudinibus, eleganter.* Adde *Orationem in ſuam ordinationem.*

S. AMBROSIUS *Libro II. de Abraham, cap.* 6. de pace domeſtica, ut ſeparemus nos potius, quam concordiam amittamus, *egregie.* Item *Libro II. de Jacob, & vita beata, cap.* 6. de pace interna.

S. CHRYSOSTOMUS *Homilia in Pſalmum* 4. de pace interna inter carnem & ſpiritum.

Oratione 3. *contra Judæos, initio.*

Homilia de recipiendo Severiano.

Homilia 33. *in Matthæum, egregie* de concordia cum *Superioribus Eccleſiaſticis.*

Homilia 3. *in ad Coloſſenſes.*

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 62. *nunc* 82. *ad Theophilum,* de pace vera & ſimulata. Item *in Pſalmum* 119. *ad illud:* Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, *fuſe ac præclare.*

S. AUGUSTINUS *Libro I. de ſermone Domini in monte, ad verba:* Beati pacifici.

Libro XIX. de Civitate, fuſe.

Libro item XXI. de eadem, cap. 25. de bello inter carnem & ſpiritum.

Enarratione in Pſalmum 84. *fuſe.*

Enarratione in Pſalmum 99.

Expoſitione Pſalmi 147. *ad verba:* Qui poſuit fines tuos pacem.

Sermone 47. *alias inter opuſcula Tomi IX.*

Sermone 61. *Appendicis novæ, olim* 169. *de tempore.*

Sermone 357. *olim* 35. *ex Sirmondianis.*

Sermone 358. *olim* 36. *ex iisdem.*

Sermone 359. *olim* 37. *ex iisdem, & ſimul* 91. *de Diverſis.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro IV. epiſtola* 169.

S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 53.

S. VA.

S. Valerianus Cimeliensis *Homilia* 5. de ſuſurronibus pacem turbantibus. Idem *Homiliis* 12. & 13. de bono conſervatæ pacis.

S. Gregorius M. *Paſtoralis curæ Parte III. admonitione* 23. Item *Libro X. Indictione* 3. *Epiſtola* 42. *ad Euſebium Epiſcopum, quæ olim fuit* 6. *Indict.* 2. pacis curam commendat.

B. Alcuinus *Libro de virtutibus & vitiis, cap.* 6.

S. Anselmus *Tractatu de Pace & Concordia, II. Parte Editionis novæ.*

S. Bernardus *Epiſtola* 126. de pace ob ſtudium gloriæ turbata: *Sermone* 29. *in Cantica: De modo bene vivendi ad ſororem, loco citato.*

Petrus Cluniacensis *Libro VI. epiſtola* 12. ubi pulchra excuſatio, atque confeſſio diſſidii domeſtici.

Richardus a S. Victore *Libro de gradibus charitatis, cap.* 4. de bello domeſtico.

TITULUS XL.

De *Paſſionibus* & Affectionibus Animæ, generatim.

CAPUT I.

Loci.

Virtus eſt iram cohibere: cupiditatem compeſcere, libidinem refrænare, id eſt enim vitium fugere. Nam fere omnia quæ fiunt injuſte atque improbe ab his oriuntur affectibus. Si enim commotionis hujus quæ ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominum contentiones malæ ſopientur: nemo inſidiabitur, nemo proſiliet ad nocendum. Item ſi cupiditas temperetur, nemo terra marique graſſabitur, nemo exercitum ducet, ut rapiat & vaſtet aliena. Item ſi ardor libidinum comprimatur, omnis ætas & ſexus retinebit ſuam ſan-

ctitatem; nemo quid quam pudendum aut patietur aut faciet. Ergo univerſa ſcelera, & flagitia his commotionibus virtute ſedatis ex hominum vita, moribusque tollentur. Lactantius *Libro VI. Inſtitutionum divinarum, cap.* 5. *prope finem.*

Sed homines prudentes (ſcilicet) non intelligunt cum vitia ex homine tollunt etiam ſe virtutem tollere, cui ſoli locum faciunt. Nam ſi virtus eſt in medio iræ impetu ſeipſum cohibere ac reprimere, quod negare non poſſunt, caret ergo virtute quisquis ira caret. Si virtus eſt libidinem corporis continere, virtute careat neceſſe eſt, qui libidinem quam temperet non habet. Si virtus eſt cupiditatem ab alieni appetitione frænare nullam certe virtutem poteſt habere qui caret eo ad quod cohibendum virtutis uſus adhibetur. Ubi ergo vitia non ſunt, nec virtuti quidem locus eſt; ſicut nec victoriæ quidem, ubi adverſarius nullus eſt. *Idem Libro eodem, cap.* 15.

Nihil aliud dixerim quam inſanos qui hominem, mite ac ſociale animal, orbant ſuo nomine: qui evulſis affectibus, quibus omnis conſtat humanitas, ad immobilem ſtuporem mentis perducere volunt; dum ſtudeat animum perturbationibus liberare, & (ut ipſi dicunt) quietum, tranquillumque reddere. Quod fieri non tantum non poteſt, quia vis & ratio ejus in motu eſt, ſed ne oportet quidem. Quia ſicut aqua ſemper jacens, & quieta inſalubris & magis turbida eſt: ſic animus immotus ac torpens inutilis eſt etiam ſibi, nec vitam ipſam tueri poterit, quia nec faciet quidquam nec cogitabit; cum cogitatio ipſa nihil aliud ſit quam mentis agitatio. *Idem ibidem, cap.* 17.

Qui ab uno vitio vel perturbatione ſe defendit ſed alteri ſuccumbit, is perinde facit ac ſervus ille qui non libertatem quærit ſed ab uno ad alium dominum

minum ſe transfert. Servus enim perinde eſt. Et quid intereſt hoc an illo modo quis a virtute cadat, aut ſe a Deo removeat? S. Gregorius Nyssenus *Libro de Virginitate.*

Nihil æque affligit ac ſi anima obſideatur a perturbationibus. Aliæ enim extrinſecus incidunt; hæ vero intus naſcuntur: & hæc eſt maxima afflictio. Etiamſi nos vexet mundus, nos autem ipſos non vexemus: nihil nobis fuerit moleſtum. In noſtra poteſtate ſitum eſt ut vel affligamur vel non affligamur. S. Chrysostomus *Homilia in Pſalmum 4. propius initio.*

Nihil ita miſerum ut anima ſic affecta, etiamſi totus illi orbis pareat. Nam quæ utilitas diteſcere opibus, & pauperem eſſe virtutibus? Et quid lucri tot millibus & tantis imperare, non poſſe autem ſemetipſum & ſuos affectus moderari? *Idem Oratione 1. de Fato & Providentia.*

Hoc bellum (paſſionum) nunquam ullum eſſet, ſi natura humana per liberum arbitrium in rectitudine in qua facta eſt perſtitiſſet: nunc vero quæ pacem felix cum Deo habere noluit, ſecum pugnat infelix. S. Augustinus *Libro XXI. de Civitate, cap.* 15.

Idem de iis, qui carere ſe putant omni affectu: Humanitatem totam potius amittunt, quam veram aſſequantur tranquillitatem. Non enim quia durum aliquid ideo rectum: aut quia ſtupidum ideo ſanum. *Libro XIV. de eadem, cap.* 8. Similia habet *Tractatu* 60. *in Joannem.*

Hanc pugnam non experiuntur in ſemetipſis niſi bellatores virtutum, debellatoresque vitiorum: nec expugnat concupiſcentiæ malum niſi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem Dei omnino neſcientes malas concupiſcentias nec in hoſtibus deputant, eisque miſerabili cæcitate ſervientes inſuper etiam beatos ſe putant ſatiando eas potius

quam domando. *Idem Libro de Continentia, cap.* 3. *num.* 7.

Et de Paſſionibus in Chriſto Domino graviſſime: Quando turbatur, qui non turbaretur niſi volens, eum conſolatur, qui turbatur & nolens. *Tractatu* 60. *in Joannem.*

S. EUCHERIUS *de deſideriis carnis adverſus animam militantibus:* Omnis, *inquit,* illis in perniciem noſtram cladem que procinctus eſt. Pervigilem, cum inſurgunt adverſus nos, ſtationem tenent; externorum plane hoſtium more, dum ſibi tantum virium aquirunt, quantum nobis ſubtrahunt. *Parœneſi ad Valerianum.*

Mors (Chriſti) futura mortis (noſtræ) exitium, & paſſio paſſionum (noſtrarum) officina medica. S. BASILIUS SELEUCIENSIS *Oratione* 13. per accommodationem.

Impetus cupiditatum ab abjectiſſimis cogitationibus incipiunt, & formicarum more ſenſim repunt; paulatim autem in eam creſcunt magnitudinem, ut cuilibet non minus quam leones terrorem atque periculum afferant. S. NILUS *Libro Aſcetico, poſt medium.*

Quid prodeſt, quod diſcedis (Monache) qui undique adſtrictus es vinculis paſſionum? quem hinc atque inde circumvallant vitia ſua? quid inquam prodeſt quod diſcedis qui quocunque locorum vadis te tecum portas? Merito diſcederes, ſi quoquam te fugere poſſes. Digne aliquis diſceſſit, ſi illo ire poſſit, ubi illum diabolus invenire non poſſit. Nemo ſe fallat. Non fugiat adverſarium de loco ad locum, ſed de vitio ad virtutem, de paſſione ad emendationem; nam ſi eum aliter fugias, ſequetur te. Emenda te, & fugiet a te; ſicut ait Apoſtolus: *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis.* EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia* 3. *ad Monachos.*

Magna eſt ſecuritas cordis nil concupiſcentiæ habere ſæcularis. Nam ſi ad terrena adipiſcenda cor inhiat, ſecurum, tranquillumque eſſe nullatenus poteſt. Quia aut non habita concupiſcit ut habeat, aut adepta metuit ne amittat. Et dum in adverſis ſperat proſpera, in proſperis formidat adverſa: huc illucque quaſi quibusdam fluctibus volvitur, ac per motus * varios rerum alternantium mutabilitate verſatur. S. Gregorius M. *Libro XXII. Moralium, cap.* 15.

Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Velis nolis intra fines tuos habitat Jebuſæus. Subjugari poteſt, ſed non exterminari. S. Bernardus *Sermone* 58. *in Cantica.*

CAPUT II.

Fontes.

Clemens Alexandrinus *initio Exhortationis ad Gentes:* Et *Libro* 1. *Pædagogi, cap. ultimo,* quod paſſiones hominem in feram mutent.

S. Cyprianus *Libro de diſciplina & habitu Virginum, in fine,* de regimine paſſionum ex allegoria currus, & aurigæ. *Creditus vero Cyprianus ante finem præfationis in cardinalia Chriſti opera,* de lucta concupiſcentiæ, & paſſionibus ſpeciatim, *fuſe,* id & *eleganter.*

Lactantius *admirabili eloquentia Libro VI. jam laudato, capitibus* 14. 15. 16. 17. 18. 19. Et *Epitomes capite* 2.

S. Athanasius *Tractatu de perdito in illud:* Nunc anima mea turbata eſt; *ex quo aliquid ad mores accommodatiſſimum. Supereſt in VI. SYNODO.*

S. Ephræm *de virtutibus & paſſionibus, Tomo III. novo græcolatino.*

S. Ba-

* Alii legunt: *Modos.*

S. Basilius M. *Homilia* 9. *in Pſalmum* 61.

Epiſtola 2. *alias* 1. *ad Gregorium Theologum*, ubi idem fere, quod ſupra ex Euſebio datum.

Item *Conſtitutionum Monaſticarum, cap* 2.

S. Gregorius Nyssenus *Libro de opificio hominis, toto capite* 18.

Oratione 1. *in verba:* Faciamus hominem, *ad finem.*

Orationibus 2 *&* 3. *de Beatitudinibus.*

Dialogo cum Macrina.

Libro de Virginitate, capitibus 4. *&* 16.

S. Ambrosius *Libro II. de Abraham, capitibus* 6. 8. *&* 11.

Libro de Jacob, & vita beata, capitibus 1. 2. *&* 15.

Concione 12. *in Pſalmum* 118. *ad illud:* Tuus ſum ego.

Libro I. de Officiis, cap. 47.

Libro III. de Virginibus, fere initio, quantum conferat temperantia frœnandis paſſionibus.

Adde *Librum* 3. *de Virginibus,* ubi equis comparat affectiones noſtras.

S. Chrysostomus *Homilia* 3. *ad populum,* ab affectibus hominem in beſtiam transformari, *fuſe.*

Homilia 23. *in Geneſin,* ubi idem oſtendit.

Homilia in Pſalmum 4. de tumultu paſſionum interno, & de pace, ubi eas ſubegimus.

Homilia in Pſalmum 48. de dominio paſſionum obtento.

Homilia 3. *in II. ad Corinthios, in Morali,* de dominio paſſionum.

Homilia 18. *in I. ad Timotheum, in Morali,* de ſervitute, & dominio paſſionum.

Homilia de anguſta porta, Tomo III. novo, quomodo, qui manſuefacere feras norunt, a domandis affectibus ſe excuſare poſſint?

S. Hier-

S. Hieronymus *Libris III. Dialogorum adverſus Pelagianos, & Epiſtola ad Cteſiphontem*, quæ olim his ipſis libris præfigi ſolebat. *Eſt nunc* 133. Acriter autem confutat eos, qui ſibi & aliis perſuadebant, humana induſtria eradicari affectus poſſe. Quod ipſum, ſed breviſſime ſanctus Pater facit *Epiſtola* 79. *alias* 9. *ad Salvinam, verſus finem, & præclare.* Adde *Epiſtolam ipſi falſo tributam ad Demetriadem, in Appendice, poſt medium;* ubi præmonet, non tam expellenda eſſe vitia, quam repellenda. *Denique eleganter Libro* 2. *adverſus Jovinianum*, quantum temperantia mitiget paſſiones.

S. Augustinus *Libro IX. de Civitate, capitibus* 5. & 6.

Libro XV. de eadem, cap. 6.

Libro de bono viduitatis, cap. 21. una oppreſſa aliam creſcere, *eleganter.*

Libro de vera Religione, cap. 52.

S. Cassianus *Collatione XII capitibus* 12. & 13. de lætitia animi affectibus vacui. *Item Collatione XV. cap.* 8. Paſſiones animi curare, pluris eſſe, quam morbos corporis. Adde, *quæ Collatione IV.* atque alibi ſæpius habet de concupiſcentia carnis & ſpiritus.

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtola* 135. quod hominem in feram commutent. *Libro III. epiſtola* 352. de dominio paſſionum. *Fuſius autem Libro eodem, epiſtola* 133. oſtendit, nullum in terra verum bonum, niſi in domitis, beneque ordinatis affectibus eſſe.

S. Cyrillus Alexandrinus *Homilia Paſchali* 19. *egregie.*

Theodoretus *Commentario in caput* 7. *Epiſtolæ ad Romanos. ad verba :* Jam non ego operor illud. *Et ſermone* 5. *de græcarum affectionum curatione.*

Julianus Pomoerius *Libro III. de vita contemplativa, capitibus* 31. & 32.

Seve-

SEVERINUS BOETHIUS *Libro IV. de conſolatione Philoſophiæ, proſa* 3. *& metro* 3. hominem indomitis affectibus in beſtiam abire.

S. FULGENTIUS *ad Reginum Comitem; utrum caro Chriſti corruptibilis, an incorruptibilis fuerit?* ubi etiam agit de paſſionibus ejus voluntariis.

S. JOANNES CLIMACUS *gradu* 2. de Paſſionibus. Item *Gradu* 29. de earum plena victoria.

S. GREGORIUS M. *Libro IV. Moralium, cap.* 30. de affectuum moleſtia.

S. DOROTHEUS *Doctrina* 11. qua cura agendum, ne excreſcant affectiones.

S. JOANNES DAMASCENUS *Libro II. de orthodoxa fide, a cap.* 13.

S. BERNARDUS *Sermone* 58. *in Cantica: Sermone* 2. *in capite jejunii: Sermone feriæ* 4. *hebdomadæ ſanctæ, ad finem.*

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro VIII. Policratici, cap.* 5.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Tractatu de interiori conflictu.*

Multa etiam de Paſſionibus cumulat ex Patribus DIONYSIUS CARTHUSIANUS *Tractatu de Paſſionibus animæ.*

Adjice, ſi velis, Titulos: *De Indole. De Mortificatione. De Carne &c.*

TITULUS XLI.

De *Peccatis*, quæ dicunt, alienis.

CAPUT I.

Loci.

In illos, qui peccata aliena cum poſſunt non vindicant, quam brevis tam nervoſa eſt expoſtulatio ORIGENIS: Dum uni parcunt, univerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ iſta bonitas, quæ miſericordia eſt, uni

uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere? *Homilia 7. in Jeſum Nave.*

Nullus de Legibus metus eſt, de judice pavor nullus. Quod poteſt redimi, non timetur. S. CYPRIANUS *Epiſtola 2. ad Donatum.*

Nocentium contactibus polluuntur, & dum junguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur. *Idem Epiſtola 68. ad Clerum & plebes in Hiſpania, in fine.*

Nimium præceps eſt, qui tranſire contendit, ubi conſpexerit alium cecidiſſe. *Idem creditus Libro de ſingularitate Clericorum.*

Compendioſum felicitatis genus, alterius periculo diſcere, quid debeas devitare. S. ZENO *Sermone 6. de Eſaia.*

Eſt tempus tacendi, & tempus loquendi. Deinde, ſi pro otioſo verbo reddimus rationem, videamus, ne reddamus & pro otioſo ſilentio. S. AMBROSIUS *Libro I. de Officiis, cap. 3.* Idem fere habet ENNODIUS, qui (ut ipſe prodit) diligens Ambroſii lector fuit, *Præfatione carminis 9.*

Si ego, dum ſileo, peccata ſilentio abſconderem; recte ſuccenſeret unusquisque, ac merito indignaretur, niſi ſilerem: ſin autem, quantumvis jam non ſileamus, omnino neceſſe eſt, ut illic delicta manifeſtentur; quid poterit ſilentium prodeſſe? Imo nihil proderit, ſed ſummopere nocebit. Nam, ſi quidem nunc proloquar, ad pœnitentiam & animi compunctionem inducam: ſin taceam, nunc quidem eorum, quæ peccaverimus, non recordabimur, neque pœnitentiam agemus; at in futuro ſæculo nuda & aperta præ oculis noſtris intuebimur, ac fruſtra & incaſſum lamentabimur. Quando igitur omnino neceſſe eſt, ut vel illic vel in hac vita ob delicta compungamur, ſatius eſt, ut illud hic potius, & non illic fiat. S CHRYSOSTOMUS *Sermone: Non eſſe ad gratiam concionandum, Tomo II. novo.*

Hæc videmus, & patimur; & ſi aureus nummus affulſerit, inter bona opera computamus. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 8. *nunc* 130. *in fine.*

In Dei injuria benigni ſumus: in noſtris contumeliis exercemus odia. *Idem Libro III Commentariorum in Matthæum, ad cap.* 18.

Ne inſultetis cadentibus, & alienam ruinam veſtram ædificationem putetis. *Idem Commentario in caput* 2. *Michææ.*

Quid in alterius ruina exultas? numquid, ſi ego cecidero, tu ſtabis? Licet ruina mea ſit ruina, fratris timor tuus eſſe debet, non exultatio. *Idem in Pſalmum* 99.

Væ peccatis hominum! quæ ſola inuſitata, exhorreſcimus; uſitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei ſanguis effuſus eſt, quamvis tam magna ſint, ut omnino claudi contra ſe faciant regnum Dei, ſæpe videndo, omnia tolerare, ſæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque utinam, o Domine, non omnia, quæ non potuimus prohibere, faciamus! S. AUGUSTINUS *in Enchiridio, cap.* 88.

Parva erant noſtra, ſed imponuntur aliena. *Idem Enarratione in Pſalmum* 39. *poſt medium.*

Tota hoc civitas fecit, quod tota conſenſit. *Idem Libro III. de Civitate, cap.* 6.

Quando portas infirmitatem fratris tui, non te onerant peccata ipſius. Plane ſi conſentias, jam tua te premunt, non alterius. Quisquis enim conſenſerit peccatori, non alienis, ſed ſuis gravatur. Conſenſio enim ad peccatum alterius tuum fit peccatum, & non eſt quare queraris, quod peccata aliena te premunt. *Idem Enarratione in Pſalmum* 129. *numero* 4.

Itaque, Fratres, cui mala propria non ſufficiunt, ille ſic agat, ut judicium etiam alienæ perditionis incurrat! EUSEBIUS GALLICANUS *Homilia* 7. *ad Monachos.*

Quan-

Quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi neceſſitas movet, ſolus pœnas ſceleris ſui dabit: Ille autem, cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiamſi ſancte vivat & tamen perdite viventes arguere aut erubeſcat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit Et quid ei proderit non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato? JULIANUS POMOERIUS *Libro I. de vita contemplativa, cap.* 20.

Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. S. GREGORIUS M. *Paſtoralis Curæ Parte II. cap.* 4.

Nihil, inquit, habeo interrogare: viderit ille, quid juſſerit. Dic quæſo, ſi dato in manus gladio ſuum te armari juſſiſſet in jugulum, aquieviſſes? aut ſi te ſuo voluiſſet impulſu in ignem, vel in aquam præcipitem dari, obtemperaſſes? S. BERNARDUS *Epiſtola* 7. *ad Adam Monachum, fuſe & præclare.*

Idem in eos, qui mala, quæ poſſunt impedire, patiuntur: O patientia omni digna impatientia! *Idem eadem epiſtola.*

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de Idololatria,* & *Libro de corona militis* totus eſt in oſtendenda communione peccati, ad quod quocunque modo operam contulimus. Idem oſtendit *in Libro de velandis virginibus &c.*

S. CYPRIANUS *laudata Epiſtola* 68. *ad Clerum & plebes in Hiſpania,* ne partem capiamus peccati Prælatorum.

LUCIFER CALARITANUS *Libro, de non parcendo in Deum delinquentibus.*

S. BASILIUS M. *in Pſalmum* 61. in palpantes aliena vitia.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 1. *Apologetica.*

S. Chryſostomus *in Libris de Sacerdotio paſſim* prodit, juſtumque declarat metum ſuum, ne communicet peccatis alienis. *Idem homilia* 2. *de David & Saul*, peccatum docet laudare eſſe gravius, ipſo peccato. *Homilia in Pſalmum* 140. contra ſilentes, ubi loqui deberent. Rurſum inſignem habet locum *ad calcem homiliæ novæ adverſus eos, qui Eccleſia relicta ad Circenſes ludos & theatra transfugerunt*, de impediendis alienis peccatis.

Denique *Oratione* 4. *adverſus Judæos, ad finem*, ubi redarguit ignaviam eorum, qui, quo peccata impediant, nec verbulum proferunt.

S. Augustinus præcipue in iis, quæ ſcripſit pro puniendis hæreticis. Vide *priore Libro*, Titulo: *Hæreſis.* Item *Sermone* 46. *alias* 105. *de tempore* vehementer in mala exempla præpoſitorum.

Salvianus *in Libris de gubernatione Dei paſſim* exprobrat ſui temporis chriſtianis, propter patientiam, impunitatem, imo approbationem neminem jam innoxium eſſe a graviſſimis ſceleribus.

S. Gregorius M. *in Cura Paſtorali, & in Epiſtolis ſæpius. Præcipue* vero *Homilia* 76. *in Evangelia.* Nota etiam, quæ habet *Homiliis* 9. & 11. *Libri* 1. *in Ezechielem, ac Libro XXIX. Moralium, cap.* 7.

S. Petrus Damiani *Opuſculo XII. cap.* 14. Magis autem *Opuſculo XXVI. contra inſcitiam & incuriam Clericorum*: Et *Opuſculo LVII. de principis officiis in coercitione improborum.*

S. Bernardus *in Epiſtolis* ſæpiſſime, atque etiam *in Libris de Conſideratione.* Adde, quæ obiter habet *Sermone in Nativitate S. Joannis*, ſilentium ad conſenſum trahi: Et quæ ſuperſunt ex *Epiſtola* 7. *ad Adamum* Monachum, ubi *fuſe* oſtendit, obediendum nunquam eſſe, quando prava jubentur. Plura item huc faciunt *Libro de Præcepto & Diſpenſatione.*

S. Lau-

S. Laurentius Justinianus *Compunctione & complanctu chriſtianæ perfectionis, ante medium*, quod peccatorum alienorum ſeſe reos faciant Clerici mali.

Sed infinita reſtant, quæ Titulis: *Scandalum. Correptio fraterna. Magiſtratus. Domini. Servi. Obedientia. Adulatio. Parentes. Societas. Amicitia. Zelus. Abuſus. Excuſationes in peccatis. Peccata occulta. Juſtitia. Epiſcopus &c.* reperiuntur, atque iſtuc applicari egregie poſſunt.

De adulantibus proximo, ubi peccat, vide Titulum *de Adulatione.*

TITULUS XLII.

De *Peccatis*, quæ ſola cogitatione, vel deſiderio admittuntur.

CAPUT I.

Loci.

(Voluntas) ne tum quidem a culpa liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipſa enim ſibi imputatur, nec excuſari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod ſuum fuerat. Tertullianus *Libro de Pœnitentia, cap.* 3.

Vos ſcelera admiſſa punitis; apud nos & cogitare peccare eſt. Vos conſcium timetis; nos etiam conſcientiam ſolam, ſine qua eſſe non poſſumus. Minutius Felix *in Octavio, verſus finem.*

(Additur) præterea, non tantum adulterium eſſe vitandum, ſed etiam cogitationem; ne quis aſpiciat alienam, & animo concupiſcat. Adulteram enim fieri mentem, ſi vel imaginem voluptatis ſibi ipſa depinxerit. Mens eſt enim profecto, quæ peccat, quæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione complectitur. In hac crimen eſt, in hac omne delictum. Nam etſi corpus nulla ſit labe maculatum,

non conſtat tamen pudicitiæ ratio, ſi animus inceſtus eſt: nec illibata caſtitas videri poteſt, ubi conſcientiam cupiditas inquinavit. LACTANTIUS *Libro VI. Inſtitutionum divinarum, cap.* 23.

Et brevius Epitomes cap. 6. Illud quoque ad conſummandam pudicitiam jungitur, ut non modo peccatum abſit, verum etiam cogitatio. Pollui enim mentem quamvis inani cogitatione manifeſtum eſt. Itaque juſtum hominem, quod ſit ſecus, nec facere oportet, nec velle.

Oculus nihil delinquit, ideoque Salvatoris ſententia plena juſtitiæ eſt, dicentis: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, adulteravit eam in corde ſuo.* Non dixit: *Qui viderit* mulierem, ſed *ad concupiſcendum* viderit. Oculum abſolvit, mentem ligavit. Nec dixit: *adulteravit eam* in oculo, ſed *in corde.* In oculo viſus eſt, in corde peccatum. S. AMBROSIUS *Sermone* 16. *in Pſalmum* 118.

Væ nobis! qui, quoties concupiſcimus, toties fornicamur. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 4. *nunc* 125. *ad Ruſticum, ante medium.*

Quidquid pudet dicere, pudeat & cogitare. *Idem creditus Epiſtola ad Demetriadem, in Appendice.*

In illa tantummodo cogitatione peccatum eſt, quæ ſuggeſtioni conſenſum mentis dedit, quæ malum ſuum blande fovet, quæ in factum geſtit erumpere. *Idem eadem ſuppoſititia Epiſtola.*

Quid prodeſt integra caro, mente corrupta? S. AUGUSTINUS *Enarratione in Pſalmum* 99.

Idem, loquens de deſideriis & concupiſcentiis corruptæ carnis noſtræ, ita eleganter ſuſpirat: Nolo plura dicere de re tanta, quia melius eam committo fidelium gemitibus, quam meis ſermonibus. *Libro de perfectione Juſtitiæ hominis, cap.* 15.

Infeliciores eſſe neceſſe eſt malos, cupita dum perfecerint, quam ſi ea, quæ cupiunt, implere non poſſunt. Nam, ſi miſerum eſt voluiſſe prava, po-

tuiſſe

tuiſſe miſerius eſt. Severinus Boethius *Libro IV. de conſolatione Philoſophiæ. Proſa.*

Vitare turpes cogitationes non prævalet, qui honeſtas in ſe non habet. Quia enim ſemper cogitamus, exquirenda ſunt nobis bona, ne mala cogitemus. S. Gregorius M. *Libro V. in Librum* 1. *Regum, cap.* 4. *ad verſum* 48.

Non eos (appetitus) ſentire, ſed eis conſentire peccatum eſt. S. Anselmus *Libro de conceptu virginali, & de peccato originali, cap.* 4.

Hæc peſtis (*libidinem dicit*) præ ceteris vitiis eſt mihi familiarior, eoque ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior. Nam, cum eam repellere volo, nolenti mihi ingeritur, blande oneroſa, diſplicendo placens, & placendo diſplicens. S. Bernardus *creditus, Libro priore de Conſcientia, cap.* 5. Et *Libro de interiori domo, cap.* 29.

In cogitatione comedo cum jejuno: loquor, cum taceo: iraſcor, cum ſum tranquillus. Corpus requieſcit, & animus huc, illucque diſcurrit. *Idem ibidem.*

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro & capite citato, fuſe.*

S. Cyprianus *creditus, Libro de ſingularitate Clericorum.*

S. Ephræm *Titulo, vel Capite de Intemperantia* præclare deſcribit impuras cogitationes, quas voluptarii homines ſibimetipſis in animo depingunt.

S. Basilius M. *Libro de vera Virginitate: Conſtitutionum Monaſticarum capitibus* 2. *&* 3. *Homilia* 3. *in illud*: Attende tibi ipſi.

S. Gregorius Nyssenus *de vita Moſis, ad finem,* ne detur aditus perverſis cogitationibus.

S. Ambrosius *in Pſalmum* 118. *ſermone* 10. *ad verſum* 80. Fiat cor meum immaculatum &c.

S. Chrysostomus *Homilia* 17. *in Matthæi caput* 5. *fuſe, & inſigniter.* Item *Libro IV. de Sacerdotio, capitibus* 1. & 2. *egregie.*

Sulpitius Severus *Epiſtola* 2. *nova ad Claudiam Sororem, cap.* 20.

S. Hieronymus *præter Epiſtolam ſuppoſitam, jam citatam, Epiſtola nunc & olim* 22. *ad Euſtochium, præſertim poſt initium; ubi fuſe, atque ſolicite* tam periculum, quam remedia oſtendit. Idem de impurarum cogitationum geneſi *Libro* 2. *adverſus Jovinianum, numero* 7.

S. Augustinus *Libro X. Confeſſionum, cap.* 30. de impuris, quæ dormienti accidunt, imaginibus, & deſiderio naturæ.

Libro de continentia, capitibus 1. & 2.

Libro XII. de Geneſi ad literam, cap. 15. de iisdem.

Libro XII. de Trinitate, cap. 12. *præclare.*

Enarratione in Pſalmum 99. *numero* 11. facilis lapſus in tanta illecebrarum varietate & pertinacia, *egregie.*

Sermone in Appendice nova 313. *Eſt Cæſarii* 101. ubi agit de cogitationibus immundis.

S. Cassianus *Libro VI. de Inſtitutis renuntiantium, cap.* 13.

S. Prosper *creditus, Libro I. de Vocatione Gentium, cap.* 2.

S. Joannes Climacus *Gradu* 15. *egregie.*

S. Gregorius M. *Paſtoralis Curæ III. Parte, admonitione* 30. Et *Libro XXI. Moralium, cap.* 2. & 3.

S. Isidorus Hispalensis *Libro II. Sententiarum, cap.* 39. obiter, ſed egregie, quomodo impuræ cogitationes repellendæ.

S. Antiochus *Homiliis* 74. & 81.

S. Ber-

S. Bernardus *præclare poſt medium Tractatus de Moribus & Officio Epiſcoporum, ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum. Fuit olim Epiſtola* 42.

Sermone 16. *de diverſis, de triplici genere bonorum, & vigilantia ſuper cogitationibus.*

Sermone 17. *de diverſis, de triplici cuſtodia &c. ad finem.*

Sermone 31. *de ſolicita cura cogitationum.*

Denique *citato Tractatu de interiori domo ſparſim, capitibus variis.*

Petrus Blesensis *ad finem Tractatus de Confeſſione Sacramentali,* ubi quidem ſuppeditat remedia contra immundas cogitationes.

Adde omnes eos Patres, *quotquot in Præcepta IX. & X.* item *in illud Domini, Matthæi* 5. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum, *ſunt commentati.* Item Titulos: *Tentationes. Occaſio. Luxuria &c.*

TITULUS XLIII.

De *Peccatis* occultis, quæ per Ignorantiam, Inadvertentiam & Oblivionem fiunt.

CAPUT I.

Loci.

Acuti ad vana, hebetes ad divina. S. Ambrosius *Libro V. Hexaëmeron, cap.* 24.

Si taceam nunc quidem eorum, quæ peccavimus; non recordabimur, neque pœnitentiam agemus: at in futuro ſæculo nuda & aperta præ oculis noſtris intuebimur, ac fruſtra & incaſſum lamentabimur. S. Chrysostomus *Sermone: Non eſſe ad gratiam concionandum, num* 2. *Habetur Tomo II. novo.*

Is, qui ad hoc deputatus eſt, ut aliorum ignorantiam emendet, & diabolicum bellum inſtans

prænuntiet, nequit ignorantiam obtendere, nec dicere: Non audivi tubam, bellum non prævidi. Ad hoc quippe ſedebat, ut Ezechiel ait, ut aliis tuba caneret, & futuras ærumnas prænuntiaret. *Idem Libro VI. de Sacerdotio, initio.*

Impia mens odit intellectum, & homo aliquando mente nimium perverſa timet intelligere, ne cogatur, quod intellexerat, facere. S. Augustinus *Sermone* 156. *alias* 13. *de verbis Apoſtoli.*

Illa magis ſunt noxia, quæ a quibusdam non exiſtimantur peccata; nullum enim malum facilius decipit, quam quod non intelligitur malum eſſe. Peſſimum genus peccati eſt, non intelligere peccata. Nullus magis de peccatoribus plangi dignus eſt, quam qui putat ſe non habere, quod plangatur. *Idem.*

Nec ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excuſationem. Aliud enim eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur Pſalmo 35. 4. Noluit intelligere, ut bene ageret. *Idem S. Doctor Libro de gratia & libero arbitrio, cap.* 3.

Sunt homines, qui quaſi conantur quærere iniquitatem ſuam, & timent illam invenire. *Idem Enarratione in Pſalmum* 35. *poſt initium.*

Ille quidem, qui per conſcientiam peccat, merito gravius ſolvit conſcientiæ pœnas. Sed & iſte per ignorantiæ culpas plagas ignorantiæ non vitabit. Deum ſicut contemnere non licet, ſic non licet ignorare. S. Chrysologus *Sermone* 26. *ubi certe ex Tertulliano profecit, qui ſimilia alicubi habet.*

Sæpe, quæ facere deſpiciunt, etiam ſcire contemnunt &c. Impunitatem peccandi exiſtimant remedium neſciendi; qui nimirum ſola ſuperbiæ caligine tenebreſcunt, atque ideo non diſcernunt, quia aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Neſcire enim ignorantia eſt, ſcire noluiſſe ſuperbia: & tanto magis

magis excuſationem non poſſunt habere, quia neſciant, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur, quod cognoſcant. S. Gregorius M. *Libro XXV. Moralium, cap.* 12.

Tanto deterius Dominum neſciunt, quanto ejus ſibi cognitionem arrogantius adſcribunt. Eo namque agitur, ut, quod ſcire debent, periculoſius neſciant, quo id, quod ſe ſcire exiſtimant, neſcientes diſcere non curant. *Idem Libro II. in primum Regum, cap.* 3.

Qui ſua neſciunt, commiſſorum ſibi quando delicta deprehendunt? *Idem Libro XXXI. Moralium, cap.* 12.

Multa ſcienda neſciuntur, aut ſciendi incuria, aut diſcendi deſidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excuſationem. S. Bernardus *Epiſtola* 77. *ad Hugonem Victorinum, poſt initium. Eſt hodie inter Tractatus, qui inſcribitur: ad Hugonem de S. Victore de Baptiſmo, aliisque quæſtionibus ab ipſo propoſitis. Quem ita demum concludit:* Numquid non ex his ſatis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat, peccari poſſe interdum per ignorantiam?

CAPUT II.

Fontes.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 3. *in Eunomium, egregie,* de Ignorantia affectata.

S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 26. de ignorantia utilium, & ſcientia inutilium.

S. Chrysostomus *Homilia* 2. *in Pſalmum* 50. de oblivione peccatorum commiſſorum: *Homilia* 15. *in Matthæum*, de peccatis, quæ non cognoſcimus nos committere. *Item Homilia* 26. *in ad Romanos, præclare prorſus, fuſeque,* de ignorantia inculpabili, item de ignorantia craſſa.

S. Hie-

S. HIERONYMUS *Libro I. & II. Dialogorum adverſus Pelagianos*, de peccatis infirmitatis vel ignorantiæ.

S. AUGUSTINUS *Libro XXII. de Civitate Dei, cap. etiam* 22. de malo ignorantiæ. Rurſum de eadem ignorantia agit *Libro III. de libero arbitrio, capitibus* 19. *&* 22. Ac *Libro de peccatorum meritis & remiſſione, cap.* 17. Demum *Libro de duabus animabus, cap.* 10. *Enarratione* 2. *in Pſalmum* 18. *num.* 13.

S. CÆSARIUS ARELATENSIS *Homilia* 20. de prætenſa ſtupiditate ruricolarum.

S. GREGORIUS M. *Libro XV. Moralium, cap.* 45. *Libro XXV. Moralium, capitibus* 11. *&* 12. *novis, præclare.* Addi etiam poſſunt, quæ habet *Paſtoralis Curæ Parte I. cap.* 1.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro II. Sententiarum, cap.* 17.

S. BERNARDUS *Tractatu de Præcepto & Diſpenſatione, cap.* 14.

In Declamationibus, ad verba: Ecce nos reliquimus, *præſtanter* de ignorantia Clericorum, in his ipſis rebus, quas docere alios deberent.

Epiſtola citata ad Hugonem a S. Victore de ignorantia, *fuſe & egregie.*

Sermone 6. *de Aſcenſione,* ubi juſtus & inſignis locus de ignorantia Religioſorum inexcuſabili: atque etiam de luctu animi, quæ inde aſſolet evenire.

Tractatu de gradibus humilitatis, cap. 6.

Sermone 35. *in Cantica.*

Sermone 36. *in eadem.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo II. Sermone* 22.

Adjunge his ſi placet, quæ damus Titulis: *Peccata aliena. Excuſationes in Peccatis. Cognitio ſui. Conſcientia. Examen conſcientiæ quotidianum, & Examen conſcientiæ, quod præmittitur Confeſſioni. Magiſtratus, & Patresfamilias &c.*

TITULUS

TITULUS XLIV.

De Perſeverantia.

CAPUT I.

Loci.

Ne quid proſpere navigans magnifice dicas, antequam ad portum appuleris. Multi enim, cum ſecundo curſu navigaſſent, in ipſo portu naufragium fecerunt. S. Gregorius Nazianzenus *in Jambicis Tetraſtichis.* *

Unusquisque, quamdiu vivit, obnoxius eſt lapſui, nec ſenectus immunis a crimine. Mors igitur vitæ eſt teſtimonium. Nam ſi laudari ante gubernator non poteſt, quam in portum navem deduxerit, quomodo laudabis hominem, priusquam in ſtationem mortis ſucceſſerit? Et ipſe ſui eſt gubernator: & ipſe vitæ hujus jactatur profundo. Quamdiu in ſalo iſto, tam diu inter naufragia. S. Ambrosius *Libro de bono mortis, cap* 8.

Oblivioni mandanda ſunt benefacta, & omittenda, quæ retro ſunt. Nam & curſor, non, quod ſpatia confecerit, cogitat, ſed quot adhuc reſtent. Ita & nos non, quantum in virtute progreſſi ſimus, cogitemus, ſed quantum ad huc progrediendum reſtet. Quid enim nobis proderit, quod progreſſi ſumus; niſi etiam, quod reſtat, confecerimus? S. Chrysostomus *Homilia* 12. *in ad Philippenſes, initio.*

Obſecro te, & moneo parentis affectu, ut qui Sodomam reliquiſti, ad montana feſtinans poſt tergum ne reſpicias; ne aratri ſtivam, ne fimbriam Salvatoris, ne cincinnos ejus noctis rore madefactos, quos ſemel tenere cœpiſti, aliquando dimittas: ne de

* Quod idem & verſu reddidit hunc in modum:
Ne te ante jactes, quam ſit in portu ratis;
Periere multi jam propinqui litori.

de tecto virtutum, priſtina quæſiturus veſtimenta, deſcendas; ne de agro revertaris domum; ne campeſtria cum Loth, & amœna hortorum diligas, quæ non irrigantur de cœlo, ut terra ſancta, ſed de turbido flumine Jordanis, poſtquam dulces aquas maris mortui commixtione mutavit. Cœpiſſe, multorum eſt; ad culmen perveniſſe, paucorum. Qui *in ſtadio currunt, omnes quidem currunt; ſed unus accipit coronam.* At contra de nobis dicitur: *Sic currite, ut apprehendatis.* Non eſt invidus Agonotheta noſter, nec alterius palma alteri parat ignominiam. Omnes athletas ſuos deſiderat coronari. S. Hieronymus *Epiſtola* 28. *nunc* 71. *ad Lucinium.*

Beatus eſt, qui ambulat in virtutum via; ſed ſi ad virtutes uſque pervenerit. Nec prodeſt a vitiis receſſiſſe, niſi optima comprehendas. Quia non tam initia ſunt in nobis ſtudii laudanda, quam finis. *Idem in caput* 4. *Epiſtolæ ad Galatas, ad verba:* Ubi eſt ergo beatitudo veſtra? *verſu* 15.

Cum ſinguli gradus juxta provectus ſuos habeant beatitudinem; ſi finis, & (ut ita loquar) extrema manus operi defuerit, totus labor irritus fiet. *Idem ibidem.*

Multi poſſunt eam (Perſeverantiam) habere, nullus amittere. Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt; ſed, cum datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt. Quomodo enim poteſt amitti per quod fit, ut non amittatur etiam, quod poſſet amitti? S. Augustinus *Libro de dono perſeverantiæ, cap.* 60. *num.* 10.

Omnes, etiam qui bene currunt, timeant; dum occultum eſt, quo perveniant. *Idem Libro de Correptione & gratia, cap.* 13.

Primo hoc fideliter & firmiter credat dilectio veſtra, quia nunquam Deus deſerit hominem, niſi prius ab homine deſeratur. *Idem creditur, Sermone* 88.

de

de Tempore, nunc 22. in Appendice nova. Eſt Cæſarii Arelatenſis.

Ille bene proficit, ille bene conſummat, qui quotidie ſic agit, quaſi ſemper incipiat. Eusebius Gallicanus *Homilia 3. ad Monachos.*

Flores multi multitudinem fructuum pollicentur, ſed examinati ventorum flabris ad fructum pauciſſimi perſeverant. S. Chrysologus *Sermone 97.*

Incaſſum bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur; quia & fruſtra velociter currit, qui, priusquam ad metam veniat, deficit. S. Gregorius M. *Libro I. Moralium, cap. ultimo. Et iterum:* Qui æternam vitam quærimus, quid aliud quam quædam itinera agimus, per quæ ad patriam feſtinamus? Sed quid prodeſt, quod carpimus tam multa, ſi ea, quæ ad perveniendum reſtant, negligimus reliqua? More itaque viatorum nequaquam debemus aſpicere, quantum jam iter egimus, ſed quantum ſupereſt, ut peragamus; ut pauliſper fiat præteritum, quod indeſinenter & timide adhuc attenditur futurum. *Libro XXII. Moralium, cap. 6.*

Cauta circumſpectione conſiderent, quia, dum propoſita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta, convellunt *Idem Paſtoralis Curæ III. Parte, Admonitione* 35.

Et quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Ideo Paulus ajebat: *Sic currite, ut comprehendatis.* Ibi tu, Chriſtiane, fige tui curſus, profectusque metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam. *Factus eſt,* inquit, *obediens usque ad mortem.* Quantumlibet ergo cucurreris, ſi usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. S. Bernardus *Epiſtola 253. ad Abbatem Guarinum.*

Heu, quanti poſt glorioſos agones de ipſo principe mundi legitime triumphatos fugienti terga dederunt, & victores jam victo ſe ſponte curvarunt! *Idem creditus, Sermone 11. ex 15. de Cœna Domini.*

Tolle

Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. *Idem Epiſtola* 129.

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Epiſtola* 7. *ad Rogatianum Presbyterum, & ceteros Confeſſores.*

S. Athanasius *in vita S. Antonii Abbatis, non longe ab initio*, de perſeverantia pugnæ cum diabolo.

S. Basilius M. *Homilia in principium Proverbiorum*, de triſti naufragio onuſtæ navis in ipſo litore: *Epiſtola* 42. *alias* 1. *ad Chilonem Anachoretam, de vita Eremitica, initio. Homilia* 5. *in Martyrem Julittam*, de conſtantia & conſummatione bene cœptorum.

S. Chrysostomus *Homilia* 3. *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum, pluris eſſe finem, quam initium, atque progreſſum.

Homilia 68. *in Matthæum.*

Homilia 23. *in I. ad Corinthios.*

Homilia 13. *in eandem Epiſtolam.*

Homiliis 7. 20. & 24. *in ad Hebræos.* Notandum vero ſpeciatim, quod in prima iſtarum intendendam monet in ſenio virtutem, non remittendam.

Libro II. de Providentia.

Epiſtola 7. *in fine*, ubi de conſtantia ſub nomine Patientiæ, ut ſæpe fit.

Sulpitius Severus *Epiſtola* 1. *ex nuper repertis, ad Claudiam ſororem.*

S. Hieronymus *Epiſtola* 4. *nunc* 125. *ad Ruſticum.*

Epiſtola 10. *nunc* 54. *ad Furiam.*

Epiſtola 22. *ad Euſtochium.*

Epiſtola 34. *nunc* 118. *ad Julianum.*

Adde,

Adde, quæ habet *Libro VIII. Commentariorum in caput* 26. *Ezechielis, ad verba:* Hæc dicit Dominus Deus Tyro.

S. Augustinus *Libro de dono perſeverantiæ, fortiter & egregie.*

Libro de correptione & gratia, pluribus capitibus.

Tractatu 45. *in Joannem, optime.*

Libro de ſancta Virginitate, cap. 52. *& pulchrius cap.* 39. ad obtinendum hoc donum præcipue docet humilitatem conferre.

Libro Soliloquiorum, cap. 29. *pulchre,* ſuperbiam perſeverantiæ eſſe ſumme inimicam.

Eusebius Gallicanus *Homilia* 5. *ad Monachos, fuſe & præclare.*

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro XI. in Joannem, capite* 9.

S. Prosper *in Reſponſ. ad* 14. *&* 16. *objectionum Vincentianarum.*

Salvianus *Libro* 4. *ad Eccleſiam Catholicam, fuſe atque egregie* oſtendit, nunquam magis, quam ad finem vitæ, de ſalute ſatagendum.

S. Fulgentius *Libro II. de veritate prædeſtinationis & gratiæ, capite* 7.

S. Gregorius M. *Libro I. Moralium, ad finem: Libro XXII. eorumdem, cap.* 6. *inſigniter.*

S. Theodorus Studita *Sermone Catechetico* 9. de caſu cujusdam, qui ſtare præ omnibus aliis credebatur.

S. Bernardus *Epiſtola* 129. *ad Januenſes.* Idem *Sermone* 1. *in Paſchate, eleganter* hortatur ad manendum in cruce: Et *Sermone* 64. *in Cantica* oſtendit, quam miſere dœmon vel provectos decipiat, atque evertat. Addi etiam poſſint, quæ habet *Tractatu de Paſſione Domini, ad verba:* Conſummatum eſt.

Mapheus Vegius, *Laudenſis, de Perſeverantia;* qui, uti ſolus ex inſtituto de ea ſcripſit, ita ceteros

omnes longiſſime ſuperavit. Eſt in *Bibliothecis PP.*

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo II. Sermone ultimo* agit de Perſeverantia.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *in Ligno vitæ, Titulo: De virtute Perſeverantiæ.*

Adde Titulos: *De Gratia. De Timore. De Relapſu. De Humilitate. De Oratione. De Tentationibus &c.*

TITULUS XLV.

De *Pœnis* & ſuppliciis divinis, publicisque Calamitatibus.

CAPUT I.

Loci.

Cur non ab eo etiam mala intelligat (humana gens) cujus bona eſſe non ſenſit? Illius rea eſt, cujus & ingrata. TERTULLIANUS *in Apologetico, cap.* 48.

Oneroſi ſumus mundo. Vix nobis elementa ſufficiunt, & neceſſitates arctiores; & querelæ apud omnes, dum jam nos natura non ſuſtinet. Revera lues, & fames, & bella, & voragines civitatum pro remedio deputanda, tanquam tonſura inſoleſcentis generis humani. *Idem Libro de Anima, cap.* 30.

De ſuppliciis Judæorum elegantiſſime MINUTIUS FELIX: Deum quamdiu caſte, innoxie, religioſeque coluerunt, quamdiu præceptis ſalutaribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de ſervientibus reges, modici multos, inermi armatos, dum fugiunt, inſequentes Dei juſſu & elementis adnitentibus obruerunt. *Dein ad ipſorum, atque etiam aliorum ſcripta cum provocaſſet:* Jam ſcies, *ſubdit*, nequitia ſua hanc eos meruiſſe fortunam, nec quidquam accidiſſe, quod non ſit, qui

in

in contumacia perſeverarent, ante prædictum Ita prius eos deſeruiſſe comprehendes, quam eſſe deſertos. *In Octavio.*

Et miraris, in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cum creſcat quotidie, quod puniatur? S. Cyprianus *Libro ad Demetrianum, ante medium.*

Nequaquam grave eſt plagis affici, ſed plaga meliorem non fieri gravius, atque acerbius eſt S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 26. in plaga grandinis.*

S Pacianus, *loquens de pœna a noxiis in innocentes quoque derivanda:* Quod ſi veſtra vobis vilis eſt anima, parcite populo! parcite ſacerdotibus! Clamat Apoſtolus: *Exiguum fermentum totam maſſam fermentat.* Quid facies tu, propter quem omnis maſſa corrumpitur? propter quem laboratura eſt tota fraternitas? Vives, tot animarum reus? excuſaberis, cum tibi communionem ſuam (in pœna) imputaverint innocentes? cum te Eccleſia dixerit ſuæ cladis auctorem? *In Paræneſi ad pœnitentiam.*

Non amputamus cauſas morbi, ut morbus pariter auferatur. S. Hieronymus *Epiſtola 3. nunc 60. ad Heliodorum.*

Idem ad verba: Ecce furor meus ſtillavit ſuper locum iſtum. Non ait, effuſus eſt furor meus ſuper locum iſtum, ſed *ſtillavit;* ut moderatam pœnam ſignificet: Si autem in ſtilla furoris tanta duritia eſt; quid fiet, ſi omnis imber fuerit effuſus? *In caput VII. Jeremiæ, verſu 20.*

Non parcit, ut parcat: non miſeretur, ut magis miſereatur. *Idem in Caput V. Ezechielis, verſu 11.*

Utinam non abundarent mali, & non abundarent mala. *Mala tempora! laborioſa tempora!* Hoc dicunt homines. Bene vivamus, & bona ſunt tem-

 pora.

pora. S. Augustinus *Sermone* 80. *alias* 34. *ex Sirmondianis.* *

Neque enim ſub Deo juſto miſer eſſe quisquam, niſi mereatur, poteſt. *Idem Libro operis imperfecti, ſub numero* 39.

Non eſt quo fugias a Deo irato, niſi ad Deum placatum. *Idem Enarratione in Pſalmum* 74. *numero* 9.

Tanta eſt ſummi patris pietas, ut etiam ira ejus ex miſericordia ſit: & ideo caſtiget, ut parcat. S. Paulinus *Epiſtola* 29. *alias* 10. *ad Severum.*

Fames revocat, quem ſaturitas exularat. S. Chrysologus *Sermone* 2. *de filio prodigo.*

Et poſt hæc volumus, ut bona a Deo accipiamus, cum malis ſemper mala addamus? fieri voluntatem noſtram a Deo cupimus, cum Dei nos facere nolimus? Salvianus *Libro* 5. *de Gubernatione Dei.*

Nihil itaque mirum eſt ſi deteriora quotidie patimur: qui deteriores quotidie ſumus. Et nova enim quotidie homines mala faciunt, & vetera non relinquunt. Surgunt recentia crimina nec repudiantur antiqua. Quis ergo eſt cauſationi locus? Quam libet aſpera & adverſa patiamur, minora patimur quam mereamur. Quid querimur quod dure agat nobiſcum Deus? multo nos cum Deo durius agimus. Exacerbamus quippe eum impuritatibus noſtris, & ad puniendos nos trahimus invitum. *Idem Libro eodem*, *numero* 8.

Quorum ſcilicet nequitiis ſi miſeriæ comparentur, minus ſunt miſeri quam merentur, quia in quibuslibet miſeriis conſtituti non ſunt tamen tam miſeri quam mali. *Idem Libro* 1. *de eadem Gubernatione.*

Incredibile eſt quod loquor: aſſiduitas illic calamitatum augmentum criminum fuit. Sicut enim angui-

* Pulchrius & fuſius hoc verſat. *Sermone* 297. *alias* 107. *de diverſis.*

anguinum illud monſtrum, ut Fabulæ ferunt, multiplicabat occiſio: ita etiam in Gallorum excellentiſſima urbe iis ipſis, quibus coërcebantur plagis ſcelera creſcebant, ut putares pœnam ipſorum criminum non aliud quam matrem eſſe vitiorum. *Idem ibidem, Libro 6.*

Quid de pœnarum acerbitate querimur? unusquisque noſtrum ipſe ſe punit. *Idem Libro 4. de eadem, ante medium.*

Omnia quæ ad uſum vitæ accepimus ad uſum convertimus culpæ. Sed cuncta quæ ad uſum pravitatis inflexímus ad uſum nobis vertuntur ultionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis ad uſum vertimus vanæ ſecuritatis: peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patriæ: ſalutem corporum redegimus in uſum vitiorum. Ubertatis abundantiam non ad neceſſitatem carnis, ſed ad perverſitatem intorſimus voluptatis: ipſa ſerena blandimenta aëris ad amorem nobis ſervire coëgimus terrenæ delectationis. Jure ergo reſtat, ut ſimul nos omnia feriant, quæ ſimul omnia vitiis noſtris male ſubacta ſerviebant; ut quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ſe ipſo cogamur poſtmodum ſentire tormenta. S. Gregorius M. *Homilia 35. in Evangelia.*

Hoc tempus miſericordiæ eſt; illud tempus judicii erit. Per iſta ergo hujus temporis flagella ſignificas, quomodo tunc percuſſurus es, quando non parcens judicas, qui ſic diſtricte modo percutis, quando parcis. *Idem Libro XIX. cap. 28.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Libro ad Demetrianum, fuſe & varie.* Item *Libro de Mortalitate.* Sed & *Libro de Lapſis, poſt initium, atque iterum poſt medium* huc facit. Et *Epiſtola 8. tota.*

S. Basilius M. *Homilia* 8. *tota in famem & ſiccitatem*, ubi argumentum iſtud ita verſat, ut nihil fieri abſolutius poſſit. Adde *Homiliam* 9. *quod Deus non eſt auctor malorum.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 15. *in plagam grandinis*, & 17. *ad cives Nazianzenos, gravi timore perculſos.* Item *Orationibus* 3. *&* 4. *adverſus Julianum*, quæ ſerviunt poſt declinatam calamitatem. *Libro de Joſeph, cap.* 7. in inertiam & prodigalitatem annorum priorum. *Enarratione* 2. *in Jonam Prophetam, præclare*, ut deferamus potius peccata, quam locum ob peccata puniendum.

S. Chrysostomus *in homiliis prioribus & poſterioribus ad populum, præclare; præſertim* 2.

Homilia poſt terræ motum, de quo & aliam edidit Combefiſius.

Homilia de laudibus eorum, quia in Eccleſia frequenter &c.

Homilia 1. *in illud Eſaiæ:* Vidi Dominum. Unius ſæpe culpa omnes puniri.

Homilia 37. *in Joannem.*

Oratione in S. Julianum Martyrem, præclare de tormento famis.

S. Hieronymus admirabili eloquentia ætatis ſuæ miſerias deſcribit *Epiſtola* 3. *nunc* 60. *ad Heliodorum:* Et 11. *nunc* 123. *ad Ageruchiam:* Et 12. *nunc* 128. *ad Gaudentium &c.* Adde *Librum II. Commentariorum in caput* 3. *Lamentationum Hieremiæ, ad finem:* Et *in caput* 14. *Eſaiæ*, de Babel punita atque everſa.

S. Augustinus *Epiſtola* 122. *ad Victorianum, nunc* 111.

Libris prioribus de Civitate Dei, quibus adde *Oroſium in Præfatione Hiſtoriæ.*

Sermone de tempore barbarico, Tomo VI. novo.

Tractatu de urbis excidio, Tomo eodem.

Enar-

Enarratione 2. *in Pſalmum* 33. *ad illud:* Quis eſt homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos. Ubi pulchre oſtendit, ſemper extitiſſe calamitoſa tempora.

Sermone 298. *Appendicis novæ, alias* III. *de Tempore, verſus finem.*

Nec omittendum, quod monet *Libro III. contra Epiſtolam Parmeniani, cap.* 2. tempus afflictionis eſſe optimum, ad objurgandam multitudinem. Adde *Sermones* 84. & 108. *alias* 17. & 39. *de verbis Domini*, in dies malos.

S. Cyrillus Alexandrinus *Homiliis Paſchalibus* 7. & 8. ubi varia huc accommodatiſſima.

S. Eucherius *Parœneſi ad Valerianum, verſus finem.*

S. Leo *Sermone* 1. *de Quadrageſima,* de Deo reconciliando tempore belli.

S. Maximus Taurinensis *Homilia* 1. *in Nativitate S. Joannis*, in hoc ipſum argumentum, in quo Leo verſatur.

Salvianus, qui triumphat plane in hac materia ſuppliciorum, & in omnibus fere *Libris de Gubernatione* illam aſſumit.

S. Gregorius M. *in fine homiliæ* 1. *in Ezechiëlem*, quam miſericors ſit Deus in publicis pœnis. *Homilia* 18. *in eundem*, ubi plane ad mores deſcribit calamitatem ſuorum temporum. Adde *Homilias quaſdam in Evangelia,* de miſeriis ætatis ejus.

S. Agobardus *Libro de pecorum lue, & ejus cauſa.*

Theophanes Cerameus *Homilia* 62. in plaga ſiccitatis.

Hegesippus *Libris quinque de bello Judaico, & excidio urbis Jeroſolymitanæ.*

S. Bernardus *Sermone* 5. *de Nativitate, num.* 3.

Guerricus, *Abbas Sermone male inſcripto de Quadrageſima.*

S. Bernardinus Senenſis *Tomo II. Sermonibus* 18. 19. 20.

Adjici debent Tituli alii, puta: *De Adverſis, & Perſecutionibus. De Mundo. De hac Vita. De Bello &c.*

TITULUS XLVI.

De *Pontifice*, Maximo.

CAPUT I.

Loci.

Habes Romam, unde nobis quoque Auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia! cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Tertullianus *Libro de Præſcriptionibus adverſum hæreticos, cap.* 36.

Manifeſtum eſt, etſi non exprimatur, quod nec adverſus Petrum, nec adverſus Eccleſiam portæ prævalere poterunt inferorum. Nam ſi prævalerent adverſus Petram, in qua Eccleſia fundata erat, contra Eccleſiam etiam prævalerent. Origenes *in caput* 10. *Matthæi.*

Eleganter S. Hilarius Pictavienſis, *Canone* 16. *in Matthæum, S. Petri, ejusque Succeſſorum terreſtre judicium vocat* præjudicatam auctoritatem in cœlo.

Præclare pro iis, qui perpetuo peccata Pontificum crepant, S. Optatus Milevitanus: Intelligitur, omnia ordinata eſſe providentia Salvatoris, ut ipſe (ſcilicet Petrus) acciperet claves. Intercluſa eſt malitiæ via, ne Apoſtoli licentiam judicandi conciperent, & ſevere contemnerent eum, qui negaverat Chriſtum. Stant toti innocentes: & peccator accipit claves; ut unitatis negotium firmaretur, proviſum eſt, ut peccator aperiret innocentibus, nec innocentes clauderent contra peccatores, & quæ

quæ neceſſaria eſt unitas eſſe non poſſet. *Libro VII. adverſus Parmenianum, de Schiſmate Donatiſtarum.*

An non ſufficit Dominica ſententia, contradictionis omnis expers, quæ Petro primas in omnes conceſſit? S. Gregorius Nyssenus *Laudatione in S. S. Petrum & Paulum, in Appendice Gretſeri.*

Ego nullum primum, niſi Chriſtum, ſequens Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Noë arca non fuerit, peribit regnante diluvio . . . Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. S. Hieronymus *Epiſtola* 57. *nunc* 15. *ad Damaſum, num.* 2.

Ego interim clamito, ſi quis cathedræ Petri jungitur, meus eſt. *Idem Epiſtola* 58. *nunc* 16. *ad eundem Damaſum.*

Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc unus aſſereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. *Idem Epiſtola eadem.*

Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur. In navi unus gubernator, in domo unus dominus, in quam grandi exercitu unius ſignum expectatur. *Idem Epiſtola* 4. *nunc* 120. *ad Ruſticum.*

Eccleſiæ ſalus a ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exſors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur Schiſmata, quot Sacerdotes. *Idem in Dialogo adverſum Luciferianos.*

Et tamen miror, quomodo probaverit Italia, quod Roma contempſit: Epiſcopi ſuſceperint,

 quod

quod Sedes Apoſtolica condemnavit. *Idem Libro III. cap. 5. contra Ruffinum.*

Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam Reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error! S. Augustinus *Sermone* 131. *alias* 2. *de verbis Apoſtoli, cap.* 10.

Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit; cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum ſuperbia . . . hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur. *Idem Libro IV. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap.* 12.

S. Cassianus *Pontificem Romanum vocat* ſummum illum & inter diſcipulos diſcipulum, & inter magiſtros magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ita & Sacerdotii principatum. *Libro III. de Incarnatione Domini.*

Libet hic aliquid de dolore dicere. Edicto Cæſaris & pagani Dominus obtemperaturus occurrit; & Decreto beati Petri, Decreto principis Chriſtiani ſervus adhuc aliquis irreverenter obſiſtit? S. Chrysologus *Sermone* 175.

Urbs Romana elegantiſſime a divo Prospero *appellatur*

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,

Reli-

Religione tenet.

Carmine de Ingratis.

De toto mundo Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & ipſis Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus præponatur; ut, quamvis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnum & mirabile, dilectiſſimi! huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divinæ dignatio: & ſi quid cum eo commune ceteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit. S. Leo *Sermone* 3. *de ſua Aſſumptione.*

Idem, alloquens Urbem, & principum Apoſtolorum in eam merita prædicans, denique ita concludit: Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis & regia, per ſacram beati Petri ſedem caput orbis effecta latius præſideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terra marique protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax chriſtiana ſubjecit. *Sermone* 1. *in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli.*

Rurſum, cum dixiſſet S. Petri in ſua ſede etiamnum vivere poteſtatem, & excellere auctoritatem, iſtud ſubjungit: His itaque modis, Dilectiſſimi! rationabili obſequio celebratur hodierna feſtivitas, ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium paſtorum ſolicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat: & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit. *Sermone* 2. *de ſua aſſumptione.*

Nulli alii, quod ſuum eſt, plenum, ſed ipſi ſoli (omnipotens) dedit. Cui omnis jure divino caput inclinant, & primates mund. tanquam ipſi Do-

mino Jeſu Chriſto obediunt. S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *in Theſauro.* *

Audi, Apoſtolorum caput, a Deo præpoſite paſtor ovium Chriſti, janitor regni cœlorum, petra fidei, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia Catholica! Petrus enim tu, Petri ſedem exornans, & gubernans. S. THEODORUS STUDITA *Libro II. Epiſtola 12. ad Paſchalem I. Papam.*

O inæſtimabilis & immenſa bonitas! hominem in terra poſitum tenere cœlum! Ecce nunc ad nutum Petri divini regni clauſtra pateſcunt! O quam vicina, & profunda ** remedia! juxta ſe habet mundus Dei regnum, ſi currat ad Petrum. S. ODO *Sermone de Cathedra S. Petri.*

Licet aſſiſtant Angeli, præſidentis imperium expectantes, & adminiſtratorii ſpiritus aſſignata ſibi miniſteria ſortiantur; nullus tamen eorum ligandi atque ſolvendi poſſidet poteſtatem. Adeſt Petrus, & ad ejus arbitrium orbis univerſus ſolvitur & ligatur. Et præcedit Petri ſententia ſententiam Redemptoris; quia, non quod Chriſtus, hoc ligat Petrus; ſed quod Petrus, hoc ligat Chriſtus, ipſo idipſum atteſtante: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* O quam potens dignitas! quam digna potentia! Judicat Petrus, & Petri judicia confirmat omnipotens. S. PETRUS DAMIANI *Sermone 26. initio.*

Sunt quidam, qui Romanæ Eccleſiæ omnia licere putant, & quaſi quadam diſpenſatione aliter, quam Scriptura divina præcipit, eam facere poſſe. Quicunque itaque ſic ſapit, deſipit. Nam Romanæ Eccleſiæ poſt Petrum minime licet, quod Petro non

* Verum in iſto, quod eſt mutilus, non reperitur. Habet tamen S. Thomas *Opuſculo I. cap.* 68. & *Opuſculo XIX. cap.* 3. Vide Franciſcum Turrianum *Libro II. de Pontificis auctoritate ſupra Concilia.*

** Id eſt, *vicina* ſimul & *remota.*

non licuit. Petro, quæ liganda erant, ligandi, & quæ ſolvenda, ſolvendi eſt a Chriſto data poteſtas; non qnæ liganda, ſolvendi, vel quæ erant ſolvenda, ligandi conceſſa facultas. Goffridus Vindocinensis *Opuſculo* 2.

Ubicunque occurrit habitatio veſtra, manebit ubique vobiscum obedientia, & devotio noſtra; quoniam & ſecundum Poëtam:

Vejos habitante Camillo
Illic *Roma* fuit.

Et Petrus in carcere, Clemens in exilio, Marcellus in catabulo non minus, quam Laterani Eccleſiæ præfuerunt, & oves eis ut veris paſtoribus obedierunt. Petrus Cluniacensis *Libro I. Epiſtola* 1.

Conſideres ante omnia, ſanctam Romanam Eccleſiam, cui Deo auctore præes, Eccleſiarum matrem eſſe, non Dominam. S. Bernardus *Libro IV. de Conſideratione, cap.* 7.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *De Præſcriptionibus adverſus hæreticos.* Sed & in *Libro de Pudicitia* de Zephyrino Papa nonnulla habet, quæ peritis dicendi egregie ſerviunt in oppoſitum.

S. Cyprianus *Libro de unitate Eccleſiæ: Et Epiſtolis compluribus, præſertim ad Cornelium Papam,* ubi nominatim de appellationibus ad Romanam ſedem.

S. Optatus Milevitanus *ſparſim in citato opere.*

S. Pacianus *in Epiſtolis tribus ad Sympronianum Novatianum.*

S. Gregorius Nyssenus *Oratione laudata in S. S. Petrum & Paulum.*

S. Ambrosius *Epiſtola* 42. *alias* 7. *vel* 81. *ad Syricium Papam,* obiter.

S. Chry-

S. Chrysostomus *Epiſtola* 1. *ad Innocentium Romæ Epiſcopum.*

S. Augustinus *Libro de unitate Eccleſiæ: Tractatu* 124 *in Joannem: Libro de utilitate credendi, cap.* 17. Locos alios complures majore præ ceteris ſolertia excerpſit Laurentius Alticotius in *ſumma Auguſtiniana, Parte III. Quæſtione* 2.

S. Joannes Cassianus *Epiſtola Nuncupatoria Librorum de Incarnatione ad Leonem Papam.*

S. Chrysologus *Epiſtola ad Eutychetem Archimandritam.*

S. Leo *Sermonibus de ſua aſſumptione: Sermonibus in Natali S. S. Petri & Pauli: Et Epiſtolis quibusdam decretalibus,* quibus Eccleſiæ diſciplinam reſtaurat, & contemptores ſacrorum Canonum coërcet. Adde ex opere illi ſuppoſito *de Vocatione gentium, caput 6. Libri II.*

Theodoretus *Epiſtola* 113. *ad Leonem Papam.*

S. Ennodius *in Libello Apologetico pro Symmacho Papa, & Synodo Romana.*

S. Alcimus Avitus *Epiſtolis in cauſa Symmachi, ſane egregie.*

Facundus Hermianensis *paſſim in iis, quæ pro defenſione Concilii Chalcedonenſis, & trium Capitulorum* conſcripſit; ſed quod eſt Schiſmaticus, & illoti oris, non ſine proviſione maxima legendum puto.

S. Isidorus Hispalensis *Epiſtola* 4. de obedientia erga ſummum Pontificem.

S. Maximus Martyr *in Epiſtolis aliquot.*

S. Theodorus Studita *Epiſtola ad Naucratium & alios, ſæpe.*

S. Nicolaus I. *Epiſtola ad Michaelem Imperatorem.*

S. Leo IX. *Epiſtolis ad Michaelem Cærularium.*

B. Petrus Damiani *Opuſculo* 4. *fere initio.*

S. Ivo Carnotensis *Sermone* 21. *qui eſt de cathedra S. Petri.*

Hil-

Hildebertus Cenomanensis *Sermone* 98. qui eſt *de pace in Eccleſia ſub ſummo Pontifice in Eccleſia* conſtanter ſervanda.

S. Bernardus *in Libris de Conſideratione: Et Epiſtolis* 7. 49. 161. 237. 238. ad Senatum populumque Romanum, qua ſeditionem adverſus Eugenium Papam reſtinguere conatur. Et 243.

Anselmus Havelburgensis *Libro III. Anticimeno ıis*, ubi agitur *de auctoritate Romanæ Eccleſiæ.*

Joannes Saresberiensis *Libro VIII. Policratici, cap.* 23. *Et Libro VI. cap.* 24.

Innocentius III. *Papa Epiſtola* 20. *ad Patriarcham Conſtantinopolitanum: Et Homiliis* 4. *de Conſecratione Romani Pontificis.*

Nilus Thessalonicensis *Libro de Primatu Papæ.*

Josephus Methonensis *in Reſponſione ad Libellum Marci Epheſini.*

Barlaam, *Monachus Baſilianus, de primatu Romani Pontificis.*

Dionysius Carthusianus *Tractatibus quatuor de auctoritate Papæ & Concilii Generalis.*

Plura ſi velis, vide Generum in *Prodromo*, Grancollaſium in *Syllabo Scriptorum Eccleſiaſticorum ad diverſa argumenta*: Item illos, qui quorumdam Patrum confeſſiones ediderunt. Raynaudum Tomo X. qui *Pontificia* inſcribitur: & præcipue *Bibliothecam maximam Pontificiam, Tomis XX. & uno comprehenſam*, ubi ſunt Tractatus innumeri illorum, qui de Pontifice Romano aliquid literis conſignarunt.

Subjiciamus autem ſplendidiores Titulos, quibus Eccleſiæ Patres Romanum Pontificem, ſeu potius Romani Pontificis dignitatem exornarunt:

Magnum illud Eccleſiæ fundamentum, & Petra ſolidiſſima, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam. Origenes *Homilia* 5. *in Exodum.*

Jani-

Janitor cœlorum. S. Hilarius *Canone* 16. *in Matthæum.*

Vicarius Chriſti. S. Ambrosius *Libro X. in Lucam, cap.* 24.

Eccleſiæ Princeps S. Chrysostomus *Homilia in S. S. Petrum & Heliam.*

Totius orbis doctor. *Idem Homilia ultima in Joannem.*

Columna illa Eccleſiæ, illa fidei baſis, illud Apoſtolici chori caput. *Idem Homilia* 2. *in Pſalmum* 50. *numero* 5.

Orthodoxæ fidei principium. *Idem in Encomio S S. Petri & Pauli, num.* 1. *Eſt Tomo VIII. novo, pag.* 7.

Caput orbis. S. Vincentius Lirinensis *Commonitorio II. cap. penultimo.*

Archiepiſcopus totius orbis. S. Cyrillus Alexandrinus *in Encomio in S. Mariam Deiparam, ad finem.*

Pater patrum, & Epiſcopus Epiſcoporum. S. Sidonius Apollinaris *Libro VI. Epiſtola* 1.

Doctor ſupremus orbis terrarum. S. Joannes Damascenus *in Hiſtoria Barlaam, juxta græcum codicem Donati.*

Epiſcopus ſolus univerſalis omnium Eccleſiarum. S. Petrus Damiani *Opuſculo XXIII. cap.* 1.

Rex Regum. *Idem ibidem.*

Cuſtos Sponſæ Domini. S. Bernardus *Epiſtolis* 49. & 161.

Dominus Domus Dei, & princeps omnis poſſeſſionis ejus. *Idem Epiſtola* 237.

Judex mundi. Petrus Blesensis *creditus, Sermone* 26.

TITU-

TITULUS XLVII.

De *Prædeſtinatione* , & Reprobatione.

CAPUT I.

Loci.

S. Ambrosius *quam breviter , tam eleganter ad illud dictum Domini : Sedere ad dextram & ſiniſtram meam , non eſt meum dare vobis.* Non eſt meum, quia juſtitiam ſervo, non gratiam. *Denique ad Patrem referens addidit : Sed quibus paratum eſt ;* ut oſtenderet ; Patrem quoque non petitionibus deferre ſolere , ſed meritis ; quia Deus perſonarum acceptor non eſt. Unde Apoſtolus ait : *Quos præſcivit & prædeſtinavit.* Non enim ante prædeſtinavit, quam præſciret ; ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit. *Libro V. de Fide ad Gratianum Imperatorem, cap.* 5.

Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus : poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt ; non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt. S. Augustinus *Libro III. contra Julianum cap.* 18.

Quod multi pereant , pereuntium eſt meritum ; quod multi ſalventur, ſalvantis eſt donum. Quod enim reus damnetur , inculpabilis eſt Dei juſtitia ; ut autem reus juſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt. *Idem ad Articulos ſibi oppoſitos a Pelagianis , Artic.* 2.

Miſeretur ergo Deus magna bonitate , obdurat nulla iniquitate ; ut nec liberatus de ſuis meritis glorietur , nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. *Idem Enchiridii cap.* 99.

Peccatores a ſe habent voluntatem malam ; a Deo autem naturam bonam , & juſtam pœnam. *Idem Libro XI. de Geneſi ad Literam , cap.* 9.

Et ad illud Apoſtoli: De reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex. Cui, *inquit*, redderet coronam juſtus Judex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? Et quomodo eſſet iſta corona juſtitiæ, niſi præceſſiſſet gratia, quæ juſtificat impium? Quomodo iſta debita redderetur, niſi prius illa gratuita donaretur? *Idem Libro de gratia, & libero arbitrio, cap.* 6.

Idem Sanctiſſimus Doctor, ut confutaret eos, qui nolebant de Prædeſtinatione pro concione aliquid dici: Ego, *ait*, nolo exaggerare meis verbis, ſed illis cogitandum potius relinquo, ut videant, quale ſit, quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione Prædeſtinationis audientibus plus deſperationis quam exhortationis afferri. Hoc eſt enim dicere: Tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſe ipſo, ſed in Deo didicerit ponere. *Libro de dono perſeverantiæ, cap.* 17. Et *ſuperiore Libro, ut ſolaretur eos, qui ſemper in hoc negotio a voluntate Dei ſibi timent, nunquam autem a voluntate ſua, magis profecto, imo unice timenda, ita ſubtiliſſime ratiocinatur:* Miror, homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quam firmitati promiſſionum Dei. Sed incerta eſt mihi, *inquis*, de me ipſo voluntas Dei. Quid ego? tuane tibi voluntas de teipſo certa eſt, nec times? Qui videtur ſtare, videat ne cadat! Cum igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit? *Libro de Prædeſtinatione Sanctorum, qui ante dictum proxime præcedit, cap.* 11.

Omnem, quantum in ipſo eſt, hominem ſalvum fieri vult, qui fecit omnem. Nam & idcirco deſcendit ad nos, ut ad illum aſcenderemus. S. PAULINUS *Epiſtola* 2. *num.* 24. *ad Severum, numero* 9.

Video

Video Paulum, ex illa perſecutionis ſævitia ad gratiam Apoſtolatus vocatum; & tamen ſic inter judicia occulta formidat, ut reprobari ſe etiam, poſtquam vocatus eſt, timeat. Ait enim: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipſe reprobus efficiar.* Et rurſum: *Ego me non arbitror comprehendiſſe: unum autem, quæ quidem retro ſunt oblitus, ad ea, quæ ſunt priora, extendens meipſum ad deſtinatum ſequor, ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Sequor autem, ſi comprehendam in quo & comprehenſus ſum.* Et certe jam de illo voce Dominica dictum fuerat: *Vas electionis eſt mihi;* & tamen adhuc caſtigans corpus ſuum metuit, ne reprobetur! Væ miſeris nobis, qui de electione noſtra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in otio quaſi de ſecuritate torpemus! S. Gregorius M. *Libro XXIX. Moralium, cap.* 18.

Impios prædeſtinavit Deus, non ut peccarent, ſed ut propter peccatum pœnis perpetuis interirent. Prædeſtinavit non ad culpam, ſed ad pœnam: non ut malum quoddam vellent, ſed ut propter malum, quod volentes facerent, eos pœna ſempiterna juſte damnaret. S. Prudentius Trecensis *ad Hincmarum Rhemenſem, cap.* 3. *

Quam pauci poſt te, o Domine Jeſu, ire volunt; cum tamen ad te pervenire nemo ſit, qui nolit! S. Bernardus *ſermone* 21. *in Cantica.*

CAPUT II.

Fontes.

Origenes *in Explanationibus Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos, ad capita* 8. & 9.

* Hujus verba certe haud obſcura vel ideo attuli, quod a Prædeſtinatianis velut cauſæ Patronus allegetur; cum tamen non dogmata Gotheſchalci, ſed ipſum Gotheſchalcum ſuſceperit defendum.

S. Ambrosius *creditus*, *Commentario in eadem capita.*

S. Chrysostomus & ipſe *in eadem capita*, *præſertim autem homilia* 26, ubi *practice* ſcribit, & *egregie.* Adde, quæ *homilia* 1. *de Prophetarum obſcuritate*: & *luculentius homilia de virtutibus & vitiis* habet de Præſcientia.

S. Hieronymus, cujus Locos de Prædeſtinatione & Præſcientia fere omnes collegit Cornelius Schultingus *Tomo II. confeſſionis Hieronymianæ, cap.* 1.

S. Augustinus *Libro de Prædeſtinatione Sanctorum.*

Libro de dono Perſeverantiæ.

Libro de Correptione & Gratia.

Libro de Gratia, *& libero arbitrio.*

Libro I. de diverſis quæſtionibus ad Simplicianum, *quæſtione* 2.

Enchiridii cap. 49.

Libro 83. *Quæſtionum*, *quæſtione* 28.

Epiſtolis 104, *nunc* 194. 107, *nunc* 217. *&* 46. *nunc* 114.

Libro XI. de Civitate Dei, *cap.* 21.

Libro XII. de eadem, *cap.* 14.

Libro de vera Innocentia, *cap.* 379.

Quibus adde *Libros Hypognoſticon*, & *Librum Prædeſtinati*, quod utrumque incognitum habet auctorem.

S. Prosper *Epiſtola ad Auguſtinum.*

Epiſtola ad Rufinum, *de Gratia & libero arbitrio.*

Libro ad Capitula objectionum Vincentianarum.

Libro Reſponſionum ad Capitula objectionum Gallorum.

Libro Reſponſionum ad Excerpta Genuenſium.

Libro contra Collatorem.

Libris illi ſuppoſitis de vocatione omnium gentium.

Theo-

THEODORETUS *Expoſitione in Epiſtolam B. Pauli ad Romanos, ad caput* 8. & 9.

S. FAUSTUS REJENSIS *Libris duobus de gratia, & humanæ mentis libero arbitrio.*

S. ENNODIUS TICINENSIS *Libro II. epiſtola* 18. *ad Conſtantium.*

S. FULGENTIUS *Libris tribus ad Monimum: Libris tribus de veritate Prædeſtinationis & Gratiæ: Libro illi ſuppoſito de Prædeſtinatione & Gratia.*

S. GREGORIUS M. *Libro XXV. Moralium, capitibus plurimis: Libro XXXIII. Moralium, cap.* 21. de prædeſtinatione & reprobatione *egregie.* Adde *Epiſtolam* 25, *olim* 22. *Libro VII. Indictione* 15. *ad Gregoriam.*

Venerabilis BEDA *Quæſtione* 3. *ex variis,* de Præſcientia.

S JOANNES DAMASCENUS *Libro II. de fide orthodoxa, cap.* 30: *Libro IV. de eadem, cap.* 22.

AMALARIUS METENSIS *Epiſtolis aliquot de Præſcientia & Prædeſtinatione.*

FLORUS DIACONUS *Sermone de Prædeſtinatione & libero arbitrio, Tomo XV. Bibliothecæ Maximæ Lugdun. Librum Lugdunenſis Eccleſiæ de Præſcientia, prædeſtinatione & libero arbitrio,* a Gilberto Maugino editum, non eſſe Flori, oſtendit P. Meneſtrier *in Ephemeridibus Trivultienſibus, ad annum* 1705, & Du Cheſnius *Libro III. Hiſtoriæ Prædeſtinatianiſmi.*

B. RABANUS MAURUS *Epiſtolis tribus de Prædeſtinatione Dei.*

AMOLO *Opuſculo de Scientia & prædeſtinatione divina.*

LUPUS SERVATUS *Libro de tribus Quæſtionibus, quarum ſecunda eſt de Prædeſtinatione bonorum & malorum.*

S. PRUDENTIUS TRECENSIS *Tractatu de Prædeſtinatione,* & quem ſupra citavi *ad Hincmarum.*

Ratramnus Corbeienſis *Libris duobus de Prædeſtinatione.*

Hincmarus Rhemenſis in iis, quæ ſuperſunt de hoc argumento; nam pleraque interierunt.

Hildebertus Cenomanenſis *Sermone* 74, ubi de definitione, ordineque Prædeſtinationis.

S. Anselmus *Libro de concordia Præſcientiæ, & Prædeſtinationis, & Gratiæ cum libero arbitrio.*

Honorius Augustodunenſis *Dialogo de Prædeſtinatione, & libero arbitrio.*

S. Rupertus Tuitienſis *Libro de Voluntate Dei.*

S. Bernardus *Sermone* 2. *de aſcenſione. Sed fuſe & præclare Epiſtola* 107.

TITULUS XLVIII.

De *Præſentia*, & Memoria Dei.

CAPUT I.

Loci.

De ſumma rerum ſæpenumero cogitans, admirari ſoleo majeſtatem Dei Singularis, quæ continet regitque omnia, in tantam veniſſe oblivionem, ut quæ ſola coli debeat, ſola potiſſimum negligatur. Lactantius *Libro II. Inſtitutionum divinarum, cap.* 1. *Quod etſi dicat de Gentilibus, multo magis apud Chriſtianos deplorandum.*

Parietibus oculi hominum ſubmoventur, Dei autem divinitas nec viſceribus ſubmoveri poteſt, quo minus totum hominem perſpiciat, & norit. *Idem ibidem Libro VI, cap.* 24, *ex Seneca.*

Nec enim tam ſæpe ſpiritum ducere, quam Dei meminiſſe debemus; imo, ſi dici hoc poteſt, aliud nihil quam hoc faciendum. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 33, *prope finem.*

Edoce etiam atque inſtitue, ut faciant, quod bonum

bonum eſt: & unusquisque non intermittat opus probabile, ſive a pluribus videatur, ſive ſine arbitro ſit. Abundat enim ſibi locuples teſtis conſcientia. Fugiat etiam mala opprobria, etiamſi ſe credit non poſſe convinci. Nam etſi clauſus parietibus ſit & opertus tenebris, ſine teſte, ſine conſcio, habet tamen facti arbitrum, quem nihil fallat, ad quem facta clamant omnia. S. Ambrosius *Epiſtola* 19. *vel* 44. *ad Conſtantium, nunc eſt* 2.

Hominis teſtimonium declinamus, & in conſpectu tuo ea, quæ ſunt indigna, committimus? Injuria eſt homini, ſpectare flagitia; Deum arbitrum omnium eſſe ſcimus, & eo ipſo teſte peccamus! *Idem Apologia David priore, cap.* 10.

Quemadmodum qui in parvo theatro decertant, magnum, quaſi illud non ſufficiat ad oſtentationem, ſic & ii qui ante Dei oculos decertant, deindeque laudem hominum quærentes, & majorem dimittentes ut minorem aſſequantur magnum ſibi attrahunt ſupplicium. Hoc ergo omnia ſus, deque vertit, hoc orbem totum turbavit, quod ad homines reſpicientes omnia faciamus, & in bonis nihil eſſe ducamus quod Deum habeamus laudatorem, ſed a conſervis quæramus famam, & gloriam: & in contrariis rurſum Deo deſpecto homines formidemus. Atqui ipſi nobiscum ſtabunt ante tribunal illud, nihil nos juvantes; Deus autem quem jam deſpicimus, ſententiam in nos feret. Attamen cum hæc ſciamus, ad homines inhiamus, quod eſt primum peccatum: homineque vidente fornicari nemo voluerit, ſed etiamſi vitio illo ardeat, affectus illius tyrannis ab hominum reverentia vincitur. Deo autem vidente non modo in adulteria & in fornicationes prorumpunt, ſed & alia longe graviora audent & auſi ſunt. An hoc ergo ſolum non ſufficit, ut mille fulmina de cœlo

inferantur ? S. Chryſostomus *homilia* 12. *in I. ad Corinthios*, *ante medium.*

Conſcientiam tuam, quæ certe Deo patet, in multitudine verſari puta. Nunquam aliud corde teneas, aliud ore proferas. Quidquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare. *Creditus* Hieronymus *Epiſtola ad Demetriadem*, *in Appendice.*

Ipſe erit Judex cauſæ tuæ, qui modo eſt teſtis vitæ tuæ. S. Augustinus *Libro de decem chordis*, *cap.* 2.

Te nemo amittit, niſi qui dimittit: & qui dimittit, quo it aut fugit, niſi a te placido ad te iratum? *Idem Libro IV. Confeſſionum*, *cap.* 9. Et *in Sententiis a Proſpero collectis:* Nullus in Deo locus eſt, nec eſt quo fugiatur ab ipſo, niſi ad ipſum. Qui vult evadere offenſum, confugiat ad placidum.

Eleganter etiam jocatur de iis, quos barbari captivos in regiones maxime diſſitas abſtraxerant: Sed multi, inquiunt, Chriſtiani etiam captivi ducti ſunt? Hoc ſane miſerrimum eſt, ſi aliquo duci potuerunt, ubi Deum ſuum non invenerunt! *Libro I. de Civitate Dei*, *cap.* 14.

Ipſe timendus eſt in publico, ipſe in ſecreto. Procedis? videris. Intras? videris. Lucerna ardet? videt. Lucerna extincta eſt? videt te. In cubiculum intras? videt te. In corde verſaris? videt te. Ipſum time, illum, cui cura eſt, ut videat te, & vel timendo caſtus eſto. Aut ſi peccare vis, quære ubi te non videat, & fac quod vis! *Idem Sermone* 132, *alias* 46. *de verbis Domini.*

Nunquam ſe talem ſecretus aſpiciat, qualem videri ab hominibus erubeſcit, nec in eo tale aliquid inevitabilis ille oculus deprehendat, quod ab humanis aſpectibus velit eſſe celatum. S. Cassianus *Collatione XII. cap.* 8.

S. Chrysologus *ad illa verba:* Pater noſter, qui es in cœlis. Hoc cum dicit, non ſic habeas, quaſi

quaſi non ſit in terris. Non ſic accipias, quaſi ſit loco clauſus, qui claudit omnia. *Sermone* 67.

Et combinans locos duos evangelicos: Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo. *Et:* Dominus tecum. Ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miſerat? Præceſſit nuntium ſuum Deus, ſed a Deo non receſſit. Teneri locis non poteſt, qui omnibus habetur in locis: & totus ubique eſt, ſine quo nihil eſt totum. *Sermone* 143.

Denique ad illa filii prodigi: Pater peccavi in cœlum & coram te. Peregre profectus eſt iſte, & in regionem longinquam fugit; ſed accuſatores ſuos, ſed teſtes ſuos, divini Patris oculos, non refugit. *Idem Sermone* 2.

Rurſus in verba Davidis, pſalmo 138: Quo ibo a ſpiritu tuo &c. Videt ipſe, per totum mundum nuda Dei oculis delicta conſiſtere: non cœlum, non terram, non maria, non abyſſum, non ipſam noctem Deo velare poſſe peccata. Sentit, quantum ſit ſceleris, mali quantum, in ipſo Dei peccare conſpectu; & ideo clamat: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci!*

Charitate debita commonemus, ut non ideo ſibimet blandiantur, quia nobis conſcientiæ ſingulorum patere non poſſunt; cum oculos Dei, ſimul univerſa cernentis, non abdita locorum, non parietum ſepta ſecludant: nec ſolum ei acta & cogitata, verum & agenda & cogitanda ſint cognita. Iſta ergo ſcientia ſummi Judicis, iſte eſt tremendus aſpectus, cui pervium eſt omne ſolidum, & apertum omne ſecretum: cui obſcura clarent, muta reſpondent, ſilentium confitetur, & ſine voce mens loquitur. S. Leo *Sermone* 5. *de Quadrageſima.*

Magna vobis, ſi diſſimulare non vultis, neceſſitas indicta probitatis; cum agitis ante oculos Ju-

dicis cuncta cernentis. SEVERINUS BOËTHIUS *Libro III. de Conſolatione Philoſophiæ, Proſa* 6.

O quam profunda cœcitas eſt, Deum ante oculos non habere! CASSIODORUS *in pſalmum* 9. *verſu* 24.

Dicite mihi, viri prudentiſſimi! quid beatius, quam illum habere propitium, quem iratum non volemus effugere? nam ſi præfectum vox præconis enuntiet; ſi carpentum ipſius ſtrepentibus votis tranſire noſcamus: nonne omnes voluptates cordis abjicimus, dum aſpectum ipſius reverentiamque metuimus? Deus intonat per convexa cœli, fulgura demonſtrat in nubibus, frequenter commovet fundamenta terrarum: & prô dolor! præſentia ipſius non timetur, qui ubique totus & omnipotens eſſe cognoſcitur. Quapropter abſentem judicem non credamus, & rei ad ipſius tribunalia non veniemus. *Idem Libro divinarum Lectionum, ſive de Inſtitutione divinarum literarum, cap.* 32.

Cum nos videri non credimus, in ſole clauſos oculos tenemus. Illum videlicet a nobis abſcondimus, non nos illi. S. GREGORIUS M. *Libro XXV. Moralium, cap.* 6.

Videor, ſed non video. Præſto eſt oculus, cui omnia patent, etſi non patet ipſe. S. BERNARDUS *Sermone* 55. *in Cantica.*

Quomodo poterit negligens fieri, qui intuentem ſe Deum nunquam deſinit intueri? *Idem Sermone* 2. *in pſalmum:* Qui habitat.

CAPUT II.

Fontes.

ORIGENES *Libro* 4. *contra Celſum* docet, hoc exercitio divinæ Præſentiæ præ omnibus aliis abſterreri nos a flagitiis perpetrandis. *Vide eundem Libro I. contra eundem,* ubi agit de divina immenſitate, *initio.*

LA-

LACTANTIUS *Libro VI. jam citato, cap.* 24, ubi plura ſuperſunt.

S. BASILIUS M. *Regula* 5. *fuſiore,* ubi Præſentia divina extimulat ad ponendos reſpectus erga homines. *Idem regula* 127. *breviore* hac ipſa præſentia abſterret a peccato. *Libro de Virginitate, egregie prorſus* eam ſuadet ad innocentiam & puritatem conſervandam.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Libro de perfecta chriſtiani hominis forma.*

S. AMBROSIUS *præclare Enarratione in pſalmum* 118. *Octonario* 1: *Libro I. de Officiis, cap.* 14. *præclare.*

S. CHRYSOSTOMUS *homilia* 4. *in ad Romanos.*
Homilia 11. *in II. ad Corinthios.*
Homilia 8. *in ad Philippenſes.*
Homilia 1. *in ad Philemonem,* ubi quam maxime placet.
Homilia de Cruce, apud Gretſerum, Tomo II, ſub finem.

S. HIERONYMUS *Epiſtola ad Cyprianum* 140, *alias* 139, qua explicat *pſalmum* 89: *Libro IX. Commentariorum, in Caput* 29. *Eſaiæ.*

S. AUGUSTINUS *Epiſtola* 57, *nunc* 187. *ad Dardanum : Enarratione in pſalmum* 93: *Libro I. Confeſſionum, capitibus* 2. & 3.

THEODORETUS *Oratione* 8. *de Providentia; breviter, ſed pulcherrime, pag.* 412.

S. FULGENTIUS *Libro ad Victorem contra ſermonem Faſtidioſi Ariani, cap.* 4.

S. GREGORIUS M. præter Librum & caput jam laudatum *Libro II. Moralium, cap.* 12, *egregie* de divina immenſitate. *Pulchrius atque etiam ad mores Libro XVI. eorundem Moralium, cap.* 5.

S. BERNARDUS *de converſione ad clericos cap.* 16, *fuſe & vehementer.* Item *Sermone* 56. *in Cantica, ad verba :* **En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.**

Adde

Adde ceteros, qui de *Dei immenſitate* ſcripſerunt, uti: *Creditum Dionyſium Areopagitam de divinis nominibus, cap.* 13. *S. Auguſtinum Libro I. Confeſſionum, capitibus* 2 *&* 3: *S. Cyrillum Alexandrinum Libro I. Theſauri, aſſertione* 6. *& Libro* 8. *contra Julianum Apoſtatam: S. Joannem Damaſcenum Libro VI. de fide orthodoxa, cap.* 16: *S. Anſelmum in Monologio, capitibus* 19. 20. 21: *Euthymium in Panoplia Parte I Titulo* 3. *&c.* atque alios quam plurimos, quos minime hic volumus accumulare.

TITULUS XLIX.

De *Præſumptione.*

CAPUT I.

Loci.

Salſiſſime Tertullianus *adverſum eos, qui Deum nonniſi bonum ſtatuebant:* Audite peccatores, quique nondum eſtis, ut eſſe poſſitis! Deus melior inventus eſt, qui nec oſtenditur, nec iraſcitur, nec ulciſcitur: cui nullus ignis coquitur in gehenna, cui nullus dentium frendor horret in exterioribus tenebris. Bonus tantum eſt. Denique prohibet delinquere, ſed literis ſolis. In vobis eſt, ſi velitis illi obſequium ſubſignare, ut honorem Deo habuiſſe videamini; timorem enim non vult. *Libro I. contra Marcionem, cap.* 27.

Quis iſte Deus tam bonus, ut homo ab illo malus fiat? *Idem Libro eodem, cap.* 23.

Abſit, ut redundantia clementiæ cœleſtis libidinem faciat humanæ temeritati. Nempe idcirco deterior fit, quia Deus melior, quoties ignoſcitur, toties delinquendo. *Idem Libro de Pœnitentia, cap.* 6.

Utilius

Utilius eſt, ut infirmum ſe homo agnoſcat, ut fortis exiſtat; quam fortis videri velit, & infirmus emergat. *Creditus* CYPRIANUS *Libro de ſingularitate Clericorum.*

Jam videte, utrum de nulla re præſumendum ſit homini, quando nec de Juſtitia præſumendum eſt. Jam videte, ubi jaceant præſumentes de divitiis, de viribus corporis, de nobilitate generis, de dignitate ſæculi; ſi quis de ipſa Juſtitia tanquam de ſua præſumpſerit, cadit. *S.* AUGUSTINUS *Sermone* 1. *in Pſalmum* 58.

Quid ſum ego mihi ſine te, niſi dux in præceps? *Idem Libro IV. Confeſſionum, cap.* 1.

Qui præſumit de viribus ſuis, antequam pugnet, ipſe proſternitur. *Idem Sermone* 153, *alias* 4. *de verbis Apoſtoli.*

Sit lapſus majorum tremor minorum! *Idem Enarratione in Pſalmum* 50, *initio.*

Rurſum, cum monuiſſet, ne præſentem miſericordiam a futuro judicio ſeparemus: Fratres, *inquit,* quoniam habemus tempus miſericordiæ, non nobis blandiamur, non nos dimittamus, non dicamus: Semper parcit Deus. Ecce feci heri, & pepercit Deus. Facio & hodie, & parcit Deus. Faciam & cras, quia parcit Deus. Attendis ad miſericordiam, & non times judicium?.. Deus ideo parcit, ut te corrigas; non ut in malignitate permaneas. *Enarratione in Pſalmum* 108, *ante medium.*

Quod nondum pœnas dederis, vir optime! non eo tibi redigetur, ut nullas pœnas pendas, ſed ut graviores & atrociores luas. S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro II. epiſtola* 41. *ad Zoſimum.*

Non fidat de viribus ſuis, quæ, etiam cum eſſent integræ, non ſteterunt; ſed per illum quærat victoriam, qui ſolus non eſt victus, & omnibus

Adde ceteros, qui de *Dei immenſitate* ſcripſerunt, uti: *Creditum Dionyſium Areopagitam de divinis nominibus, cap.* 13. *S. Auguſtinum Libro I. Confeſſionum, capitibus* 2 *&* 3: *S. Cyrillum Alexandrinum Libro I. Theſauri, aſſertione* 6. *& Libro* 8. *contra Julianum Apoſtatam: S. Joannem Damaſcenum Libro VI. de fide orthodoxa, cap.* 16: *S. Anſelmum in Monologio, capitibus* 19. 20. 21: *Euthymium in Panoplia Parte I Titulo* 3. *&c.* atque alios quam plurimos, quos minime hic volumus accumulare.

TITULUS XLIX.

De *Præſumptione.*

CAPUT I.

Loci.

Salſiſſime TERTULLIANUS *adverſum eos, qui Deum nonniſi bonum ſtatuebant*: Audite peccatores, quique nondum eſtis, ut eſſe poſſitis! Deus melior inventus eſt, qui nec oſtenditur, nec iraſcitur, nec ulciſcitur: cui nullus ignis coquitur in gehenna, cui nullus dentium frendor horret in exterioribus tenebris. Bonus tantum eſt. Denique prohibet delinquere, ſed literis ſolis. In vobis eſt, ſi velitis illi obſequium ſubſignare, ut honorem Deo habuiſſe videamini; timorem enim non vult. *Libro I. contra Marcionem, cap.* 27.

Quis iſte Deus tam bonus, ut homo ab illo malus fiat? *Idem Libro eodem, cap.* 23.

Abſit, ut redundantia clementiæ cœleſtis libidinem faciat humanæ temeritati. Nempe idcirco deterior fit, quia Deus melior, quoties ignoſcitur, toties delinquendo. *Idem Libro de Pœnitentia, cap.* 6.

Utilius

Utilius eſt, ut infirmum ſe homo agnoſcat, ut fortis exiſtat; quam fortis videri velit, & infirmus emergat. *Creditus* CYPRIANUS *Libro de ſingularitate Clericorum.*

Jam videte, utrum de nulla re præſumendum ſit homini, quando nec de Juſtitia præſumendum eſt. Jam videte, ubi jaceant præſumentes de divitiis, de viribus corporis, de nobilitate generis, de dignitate ſæculi; ſi quis de ipſa Juſtitia tanquam de ſua præſumpſerit, cadit. *S.* AUGUSTINUS *Sermone* 1. *in Pſalmum* 58.

Quid ſum ego mihi ſine te, niſi dux in præceps? *Idem Libro IV. Confeſſionum, cap.* 1.

Qui præſumit de viribus ſuis, antequam pugnet, ipſe proſternitur. *Idem Sermone* 153, *alias* 4. *de verbis Apoſtoli.*

Sit lapſus majorum tremor minorum! *Idem Enarratione in Pſalmum* 50, *initio.*

Rurſum, cum monuiſſet, ne præſentem miſericordiam a futuro judicio ſeparemus: Fratres, *inquit,* quoniam habemus tempus miſericordiæ, non nobis blandiamur, non nos dimittamus, non dicamus: Semper parcit Deus. Ecce feci heri, & pepercit Deus. Facio & hodie, & parcit Deus. Faciam & cras, quia parcit Deus. Attendis ad miſericordiam, & non times judicium?.. Deus ideo parcit, ut te corrigas; non ut in malignitate permaneas. *Enarratione in Pſalmum* 108, *ante medium.*

Quod nondum pœnas dederis, vir optime! non eo tibi redigetur, ut nullas pœnas pendas, ſed ut graviores & atrociores luas. S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro II. epiſtola* 41. *ad Zoſimum.*

Non fidat de viribus ſuis, quæ, etiam cum eſſent integræ, non ſteterunt; ſed per illum quærat victoriam, qui ſolus non eſt victus, & omnibus

bus vicit. *Creditus* Prosper *Libro I. de Vocatione omnium gentium*, *cap.* 8.

Deus nos vocat ad pœnitentiam, ſed nos theſaurizamus iram: Deus nos invitat ad veniam, ſed nos quotidie cumulamus offenſam, Vim Deo facimus iniquitatibus noſtris: ipſi in nos iram divinitatis armamus: cogimus ad ulciſcendas criminum noſtrorum immanitates nolentem Deum. Prope eſt, ut eum non permittamus, ut parcat. Salvianus *Libro* 5. *de Gubernatione*, *ſub finem.*

Nemo ſibi in vita, in morte, in actu, in dono, in teſtamento ſuo hominem Deo præferens de vitae, ac profeſſionis prærogativa aliquid blandiatur. Pœnalis eſt homini, ac perniciosa iſta ſecuritas; præſumptæ ſpes ſarcinæ ſunt reatus. Uſurpata abſolutio damnationem parit: *Idem in fine Libri* 4. *ad Eccleſiam Catholicam.*

Sic timeat juſtitiam, ut quærat miſericordiam: ſic de miſericordia confidat, ut tamen juſtitiam contremiſcat. S. Cæsarius Arelatensis *Homilia* 13.

Formidemus in his, quæ accepimus; nec illos, qui ea necdum aſſecuti ſunt, deſpiciamus. Quod enim ſumus hodie, novimus; quid autem poſt paululum poſſimus eſſe, neſcimus. Hi vero, quos fortaſſe deſpicimus, & tarde poſſunt incipere, & tamen vitam noſtram ferventioribus ſtudiis anteire. Timendum itaque eſt, ne etiam nobis cadentibus ſurgat, qui a nobis ſtantibus irridetur. Quamvis ſtare jam non novit, qui non ſtantem novit irridere. S. Gregorius M. *Libro XXV. Moralium*, *cap.* 8.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro de Pœnitentia*, *fuſe.* Et *Libro de cultu fœminarum*, *cap.* 2.

Ori-

Origenes *Homilia 2. in Pſalmum* 38.

S. Cyprianus *Libro de Lapſis:* Et *Libro de ſingularitate Clericorum, ipſi olim tributo.* Ut autem in primo redarguit præſumptuoſos circa pœnitentiam, ita in altero præſumptuoſos in occaſionibus caſtigat.

Lactantius *Libro de Ira Dei.*

S. Pacianus *Parœneſi ad pœnitentiam*, adverſus præſumptionem facilioris Pœnitentiæ.

S. Chysostomus *in Libris de Compunctione cordis: Libro de Virginitate, cap.* 23. *fuſe, & ſpeciatim* in præſumentes impunitatem pœnarum: *Homilia* 27. *in Matthæum*, de medio tenendo præſumptionem inter & puſillanimitatem. Adde *Homiliam* 21. *in ad Romanos.*

S. Hieronymus *Epiſtola* 48, *nunc* 147. *ad Sabinianum*, in quo homine pulcherrimam dedit imaginem hominis temerarii, & ipſa inter ſcelera ſe efferentis. Sed etiam *Epiſtola* 22. *ad Euſtochium* præcavet egregie Præſumptioni.

S. Augustinus in omnibus fere iis, quæ *de Gratia* perſcripſit. Adde *Enarrationem in Pſalmum* 144, *num.* 11. *Concionem* 2. *in Pſalmum* 31, *num.* 1: *Tractatum* 33. *in Joannem*, & *Caput* 5. *Libri de vita chriſtiana.* Idem *Sermonem* 32, *alias* 20. *de diverſis*, & 31. *ex* 50. *Homilias.*

S. Prosper *in plerisque ſcriptis ſuis.*

S. Leo *Sermone* 3. *de Quadrageſima, fuſe.*

S. Gregorius M. *Libro IX. Moralium, capitibus ultimis: Libro XX. eorundem, cap.* 3. Et *Homilia* 13. *in Evangelia.*

S. Bernardus *Tractatu de gradibus humilitatis & ſuperbiæ: Sermone* 11. *in Pſalmum:* Qui habitat, *fuſe & optime; Sermone* 30. *de diverſis: de ligno, fœno & ſtipula*, ubi docet nominatim nullum vel ſanctiſſimum locum dare nobis ſecuritatem. *Idem*

rurſum

rurſum *Sermone* 68. *in Cantica* de Præſumptione eleganter pertractat.

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tom. II. habet Sermonem contra confidentiam ſui ipſius.*

MAPHEUS VEGIUS LAUDENSIS *Libro de Perſeverantia religionis*, *in Bibliothecis Patrum.*

Fungantur his fontibus Tituli: *Gratia. Prædeſtinatio. Occaſio. Tentationes. Fiducia. Pœnitentia dilata. Relapſus. Cæcitas. Obſtinatio. Longanimitas Dei. Superbia. Humilitas*, & præcipue *Longanimitas Dei.*

TITULUS L.

De *Proſperitate*, & Rebus Secundis.

CAPUT I.

Loci.

Ut victimæ ad ſupplicium ſaginantur. MINUTIUS FELIX *in Octavio*, *verſus finem.*

Profecto facilius eſſe videtur, adverſam fortunam ferre, quam ſecundam conſervare. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 14, *quæ eſt* 3. *de Pace*, *num.* 3.

Meo affectu beatus eſt, & ſuo miſer. S. AMBROSIUS *Libro I. de Officiis*, *cap.* 12.

In proſperis rebus intolerando faſtu eſt; & in calamitatibus nullam conſolationem admittit. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia in Pſalmum* 36.

Infelix felicitas, quæ divitem ad æternam infelicitatem trahit! Felix infelicitas, quæ pauperem ad æternam felicitatem inducit! *Idem Homilia* 1. *de divite & Lazaro.*

Magna ira eſt, quando peccantibus non iraſcitur Deus. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 33, *nunc* 68. *ad Caſtrutium.*

Tran-

Tranquillitas iſta tempeſtas eſt. *Idem in Caput* 57. *Eſaiæ, proprio huc ſenſu.*

Filius Dei ſuſtinuit ignominiam Crucis: & tu putas beatos, qui felicitate iſtius ſæculi & deliciis perfruuntur? *Idem Epiſtola ſupra laudata ad Caſtrutium.*

Nihil infelicius felicitate peccantium. *Idem Libro V. Commentariorum in Ezechielem, ad Caput* 16.

Multi res adverſas timent, res proſperas non timent: periculoſior eſt res proſpera animo, quam adverſa corpori. Prius corrumpit proſpera, ut inveniat, quem frangat adverſa. S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 50, *num.* 4.

Quando quisque, quod amat, habere videtur, felix vocatur. Vere autem felix eſt, non ſi id habeat, quod amat; ſed ſi id amat, quod amandum eſt. Multi enim miſeri, magis habendo quod amant, quam carendo. Amando enim res noxias miſeri, habendo ſunt miſeriores: & propitius Deus, cum male amamus, negat quod amamus; iratus autem dat amanti, quod male amat. *Idem Expoſitione* 2. *in Pſalmum* 26.

Magnæ virtutis eſt cum felicitate luctari; ne illiciat, ne corrumpat, ne ipſa ſubvertat felicitas. Magnæ, inquam, virtutis eſt cum felicitate luctari: Magnæ felicitatis eſt, a felicitate non vinci. *Idem Sermone* 76, *alias* 13. *de verbis Domini.*

Noli zelare in peccatores. Quid accipiant, vides: quid illis ſervetur, non vides. *Idem Enarratione in Pſalmum* 145. *num.* 19.

Plurimum autem intereſt, quo animo quisque parcat. Sicut enim eſt aliquando miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens. *Idem Epiſtola* 54, *nunc* 153. *ad Macedonium. Per accomodationem.*

Intelligat homo! nunquam hoc permittit Deus (malos eſſe felices) ſed ideo malus felix putatur,

 quia,

quia, quid ſit felicitas, ignoratur. *Idem Tractatu 28. in Joannem.*

Cupiditates ſucceſſibus vicerant: rebus vota tranſcenderant. S. EUCHERIUS *Parreneſi ad Valerianum, ante medium.*

Quod quidem, cum licet, ſemper admodum grave ſit; tunc tamen magis intolerabile, cum præter conſuetudinarium vitæ uſum hoc vel adverſa noſtra faciunt criminoſius, vel ſecunda; quia & magis placandus eſt in adverſis Deus, & minus lædendus in proſperis. Placari quippe debet, cum iraſcitur, lædi non debet, cum propitiatur. Adverſa enim nobis per iracundiam Dei veniunt, ſecunda per gratiam. SALVIANUS *Libro 6. de gubernatione Dei, num.* 11.

Ille nobis ad hoc bona præſtat, ut boni ſimus; nos e diverſo quoties bona accipimus, mala noſtra cumulamus. Ille nos beneficiis ſuis vocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem. Ille beneficiis ſuis provocat ad compunctionem, nos ruimus in diſſolutionem. Vocat ille ad caſtitatem, nos ruimus in impuritatem. Præclare videlicet ſacris muneribus reſpondemus! Præclare dona ejus vel agnoſcimus, vel honoramus, qui, quantum ab eo beneficii accipimus, tantum ei injuriarum repenſamus! *Idem eodem Libro, num.* 18.

Quod incredibile forte cuiquam videatur, infeliciores eſſe neceſſe eſt malos, cupita cum perfecerint, quam ſi ea, quæ cupiunt, implere non poſſent. Nam ſi miſerum eſt, voluiſſe prava, potuiſſe miſerius eſt. SEVERINUS BOETHIUS *Libro IV. de Conſolatione Philoſophiæ, Proſa* 4.

Multos pejus ſua felicitas ſtravit: multos diuturna pax inertes reddidit, eoque illos inopinatus hoſtis gravius perculit, quo longo quietis uſu negligentes invenit. Unde ſancti viri, cum multa ſe proficere virtutum proſperitate conſiderant, quodam

dam diſpenſationis ſupernæ moderamine exerceri ſe etiam tentationibus exultant; quia tanto robuſtius acceptam virtutum gloriam cuſtodiunt, quanto tentationis impulſu concuſſi infirmitatem ſuam humilius agnoſcunt. S. Gregorius M. *Libro XXXI. Moralium, cap.* 43.

Deſperatis ægris medici, quidquid popoſcerint, dari præcipiunt, & eis, quos reduci poſſe ad ſalutem prævident, quæ appetunt, dari contradicunt. *Idem Libro XVI. Moralium, cap.* 22.

Noli hujus vitæ felicitatem pravis hominibus invidere; ſed condole: imo, quia ipſi non dolent potius ingemiſce. Qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, ad gladium laſciviendo feſtinant. S. Petrus Damiani *Epiſtola 6. Libri VIII.*

Sapiens David, ſapientior Salomon fuit; ſed blandientibus nimis ſecundis rebus alter ex parte, alter ex toto deſipuit. Magnus, qui incidens in adverſa non excidit vel parum a ſapientia: nec minor, cui præſens felicitas, ſi arriſit, non irriſit. Quamquam facilius inveneris, qui ſapientiam retinuerunt contraria ſibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. S. Bernardus *Libro II. de Conſideratione, cap.* 12.

Tunc magis iraſcitur Deus, cum non iraſcitur. *Miſereamur,* inquit, *impio; & non diſcet facere juſtitiam.* Miſericordiam hanc ego nolo! Super omnem iram miſeratio iſta. *Idem Sermone* 42. *in Cantica.*

Si triſtia ſemper acciderent, quis ſuſtineret? Si ſemper proſpera, quis non contemneret? Sed horum neceſſaria viciſſitudine fit, ut nec adverſa frangant, nec læta diſſolvant; cum potius & iſta ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. *Idem Epiſtola* 136. *ad Petrum Papienſem.*

Generoſitas ſanguinis, proceritas corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia, im-

menſa ſupellex, infulæque dignitatum; adde & ſapientiam mundi: de Mundo ſunt hæc; & Mundus, quod ſuum eſt, diligit. Sed quouſque? Non ſolum enim non ſemper; ut qui non ſemper erit: verum ne diu quidem. Diu ſiquidem iſta in te Mundus habere non poterit: & tu quoque ipſum in brevi non habiturus. *Idem Epiſtola* 107.

CAPUT II.

Fontes.

Origenes *Homilia* 2. *in Pſalmum* 36. *fuſe, & præſtanter.*

S. Basilius M. *Homilia* 5. *in Hexaëmeron.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 16. *de pauperum amore: Oratione* 17. *ad Cives Nazianzenos gravi timore perculſos: Epiſtola* 18. *ad Sophronium.*

S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 12, ex quo ſupra aliquid delibavi.

S. Chrysostomus *in Concionibus de Lazaro, fuſe.*

Homilia in Eutropium.

Homilia de nomine Abraham.

Homiliis in Pſalmum 127. *&* 143. *ad finem.*

Homilia: *Dæmones non gubernare mundum, Tomo II. novo.*

Libro de Virginitate, cap. 24. de impunitate, *egregie.* Denique aliquot *homiliis in capite* 16. 18. *&* 24. *Matthæi.*

S. Hieronymus *Epiſtola laudata ad Caſtrutium*: Et *in caput* 4. *Oſeæ.*

S. Augustinus præter *Enarrationem in Pſalmum* 72. *Concione I. in Pſalmum* 36.

Enarratione in Pſalmum 9.

Enarratione in Pſalmum 91, *ad verba*: Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.

Sermo-

Sermone 171, *alias* 37. *de verbis Domini.*
Sermone 7, *alias* 12. *de verbis Domini.*
Libro I. de Civitate, *cap.* 30.
Epiſtola 5, *nunc* 138. *ad Marcellinum.*

S. Eucherius *in Parœneſi ad Valerianum*, *præclare.*

Theodoretus *Sermonibus* 6, *&* 7. *de Providentia.*

Eusebius Gallicanus *Homilia de S. S. Epipodio & Alexandro*, de felicitate peccantium.

Salvianus *Libris* 6, *&* 7. *de gubernatione Dei, fuſe & præſtanter.*

Severinus Boëthius *in Libris de Conſolatione Philoſophiæ*, *præcipue II. & IV.*

S. Gregorius M. *præclare* de proſperitate impiorum *Libro XXI. Moralium, cap.* 4. *Libro XX. Moralium, cap.* 38. Item *Paſtoralis curæ Parte III. Admonitione* 23.

S. Bernardus *Sermone* 1. *in Ramis palmarum* de inconſtantia felicitatis, *poſt initium.* Item *Sermone* 42. *in Cantica.* Et *Libro ſuppoſititio de Conſcientia*, *præclare*, cum de mala, & tamen tranquilla. Denique *in Declamationibus*, *ad illud Pſalmi* 72*:* In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, *ante medium.*

Joannes Saresberiensis *Libro I. Policratici, cap.* 1.

TITULUS LI.

De *Providentia* divina.

CAPUT I.

Loci.

Quod quidam dubitant, an ſit Providentia Dei, nullam aliam ob cauſam niſi ob vitia naſcitur. Aufer ea, abſtuliſti pariter & cauſas Providentiæ

deſtruendæ ſurſum & deorſum. ORIGENES *Homilia* 9. *in Jeremiam.*

Epicurus Deum quidem eſſe dixit, quia neceſſe ſit, eſſe aliquid in mundo præſtans, & eximium, & beatum; providentiam tamen nullam. Itaque mundum ipſum nec ratione ulla, nec arte, nec fabrica inſtructum, ſed naturam rerum quibusdam minutis ſeminibus, & inſecabilibus conglobatam. Quo quid repugnantius dici poſſit, non video. Etenim ſi eſt Deus, utique providens eſt, ut Deus; nec aliter ei poteſt divinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat. Cum igitur Providentiam ſuſtulit, etiam Deum negavit eſſe; cum autem Deum eſſe profeſſus eſt, & Providentiam ſimul eſſe conceſſit; alterum enim ſine altero nec eſſe prorſus, nec intelligi poteſt. LACTANTIUS *Libro de Ira Dei*, *cap.* 9.

Quis operator negligat operis ſui curam? quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere, nonne eſt major injuria feciſſe? cum aliquid non feciſſe, nulla injuria ſit; non curare autem quod feceris, ſumma inclementia. S. AMBROSIUS *Libro I. de Officiis*, *cap.* 13.

Eſtne aliquid hac aſſeveratione ſtultius, ut feciſſe dicatur mundum, & curam ejus non agere? Ut quid fecit, ſi non ad illum pertinet, quod fecit. *Idem creditus*, *Commentario in Epiſtolam I. ad Corinthios*, *cap.* 1. *

Si non eſt injuria & probrum Dei, minutiſſimas res feciſſe; multo minus probrum illius eſt, eas factas regere. *Idem loco ſuperius laudato de Officiis.*

Quæcunqne in mundo fiunt, aguntur & exercentur, habent qui eis præſit, eaque perficiat: & ſolus

* Iſtuc ipſum pulcherrime proponit Salvianus *Libro* 4. *de Gubernatione*, *ante medium.*

ſolus mundus non habet, qui eum adminiſtret? S. Chrysostomus *creditus homilia in pſalmum* 13. *ad illud:* Dixit inſipiens &c.

Juſtitia ſummi Dei factum eſt, ut non modo ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, ut omninò melius eſſe non poſſint. S. Augustinus *Libro de quantitate animæ, cap.* 33.

Aut vero uſque adeo deſipiendum eſt, ut homo videat, melius aliquid fieri debuiſſe, & hoc Deum vidiſſe non putet; aut putet vidiſſe, & credat facere noluiſſe: aut voluiſſe quidem, ſed facere non potuiſſe? Avertat hoc Deus a cordibus piorum! *Idem Libro I. contra adverſarium Legis & Prophetarum, cap.* 14. *Tomo VIII. novo.*

O tu Omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrum, tanquam ſolum cures, & ſic omnes, tanquam ſingulos! *Idem Libro III. Confeſſionum, cap.* 11.

Quare hoc permiſit Deus? conſilium Dei tibi dicere, o homo, non poſſum Illud tamen dico, quia & inique fecit homo, & non fieret, niſi permitteret Deus. Et quamvis ille inique fecerit, non tamen hoc inique permiſit Deus. *Idem Enarratione in Pſalmum* 61. *propius finem.*

Et infra: Quod voluit, imputatur iniquitati impii; quod permiſſus eſt, imputatur poteſtati Dei. Ille ergo inique voluit, Deus juſte permiſit.

In officina non audet vituperare fabrum: & audet reprehendere in hoc mundo Deum! *Idem Enarratione in Pſalmum* 148, *num.* 12.

Sicut iniqui male utuntur bonis operibus Dei; ſic contra Deus bene utitur malis operibus iniquorum, *Idem Tractatu* 27. *in Joannem.*

Sunt ſtulti, qui dicunt: Non poterat aliter? Quibus dicimus: Poterat Sapientia Dei omnino; ſed ſi aliter faceret, ſimiliter veſtræ ſtultitiæ diſpliceret. *Idem Libro de agone chriſtiano, cap.* 11.

Dominus curam habet tui, ſecurus eſto. Ille pro-

protegit, qui te fecit, . . Nuſquam tibi deeſt. tu illi noli deeſſe. *Idem Enarratione in pſalmum 39, num.* 27.

Sine murmuratione & querela nos Deus noſter eſſe præcepit; quando autem hæc in humano genere non fuerunt? Si æſtas eſt, de caliditate cauſamur: ſi pluvia, de inundatione conquerimur. Si infœcundior annus eſt, accuſamus ſterilitatem: ſi fœcundior, vilitatem. Adipiſci abundantiam cupimus, & eandem adepti accuſamus. Quid dici hac re improbius, quid contumelioſius poteſt? Etiam in hoc de miſericordia Dei querimur, quia tribuit cum rogamus! Salvianus *Libro* 3. *de gubernatione Dei.*

Quidquid citra ſpem videas geri, rebus quidem rectus ordo eſt; opinioni vero tuæ perverſa confuſio. Severinus Boëthius *Libro IV. de Conſolatione Eccleſiæ, proſa* 6.

Ordo quidem cuncta complectitur, ut quod ab aſſignata ordinis ratione diſceſſerit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur. *Idem ibidem.*

Sic intendit omnibus, ut adſit ſingulis: ſic adeſt ſingulis, ut ſimul omnibus nunquam deſit: ſic ſumma regit, ut ima non deſerat: ſic imis præſens eſt, ut a ſuperioribus non recedat. S. Gregorius M. *Libro XVI. Moralium, cap.* 5.

Finio hos Locos exclamatione Theodoreti, *quæ etſi ordine temporis poni ſupra deberet, tamen hic multo melius agmen claudit:* O amorem erga homines ineffabilem! O ſapientiam inenarrabilem! Quis utique divinæ providentiæ bonitatem, potentiam, in dubiis copiam, in difficilibus facilitatem, operum magnitudinem, divitias pro dignitate admiretur! *Sermone* 1. *de Providentia, ad calcem.*

CA-

CAPUT II.

Fontes.

Minutius Felix *in Octavio, præſtantiſſime.*

Lactantius *Libro I. divinarum Inſtitutionum: Libro II: Libro III: Libro de Ira Dei: Libro de Opificio hominis &c.*

S. Athanasius *præſtanti illa oratione contra gentes, quæ eſt numero prior.*

S. Ephræm *in Reprehenſione ſui ipſius, & Confeſſione poſteriore. Tomo I. novo, pag.* 119.

S. Basilius *homilia* 9: *Quod Deus non eſt auctor malorum.* Item *in homiliis Hexæmeron, præſertim* 7. *&* 8. cum de Providentia circa animalia ratiocinatur. Adde 19. *Orationem collectitiam:* Et *homiliam* 5. *in Martyrem Julittam,* de male contentis.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 2. *de Theologia.* Item *Carmine arcano V. & Carmine Jambico* 2.

S. Gregorius Nyssenus *Libro de opificio hominis: Oratione contra Statum: Oratione de infantibus, qui præmatura morte abripiuntur: Dialogo de Anima & Reſurrectione cum ſorore Macrina.*

S. Ambrosius *in Libris Hexäemeron, præſertim V. & VI: Et Libro I. de Officiis, capitibus* 12. 15. 16. Adde locum pulchrum *ex Commentario in Epiſtolam ad Romanos, cap.* 2.

S. Chrysostomus *in Libris III. ad Statyrium a dæmone vexatum, de Providentia Dei.*

Libro ad ſcandalum paſſos.

In Orationibus de fato, & Providentia.

Opuſculo: Quod nemo læditur, niſi a ſeipſo.

homilia: cur non eſt e medio ſublatus diabolus.

homilia: Dæmones non gubernare mundum.

homilia 10. *ad populum.*

homilia 33. *in Geneſin.*

Homilia in pſalmum 134.
Homiliis 13. *&* 23. *in Matthæum.*
Homilia 3. *de Lazaro.*
Homilia 29. *in I. ad Corinthios.*
Homilia 1. *in I. ad Timotheum.*
Homilia 8. *in II. ad Timotheum.*
Homilia 2. *in ad Hebræos.*

Atque etiam in aliis quampluribus locis.

S. Hieronymus *in Hieremiæ caput* 32.

Synesius *in Ægyptio, ſive de Providentia Libris duobus.*

Nemesius *Libro de homine, pereleganter.*

S. Augustinus *Libris duobus de ordine.*
Libro de vera Religione.
Libro contra Adverſarium Legis & Prophetarum, cap. 14. *&* 15.
In Enchiridio, Capitibus 11. 27. 29. *&* 100.
Libro I. de Civitate, cap. 8.
Libro IV. de eadem, cap. 33.
Libro V. de eadem, pluribus capitibus.
Libro VII. de eadem, capitibus 29. *&* 30.
Libro XI. de eadem, cap. 18.
Libro XX. de eadem, cap. 2.
Libris de Geneſi ad literam, præſertim V. & XI.
Libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 31, ubi de Monachis & Eremicolis.
Enarrationibus pluribus in pſalmos; uti in pſalmum 36: *in pſalmum* 48.
Sermone 2. *in pſalmum* 93: *in pſalmum* 148.
Sermonibus item pluribus; uti 301, *alias* 110. *de diverſis.*

S. Paulinus *Poëmate* 19. *de Providentia,* & *Epiſtola* 38, *nunc* 16. *ad Jovium.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtola* 179: *Libro III. epiſtola* 154, *late: Libro V. epiſtola* 282.

S. Eucherius *Parænesi ad Valerianum*, ubi theſis

ſis illa ſingularis, quod nemo poſſit evadere dominium Dei, *præclare.*

S. Chrysologus *Sermone* 101, *fuſe & eleganter*, cur Deus mortem & peccatum non continuo cum ipſo auctore deſtruxerit. *Idem Sermone* 112, *præclare*, quod Deus peccatum originale ſolum permiſerit: & quare?

Basilius Seleuciensis *Oratione* 8. *in Joſephum.*

S. Prosper *Carmine ſuppoſito de Providentia divina: Libro I. de vocatione omnium gentium, cap.* 22. & *Libro II. de eadem vocatione, ſæpius.*

Theodoretus *Orationibus decem de Providentia*: In *Epitome divinorum Decretorum, & Libro VI. de græcanicarum affectionum curatione.*

S. Leo *Sermone* 1. *de Jejunio X. menſis*, facit in eos, quibus Deus nunquam ad ſententiam poteſt agere.

Salvianus *in Libris octo de Providentia & gubernatione Dei, præſertim initio operis.*

Severinus Boëthius *Libro IV. & V. de Conſolatione Philoſophiæ.*

S. Gregorius M. *Libro Moralium VI. cap.* 18, *de conſiliis Dei, quæ conſiliis hominum opponit.* Varia etiam huc habet *Libris V. XVI. & XVIII. eorundem Moralium.*

S. Joannes Damascenus *Libro II. de fide orthodoxa, cap.* 29.

Mitto alia, quod ſecus finem nullum reperirem.

Si quid velis de *Providentia & artificio Dei* in rebus minimis lege *Tertullianum Libro I. adverſus Marcionem, cap.* 14: *S. Hieronymum in Caput* 2. *Joëlis: S. Auguſtinum Libro III. de Geneſi ad literam, cap.* 14: *Epiſtola* 3, *nunc* 137: Item *Libro XI. de Civitate, cap.* 22: & *Enarratione in pſalmum* 148, *ad illud:* Ignis, grando &c. *numero* 10.

TITU-

TITULUS LII.

De *Religioſis*, & Rebus omnibus, quæ ad iſtos propius referuntur.

CAPUT I.

Loci.

Quorum lacrimæ peccati diluvium, & mundi piamentum. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 4.

Nunc certe, ſi pergas in deſertum Ægypti, quovis paradiſo præſtantiorem ſolitudinem invenies, ſexcentos Angelorum choros humana forma, Martyrum populos, cœtus Virginum, ſolutam diaboli tyrannidem totam, Chriſti autem regnum coruſcans. Illam vero, quæ Poëtarum, Philoſophorum & Magorum mater erat, quæ omne præſtigiarum genus invenerat, aliisque tradiderat, illam inquam videbis de piſcatoribus gloriantem, & illa quidem vellera omnia deſpicientem, publicanum vero & tentoriorum artificem ubique circumferentem, ac Crucem præmonſtrantem. Hæc porro non in urbibus tantum, ſed etiam in deſerto magis quam in urbibus. Per totam enim regionem iſtam videre eſt Chriſti exercitum, regiumque gregem, ſupernarumque virtutum vitam. S. Chrysostomus *homilia* 8. *in Matthæum.*

Non ita cœlum ſplendidum eſt vario illo ſtellarum choro, ut Ægypti ſolitudo; quæ undique nobis exhibet tabernacula Monachorum. *Idem ibidem.*

Interpretare vocabulum *Monachi*: hoc eſt nomen tuum. Quid facis in turba, qui ſolus es? S. Hieronymus *Epiſtola* 1, *nunc* 14. *ad Heliodorum:* Et rurſum *Epiſtola* 4, *nunc* 125. *ad Ruſticum:*

Quid

Quid deſideramus urbium frequentiam, qui de ſingularitate cenſemur?

Simpliciter fateor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui eſt teſtis ſuper animam meam, ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores quam qui in monaſteriis profecerunt; ita non ſum expertus pejores quam qui in monaſteriis ceciderunt. S. AUGUSTINUS *Epiſtola* 137. *ad Eccleſiam Hipponenſem num.* 9.

Quales illi (Monachi)! invidi, litigatores, neminem ſuſtinentes, avari: Ille ibi illud fecit, & ille ibi illud fecit. O male! quare taces bonos? quos tolerare non potuiſti jactas, qui te malum toleraverunt taces. *Idem Enarratione in pſalmum* 99, *num.* 12.

Non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere poterant. *Idem Epiſtola* 211, *alias* 109. *ad Monachos.*

Nec erigant cervicem quia ſociantur eis ad quos foris accedere non audebant; ſed ſurſum cor habeant, & terrena bona non quærant; ne incipiant eſſe monaſteria divitibus utilia, non pauperibus, ſi divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. *Idem ibidem.* In eundem fere ſenſum *Libro de opere Monachorum, cap.* 25: Neque enim propterea in chriſtiana militia ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad ſuperbiam extollantur. Nullo modo enim decet, ut in ea vita, ubi fiunt Senatores laborioſi, ibi fiant opifices otioſi: & quo veniunt relictis deliciis ſuis qui fuerant prædiorum Domini, ibi ſint ruſtici delicati.

Ubi ſecuritas, ſi nec in portu? *Idem Enarratione in pſalmum* 99.

In eos, qui dimitti ad ſæculum petunt: Nonne amentiæ genus eſt, ut hoc quiſquam pro remedio expetat, quod etiam a præpoſito niſi pro ſummo crimine

crimine non poſſit inferri? Eusebius Gallicanus *homilia 3. ad Monachos.*

Qui intra muros poſiti vix reſiſtimus, in ſæculo expoſiti quid faciemus? qualiter ſtare poterunt in fluctu, atque in ipſo colluctantium tempeſtatum impetu, qui tam graviter periclitantur in portu? *Idem homilia 5. ad Monachos.*

Quid eis prodeſt quod facultates ſuas abjiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt; cum ſit longe præſtantius voluntatibus propriis abrenuntiare quam rebus? Julianus Pomoerius *Libro II. de Vita contemplativa, cap. 17.*

De illis Religioſis, qui extra Monaſterium evocantur ad curandos alios: Undis erutus ſanus eſt piſcis, non ut ſibi vivat, ſed ut alios paſcat. Vocamur, attrahimur; ſed ut vivamus aliis, moriamur nobis. S. Petrus Damiani *Libro II. epiſtola 17. ad Deſiderium Abbatem, nunc Capite I. Opuſculi XXXVI.*

Non relinquit omnia, qui retinuit ſe ipſum; imo vero nihil prodeſt, ſine ſe ipſo cetera reliquiſſe; quandoquidem nullum aliud onus eſt gravius homini, quam homo ipſe. *Idem Damiani Sermone de S. Benedicto.*

Quod majus miraculum quando tot juvenes, tot adoleſcentes, tos nobiles, univerſi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur ſine vinculis, ſolo Dei timore confixi, quod in tanta perſeverant afflictione pœnitentiæ, ultra virtutem humanam, ſupra naturam, contra conſuetudinem? S. Bernardus *Sermone 1. in Dedicatione Eccleſiæ.*

Quis in principio cum ordo cœpit monaſticus ad tantam crediſſet inertiam Monachos devenire? O quantum diſtamus ab iis qui in diebus Antonii extiterunt monachi! . . . . Sic Macarius vixit? Sic Baſilius docuit? Sic Antonius inſtituit? *Idem in Apologia ad Guilielmum Abbatem, capitis 9. initio & fine.*

Pleri-

Plerique in domo Dei non patiuntur in contemptu haberi qui in ſua domo non niſi contemptibiles eſſe poterant; ut quia videlicet ubi a pluribus honores appetuntur, ibi locum habere non meruerunt, ſaltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. *Idem Sermone* 1. *ſuper Miſſus eſt.*

Nuſquam eſt ſecuritas, Fratres! neque in cœlo, neque in paradiſo, multo minus in mundo. In cœlo enim cecidit Angelus ſub præſentia Divinitatis, Adam in paradiſo de loco voluptatis, Judas in mundo de ſchola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis ſibi de loco iſto blandiatur, quia dicitur: *Locus iſte ſanctus eſt;* quia non locus homines, ſed homines locum ſanctificant. *Idem ſermone* 30. *de diverſis: De ligno, fœno & ſtipula.*

Siccine ergo non inveniebatur nobis via, ut ita dicam, tolerabilior ad infernum? Si ita neceſſe erat, ut illo deſcenderemus; cur ſaltem illam, qua multi incedunt, viam, ſcilicet latam, quæ ducit ad mortem, non elegimus? quatenus vel de gaudio & non de luctu ad luctum tranſiremus? *Idem in Apologia ſupra laudata, initio. Idem Epiſtola* 385. *ad Monachos S. Bertini ſimilia habet.*

Subſannant & detrahunt nonnulli ſæcularium irriſorum; quamvis frequentius & mordacius plerique etiam monachorum, qui cum manus non exerant ad bonum, quod viderunt, imitandum: ſaltem dentes exacuunt ad illud procaciter blaſphemandum. Philippus, *Abbas bonæ Spei. Tractatu IV. de Inſtitutione Clericorum, ubi de Continentia, cap.* 125.

Religioſus indevotus juxta panem moritur fame, juxta fontem moritur ſiti, juxta ignem moritur frigore. S. Bonaventura *in diæta ſalutis, cap.* 20. *de Religione.*

Utinam mundus hos ſibi ſervaſſet! ut quid enim mona-

monaſteria incolunt? ut quid terram ſanctam colunt? quare eleemoſynas juſtorum devorant? quare angelica ſpiritualis exercitii gymnaſia deliciis carnalibus contaminant? Si ſordeſcere volebant, in loco ſordium permanere, non ad loca pietatis tranſire debuerunt. Simplicem gehennam in ſæculo male viventes ſibi comparaſſent; duplicis gehennæ ſupplicium in monaſteriis negligenter viventes ſe reos faciunt. Ludovicus Blosius, haud immerito Sanctis Patribus ſubjungendus, *in Speculo Monachorum, Diviſione 2. de malis monachis.*

CAPUT II.

Fontes.

Dionysius Areopagita *creditus, Libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 6.*

Origenes *homilia* 3. *in Exodum* præclare facit in eos, qui piis Monachis ſolent otium objicere.

S. Cyprianus *Libro de unitate Eccleſiæ pulchre fuſeque* oſtendit, eſſe gratulandum ceteris, quando mali ſeceſſionem ab ipſis faciunt, per accommodationem ad Apoſtatas &c. ſacrum ordinem deferentes. *Idem creditus, in fine Prologi de cardinalibus Chriſti operibus,* de avaritia quorundam Religioſorum.

S. Athanasius *in vita S. Antonii Abbatis* pulcherrime deſcribit vitam eorum, qui ſub diſciplina illius Statum monaſticum fuerant amplexi.

S. Ephræm innumera habet, quæ mirifice pro hoc Titulo faciunt, omnibus *tribus Tomis Græcolatinis.* Notanda ſunt ſpeciatim, quæ *Tomo III. habet ad fratrem, qui excidit: Tomo I. in Patres defunctos, & Sermone aſcetico, abſque alia inſcriptione, pag.* 40. ubi remiſſionem monachorum jam ſua ætate deplorat: *Tomo II. Parœneſi* 48. *ad Monachum Acediæ deditum, qui dicebat: Monachatum dimitto, & ad ſeculum revertor: Parœneſi* 50. *de differentia vitæ monaſti-*

naſticæ, & vitæ ſecularis: Paræneſi 41. *de his, qui propria excidunt negligentia, excuſationesque in peccatis prætexunt* &c. &c.

S. Basilius *in Conſtitutionibus monaſticis.* Placet ſummopere *cap.* 19. de ſtatus hujus dignitate, & utilitate: ac *cap.* 22. in eos, qui hunc ſtatum propter malos quosdam deſerere volunt.

Adde: *Sermonem de Abdicatione rerum.*

Sermonem de cultu, ſive exercitatione monaſtica.

Sermones duos de inſtitutione Monachorum.

Epiſtolam 2, *alias* 1. *ad Gregorium.*

Epiſtolam 42. *ad Chilonem anachoretam, de vita eremitica*, olim 1. aut etiam ſeorſim inter Opuſcula reponi ſolitam.

Epiſtola 44, *alias* 3. *ad Monachum lapſum*, & 46, alias 5. *ad Virginem lapſam.*

Et præſertim Regulas breviores, & fuſius diſputatas.

S. Gregorius Nazianzenus *Carminibus* 46. 47. 59. quæ ſunt omnia de Monachis.

Adde: *Epiſtolam ad Glycerium Apoſtatam, numero* 207.

Apologiam de fuga ſua, ſeu Orationem primam.

Orationem 21, ubi de claſſibus diverſis Religioſorum.

S. Ambrosius *Epiſtola* 82, *vel* 25, *nunc* 63. *ad Vercellenſem Eccleſiam V.*

S. Chrysostomus præter *homiliam* 8. *in Matthæum, jam laudatam*

in Comparatione legis & monachi.

Libris tribus adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ.

Homilia 17. *ad populum.*

Homilia 69. *in pſalmum* 43. *ad verba*: Propter te mortificamur tota die.

Homiliis 69. 70. & 73. *in Matthæum.*

Homilia 14. *in I. ad Timotheum, fuſiſſime.*

Paræneſi utraque ad Theodorum lapſum, pro Apoſtatis &c. &c.

S. Hieronymus *Epiſtola laudata ad Heliodorum.*

Epiſtola laudata ad Ruſticum.

Epiſtola 8, *nunc* 130. *ad Demetriadem.*

Epiſtola 22. *ad Euſtochium.*

In Pſalmum 132, ubi ſpeciatim de unitate & fraterno amore Monachorum.

S, Augustinus *Libro de opere Monachorum* multa de malis monachis. Nota *caput* 28.

Libro de moribus Eccleſiæ catholicæ, cap. 31.

Enarratione in Pſalmum 99, ne propter paucu-los malos vituperentur omnes.

Enarratione in pſalmum 132: Ecce, quam bonum, & quam jucundum.

Sermone 355, *alias* 49. *de diverſis.*

Bachiarius *ad Januarium de Apoſtaſia.*

S. Cassianus *Libris XII. de Inſtitutis renuntiantium, ſeu Monachorum Ægypti*, & *in Collationibus Patrum*, Nota *caput* 4. *Collationis XVIII.* de Sarabaitis.

S. Eucherius *in Paræneſi ad Valerianum*, & magis etiam *de laude Eremi.*

Theodoretus *in Philotheo.*

S. Nilus Scriptis complùribus, imo plerisque ſuorum Operum.

S. Diadochus *Capitibus centum de Perfectione ſpirituali.*

Salvianus *Libro* 8. *de gubernatione Dei*, *ſub finem,* contra odium, contemptumque Monachorum ſua ætate. *Idem Libro* 5, *ſub finem,* præclare invehitur in monachos malos. *Libro* 2, *ad Eccleſiam catholicam, circa medium,* plus ab iis exigere Deum, quam ab hominibus ſæcularibus. Denique *Libro* 3. *ad Eccleſiam Catholicam* vehementer exagitat eos, qui liberis ſuis religioſis minorem dant hæreditatis portionem, quam degentibus in ſæculo.

Ad-

Adjice iſtis *homilias ad Monachos*, quæ Eusebii Gallicani nomen gerunt, & forte Salviani atque Eucherii ſunt. Nota in *homilia* 5. præſtantem locum, de beneficio vocationis hujus.

Julianus Pomoerius *in Libris de vita contemplativa.*

S. Joannes Climacus *in Scala Paradiſi, & Libro ad Paſtorem religioſum.*

S. Dorotheus *in Doctrinis ſuis.*

S. Theodorus Studita *in Catecheſibus ſuis ad Monachos*, ubi ſunt varia, & ſingularia. *Catecheſi* 10. Monachos Martyribus æquiparat.

S. Petrus Damiani *Opuſculis compluribus.*

Hildebertus Cenomanensis *Sermonibus pluribus ad Monachos.*

S. Bernardus *in Apologia ad Guilielmum Abbatem*, ubi ſunt ſingularia de remiſſione, de deliciis, de Luxu, & præſertim de æmulationibus Monachorum.

Adde: *Declamationes in illud*: Ecce, nos reliquimus omnia.

De Converſione ad Clericos.

Epiſtolam 1. *ad Robertum, Nepotem.*

Epiſtolam 2. *ad Fulconem.*

Epiſtolam 292. *ad quemdam ſæcularem*, *atque alias quam plurimas.*

Sermonibus de Tempore, de Sanctis, de diverſis, ſæpiſſime; & *Sermonibus in Cantica iterum.*

Petrus Cluniacensis *Libro IV. Epiſtola* 2.

Guilielmus, *Abbas S. Theodorici, ad Fratres de monte Dei de vita ſolitaria.*

Guerricus Abbas *in pluribus Sermonum ſuorum.*

Petrus Cellensis *Epiſtolis pluribus:* Et *Libro de diſciplina clauſtrali ad Henricum, Campaniæ Comitem.*

Joannes Saresberiensis *Libro VII. Policratici,* quorumdam Monachorum avaritiam perſtringit.

Lucas Tudensis *Libro II. contra Albigenſes* in Monachos vagos, *pulcherrime*.

Mitto Tractatus diverſos Raymundi Jordani, S. Bonaventuræ, S. Laurentii Justiniani, Dionysii Carthusiani, Joannis Trithemii, Ludovici Blosii, Justi Landspergii &c. &c.

Patrum Opuſcula præcipua, quæ quidem pro Monachis ſcripſere, collecta ſunt a Claudio Chantelou, Maurino, in *Bibliotheca aſcetica Pariſiis* 1661. emiſſa.

Qui vitas SS. Monachorum cupit legere, ſimul omnes reperiet in *Vitis Patrum*, ab Heriberto Rosweido noſtro cura & judicio ſingulari in lucem datis *Antwerpiæ* 1615.

Accedunt infinita alia, ſi quis etiam ſubjicere velit *Codicem Regularum* Lucæ Holſtenii, ubi omnium Fundatorum Inſtitutiones, Regulæ & Decreta continentur.

Denique conſuli poſſunt Tituli: *Fervor. Tepor. Moniales. Vota*, & iſtis ſimiles.

TITULUS LIII.

De *Reſpectu* humano, & Verecundia in ſtudio Virtutis.

CAPUT I.

Loci.

Chriſtus in præceptis ſuis dicit: *Qui confuſus me fuerit, confundet eum filius hominis.* Et chriſtianum ſe putat, qui chriſtianus eſſe aut confunditur, aut veretur? Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit, aut metuit? S. Cyprianus *Libro de lapſis, verſus finem.*

Nihil ad nos attinet, quid judicent ſtulti, quid homunculi ſentiant: nos judicium Dei expectare debe-

debemus. ut eos poſtmodum, qui de nobis judicaverint, judicemus. Lactantius *Epitomes cap.* I.

Uſque adeo in vitiis magnanimi ſumus! S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* I. *apologetica.*

Et horrendum quidem, tremendumque eſt id quod jam dicturus ſum; ſed neceſſario dicendum, ut ſic mentem noſtram concutiat, & exagitet, oſtendens nos multo magis homines quam Deum timere, & multo magis homines quam Deum honorare. Perpende namque! qui adulterium admittit, Deum ſe videre novit, illumque deſpicit; ſi autem homo ſe viderit, concupiſcentiam cohibet. Ille vero non modo hominem Deo præfert, non modo Deum contumelia afficit; ſed quod longe gravius eſt, homines timet, Deum contemnit. S. Chrysostomus *homilia* I. *in ad Philemonem.*

Rurſus alius qui furatur novit ſe aliena rapere & homines fallere conatur, apud accuſatores ſeſe purgat, ac defenſioni ſuæ probabilitatis ſpeciem dat; cum vero id Deo perſuadere nequeat, nihil curat, non veretur illum, neque honorat. Si vero rex imperet ab alienis pecuniis abſtinere, noſtras potius in donum omnes afferemus; cum vero Deus jubeat non rapere, neque aliena colligere, non paremus. Viden' ut nos Deo homines anteferamus? Grave dictu eſt, & moleſtum; ſed oſtendite quam moleſtum ſit, ab ipſo opere fugite. Quod ſi opus illud non timetis, quomodo vobis credam dicentibus: verba hujusmodi metuimus, nosque aggravas? Imo ipſi vos opere aggravatis, & nihil curatis. Atque ſi verbis dicam, quæ vos opere facitis, indignamini. Id vero quomodo non abſurdum fuerit? Utinam mendacium eſſent illa quæ nunc dico! Mallem ego in illa die mihi dicam impingi, quod vos temere & fruſtra criminatus ſim, quam vos videre his de rebus accuſatos. Non modo autem homines Deo præfertis; ſed etiam alios id fa-

cere cogitis. Plurimi plurimos ſervos, etiamque filios coëgerunt; alii ad nuptias traxerunt invitos, alii ad miniſteria turpiſſima, & ad amorem execrandum, rapinas, violentos actus, ita ut duplex ſit crimen, ut non jam ex neceſſitate poſſit illis venia concedi. Nam etſi invitus mala operaris, & ex principis juſſu, hæc ſane non idonea eſt excuſatio; imo gravius fit peccatum cum cogas illos in eadem incidere. Quæ enim hujusmodi homini ſperanda venia eſt? Hæc dixi non vos condemnare volens, ſed ut oſtenderem quantum Deo debitores ſimus. Nam ſi cum hominem pari honore proſequimur, atque Deum: Deo contumeliam facimus: multo magis cum homines ipſi præferimus. *Idem ibidem.*

At hæc facio, inquies, ne me rideat, ne contemnat. Miſer homo & ærumnoſe! Non vis deſpici a conſervo, ſed odio haberi a Domino tuo? non vis deſpici a conſervo, ſed Dominum deſpicis? *Idem homilia* 41. *in Acta, num.* 5.

Quid damni accipit, ſi homines contemnant, & univerſus orbis terrarum; quando Dominus Angelorum eum laudat & prædicat? Quemadmodum ſi ipſe non benedicat, etſi omnes laudent, qui terram & mare habitant, ei nihil prodeſt. Hoc ergo omni ratione curemus, ut ipſe nos prædicet, ipſe nos coronet. Quod ſi fiat, ſumus omnibus excelſiores. *Idem homilia in pſalmum* 5, *verſus finem.*

Illum non puduit, tua cauſa crucifigi: & te pudet, ejus inenarrabilem profiteri diſpenſationem? *Idem Commentario in Epiſtolam ad Galatas, cap.* 6.

Scio quoſdam eſſe, qui nos irridebunt. At melius eſt, nos nunc irrideri, quam tunc uri. Ridebunt autem inſani. Quis enim quæſo ſanæ mentis de ſervato præcepto ridebit? Quod ſi irrideant; non nos, ſed Chriſtum irridebunt. Inhorruiſti ad tale dictum, hoc bene novi. Si ego hanc legem indu-

induxiſſem, me riſus ille ſpectaret; ſi autem alius legislator eſt, ad illum tranſit irriſio. *Idem homilia* 8. *in acta, poſt medium.*

An ergo laudes hominum, qui ſic affecti ſunt, requiris: & non te ipſum defodis? Si enim omnes ejusmodi homines laudarent, an non oporteret erubeſcere, & pudore ſuffundi plaudentibus hominibus, quorum judicia ita corrupta ſunt? *Idem homilia* 12. *in I. ad Corinthios, num.* 5.

Maluit inimicitias hominum ſubire perpetuas, quam Dei offenſam amicitiis noxiis provocare. S. Hieronymus *Epiſtola* 27, *nunc* 108. *ad Euſtochium, num.* 25.

Illi tantum placere ſtude, cui ſæpe diſplicet, quod hominibus placet: & qui ipſa hominum judicia judicaturus eſt. *Creditus* Hieronymus *Epiſtola ad Demetriadem, poſt medium. Eſt in appendice.*

Ne confitearis humilem, times ſuperbos, & ei præponis ſuperbos, qui pro te diſplicuit ſuperbis! S. Augustinus *fragmento* 11. *de S. Paulo, Tomo X. antiquo*; neſcio enim quo ſit repoſitum in novo.

Quid times fronti tuæ, quam ſigno crucis armaſti? * *Idem Sermone* 1. *in pſalmum* 68.

Sunt multi, quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis inſania! De vulnere ipſo non erubeſcis, de ligatura vulneris erubeſcis. Nonne nudum fœdius & putidius eſt. *Idem Enarratione in pſalmum* 50, *num.* 8.

Sed irrideant nos fortes & potentes, nos autem infirmi & inopes confiteamur tibi. *Idem Libro IV. Confeſſionum, cap.* 1.

Erubeſcunt negare Chriſtum, & non erubeſcunt negare verba Chriſti. *Idem Sermone* 48.

Beata eſſet noſtra conditio, ſi æque Deo, ut hominibus, vel diſplicere timeremus, vel curaremus

 place-

* Ideo enim in hac veluti ſede pudoris figitur juxta eundem *Concione* 3. *in pſalmum* 30. *& alibi.*

placere: ſi tantum præcepta Chriſti, quantum populi ſibila vereremur: & ſi tanti laus, quæ ex Deo eſt, quanti iſte de vulgo plauſus emeretur. S. Paulinus *Epiſtola ad Alethium, nunc & olim* 33.

Mundo placere non potes, niſi Chriſto malueris diſplicere. *Si enim,* inquit, *hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Diſpliceamus ergo his, & gratulemur, iisdem non diſplicere, quibus & Deus non placet. Non enim noſtrum, ſed omnipotentis Dei opus in nobis laceſſunt, quem in ſuis actibus ſpernunt, in noſtris operibus oderunt. *Idem Epiſtola* 1, *alias* 6. *ad Severum.*

Fruantur interim voluptatibus, dignitatibus, opibus ſuis, ſi tamen veræ ſunt, quas iſtic habere malunt, ubi eſſe deſinimus, quam illic, ubi eſſe perſiſtimus. Si habent ſapientiam, ſibi felicitatem ſuam; nobis inopiam noſtram, &, ut putant, ſtultitiam relinquant. *Idem ibidem.*

Nemo aliorum ſenſu miſer eſt ſed ſuo: & ideo non poſſunt cujusquam falſo judicio eſſe miſeri, qui ſunt vere ſua conſcientia beati. Salvianus *Libro I. de Gubernatione Dei.*

Jam vero illud quale quam ſanctum, quod ſi quis ex nobilibus converti ad Deum cœperit, ſtatim honorem nobilitatis amittit. Et quantus in chriſtiano populo honor Chriſti eſt, ubi religio ignobilem facit. Statim enim ut quis melior eſſe tentaverit, deterioris abjectione calcatur, ac per hoc omnes quodammodo mali eſſe coguntur ne viles habeantur. *Idem Libro* 4. *de eadem Gubernatione.*

Non timeas eos, non expaveſcas. Erige animum & vim ſanctæ auctoritatis aſſume. Si enim illi tantopere adnituntur, ut pereas, cur non majore tu animo adnitaris ut vivas? Confortare ergo & conſtanti animo tibi conſule! Satis infidelis ac ſatis eſt ſtultus, qui mavult præſtare aliis ut ſit miſer, quam

quam ſibi ut ſit beatus. *Idem Libro* 3. *ad Eccleſiam Catholicam.*

Non quam multis placeas, ſed quibus ſtude. S. Martinus Bracarensis *in Sententiis de Moribus.*

Maximum in eo vitium eſt qui non melioribus vult placere ſed pluribus. *Idem ibidem.*

Quid rogo iſte faceret in dolore pœnarum, qui Chriſtum erubuit inter flagella verborum. S. Gregorius M. *Libro XXIX. Moralium, cap.* 7.

In his ad conſcientiam redeo, ad mentis meæ ſecreta recurro; certus, quia niſi pro amore Chriſti, cujus ego malus ſervus ſum, nullius mortalis hominis gratiam quæro, nullius iracundiam pertimeſco. S. Petrus Damiani *Epiſtola* 4. *ad Leonem IX. Papam.*

Contendamus placere omnibus per omnia, ſed ei maxime, qui eſt maximus ſuper omnia. S. Bernardus *Sermone* 15. *in pſalmum* 90: Qui habitat, *initio.*

Qualis putas pudor eſt, erubeſcere paupertatem, erubeſcere humilitatem? Illud non pudet eos erubeſcere, ad quod docendum non puduit cœleſtem magiſtrum de cœlo deſcendere! Richardus a S. Victore *Libro de Benjamin juniore, cap.* 46.

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Libro de laude Martyrii* ſuſpicit in Martyribus conſtantiam ad jacula verborum.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 27, *ſub medium*, generoſe.

S. Chrysostomus *Libro de Virginitate, a cap.* 20. quantum ſannæ officiant probitati.

Homilia 23. *in Geneſin.*

Homilia in Pſalmum 5. *ad verba:* Quoniam tu benedices juſto.

Homilia in Pſalmum 49. contra irriſores bonorum.

Homilia 3. *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum, *poſt initium.*

Homilia 75. *in Joannem, in fine.*

Homilia 46. *in Acta.*

Homilia 12. *in I. ad Corinthios,* ubi ſane excellit.

Homilia 5. *in II. ad Corinthios.*

S. HIERONYMUS *Epiſtola* 2, *nunc* 52. *ad Nepotianum.*

Epiſtola 23, *nunc* 38. *ad Marcellam.*

Epiſtola 26, *nunc* 66. *ad Pammachium, ante medium.*

Epiſtola 30, *nunc* 77. *ad Oceanum, de morte Fabiolæ.*

Epiſtola 99, *nunc* 45. *ad Aſellam.*

S. AUGUSTINUS *Libro VI. de Civitate, cap.* 10, *præclare.*

Libro II. adverſus Julianum, Pelagianum, cap. 5. ubi ſuaviſſime hortatur ad ponendum hunc reſpectum.

Concione 1. *in Pſalmum* 32. ſimili quam maxime populari utitur.

Enarratione 4. *in Pſalmum* 30.

Sermone 88, *alias* 18. *de verbis Domini.*

SIXTUS III. *creditus, Libro de Divitiis, poſt medium, præclare.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro IV. Epiſtola* 60. de ſannis impiorum: Et *Libro V. Epiſtola* 336, ubi fortiter contemnit judicia vulgi.

S CHRYSOLOGUS *Sermone* 127. *egregie.*

SALVIANUS *Libro* 4. *ſupra laudato.*

S. BERNARDUS *Epiſtola* 185. *ad Euſtachium.*

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *in Ligno vitæ, Libro I. cap.* 2.

Nec omitte Titulos: *Judicium temerarium. Detractio. Timor* &c.

TITU-

TITULUS LIV.

De *Sacerdotio.*

CAPUT I.

Loci.

Sacerdotium eſt omnium bonorum, quæ in hominibus ſunt, apex; adverſus quos qui furit, non hominem ignominia afficit, ſed Deum. S. Ignatius, *Martyr*, *Epiſtola* 5. *ad Smirnenſes*, *num.* 9.

Pro ſcelus! Semel Judæi Chriſto manus intulerunt; iſti quotidie corpus ejus laceſſunt. O manus præcidendæ! viderint jam, an per ſimilitudinem dictum ſit: *Si te manus tua ſcandalizat, amputa eam.* Quæ magis amputandæ, quam in quibus Domini corpus ſcandalizatur! Tertullianus *Libro de Idololatria*, *cap.* 7.

Quid dicam, aut quid laudibus efferam? Excedit quippe orationem atque intellectum, omnemque cogitationem donum dignitatis ſacerdotalis. S. Ephræm *Sermone de Sacerdotio. Eſt initio Tomi III. novi.*

Cum pleriſque nihilo meliores ſint, atque utinam non etiam multo pejores illotis, ut dici ſolet, manibus, profaniſque animis in ſanctiſſima myſteria ſeſe inferunt; ac priusquam digni ſint qui ad res ſacras accedant, ſacrarium ipſum ambiunt, & circum ſacram menſam ſeſe invicem premunt, atque protrudunt, tanquam non virtutis exemplum, ſed victus parandi occaſionem, & ſubſidium hunc ordinem eſſe judicantes. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 1.

Cum nec medici, nec pictoris nomen quiſquam obtineat, niſi prius morborum naturas conſideravit, aut multos colores miſcuerit, variasque formas

mas penicillo expreſſerit: antiſtes contra facile invenitur, non elaboratus ſed recens quantum ad dignitatem: ſimul ſatus & editus, quemadmodum Poëtæ Gigantes finxerunt. Uno die ſanctos fingimus, eosque ſapientes, & eruditos eſſe jubemus, qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quidquam prius contulerunt præter velle. *Idem Oratione* 20.

Cum nihil prius ad Sacerdotium attulerint, nullas ærumnas virtutis cauſa pertulerint, diſcipuli ſimul, magiſtrique pietatis creantur, aliosque ante purgant quam ipſi purgati fuerint, heri ſacrilegi, hodie ſacerdotes. *Idem Oratione* 21.

Sacerdotium Principatus eſt ipſo etiam regno venerabilius, ac majus. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque veſtes aureas. Umbræ ſunt iſthæc omnia, vernisque floſculis leviora. *Omnis* enim, inquit, *hominis gloria* ſicut flos fœni, etiamſi ipſam gloriam regalem dixeris. Ne inquam mihi narres iſta; ſed ſi vis videre diſcrimen, quantum ſit regem inter & ſacerdotem, expende modum poteſtatis utrique traditæ: videbis ſacerdotem multo ſublimius rege ſedentem. Quamquam enim nobis venerandum videtur ſolium regium ob gemmas ei affixas, & aurum quo cinctum eſt: tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus Rex eſt, nec ultra poteſtatem hanc quidquam habet auctoritatis. Verum ſacerdotii ſolium in cœlis collocatum eſt, & cœleſtia adminiſtrandi habet auctoritatem. Quis hoc dicit? Ipſe cœlorum Rex: *Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Quid cum hoc honore conferri poſſit? a terra judicandi principalem auctoritatem ſumit cœlum! nam Judex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum, & quidquid hic in inferioribus judicavit, hoc ille in ſuper-

ſupernis comprobat. Itaque medius ſtat Sacerdos inter Deum, & naturam humanam: illinc venientia beneficia ad nos deferens, & noſtras petitiones illuc proferens, Dominum iratum reconcilians utrique naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Idcirco Deus ipſum regale caput Sacerdotii manibus ſubjecit, nos docens hunc principem eſſe illo majorem; ſiquidem id quod minus eſt benedictionem accipit ab eo quod præſtantius eſt. S. CHRYSOSTOMUS *Sermone* 5., *de verbis Eſaiæ;* Vidi Dominum.

Qui terram incolunt, in eaque commorantur, ad ea, quæ in cœlis ſunt diſpenſanda commiſſi ſunt, poteſtatemque acceperunt quam neque Angelis neque Archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum eſt: *Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælo.* Habent quidem ii qui in terra imperant poteſtatem ligandi, verum corpora ſolum; hoc autem vinculum ipſam attingit animam, cœloſque tranſcendit, ac quæcunque inferne ſacerdotes faciunt, eadem Deus ſuperne confirmat, ſervorumque ſententiam ipſe Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit quam omnem cœleſtium poteſtatem! *Nam quorum remiſeritis peccata, remittuntur; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quæ major hac poteſtas fuerit? Omne judicium dedit Pater Filio: videoque omne ipſis traditum a Filio eſſe. *Idem Libro* 3. *de Sacerdotio, num.* 5.

Non amplius poſſumus increpare eos, qui a nobis reguntur, cum ipſi quoque eadem febre teneamur: & ipſi egemus medicina, quos Deus poſuit, ut aliis mederemur. Quænam autem jam reſtat ſpes ſalutis, cum ii ipſi qui medentur, aliorum manu indigent? *Idem homilia* 10. *in ad Epheſios, numero* 3.

Propter bonos ſacerdotes etiam malos honorate, ne propter malos etiam bonos contemnatis. Melius

lius eſt enim malis juſta præſtare, quam bonis juſta ſubtrahere. Auctor *operis imperfecti in Matthæum, homilia* 43.

Grandis dignitas Sacerdotum! ſed grandis ruina eorum, ſi peccent. Lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudii excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimioribus corruiſſe. S. Hieronymus *in Caput* 44. *Ezechielis.*

Obſecro te, & repetens iterum, iterumque monebo, ne officium Clericatus genus antiquæ militiæ eſſe putes; id eſt ne lucra ſæculi in Chriſti quæras militia: ne plus habeas quam quando Clericus eſſe cœpiſti, & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim ſunt ditiores monachi, quam fuerant ſeculares: & Clerici, qui poſſideant opes ſub Chriſto paupere quas ſub locuplete & fallace diabolo non habuerant; ut ſuſpiret eos Eccleſia divites quos mundus tenuit ante mendicos. *Idem Epiſtola* 2, *nunc* 52. *ad Nepotianum.*

Sunt qui presbyterium ambiunt, quibus cura eſt de veſtibus ſi bene oleant, ſi pes laxa pelle non ſordeat. Crines calamiſtri veſtigio rotantur, digiti de annulis radiant, & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cum videris ſponſos magis exiſtimato quam Clericos. *Idem Epiſtola* 22. *ad Euſtochium.*

In te omnium oculi diriguntur. Domus tua & converſatio tua quaſi in ſpecula conſtituta magiſtra eſt publicæ diſciplinæ. Quidquid feceris id ſibi omnes faciendum putant. Cave ne committas quod aut qui reprehendere volunt digne laceraſſe videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere. *Idem Epiſtola* 3. *nunc* 60. *ad Heliodorum.*

Tantum inter ſacerdotem & quemlibet probum virum intereſſe debet, quantum inter cœlum ac terram diſcriminis eſt. S. Isidorus Pelusiota *Libro II. epiſtola* 205.

Diſpen-

Diſpenſator divini Verbi & cœleſtis doctrinæ prorogator qui ante Dominum ſtat jugiter, verſatur inter altaria ſemper, neque a Dei oculis recedit unquam, qui peccatorum cauſas, dolores populi ſuſcipit, offert, ingerit preces: accipit, refert, reſtituit impetrata: ex homine totus in Angelum ſubſtitutus non poteſt niſi in ipſa Dei facie inter ſanctorum ſancta peccare; ut inde ſibi ſumat crimen, unde aliis veniam conſueverat reportare. S. Chrysologus *Sermone* 26.

Impudenter ſe affluunt Virginibus ſacris ac Viduis, quibus tanto inglutinantur affectu, ut facilius ab Eccleſiæ (quod dictu quoque nefas eſt) quam ab eorum communione diſcedant. Julianus Pomoerius *Libro II. de vita contemplativa, cap.* 4.

Nemo amplius in Eccleſia nocet, quam qui perverſe agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplum cauſa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. S. Gregorius M. *Parte I. Paſtoralis curæ, cap.* 2.

Repente docent, quæ non opere, ſed meditatione didicerunt: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. *Idem eod. opere & capite.*

Quondam aurei Sacerdotes calicibus ligneis utebantur; nunc lignei Sacerdotes calicibus aureis utuntur. S. Bonifacii Moguntini *notiſſimum & familiare effatum.*

Nunquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere ſacrificium, cum ira & diſceptatione contingere Sacramentum, in quo Deus indubitanter eſt, mundum reconcilians ſibi. Certe non reſpicitur munus quodcunque meum, quod offero ad altare, niſi ante placato fratre, quem me forte læſiſſe meminero; quanto minus, ſi me ipſum non placavero prius?

prius? S. Bernardus *Librò de Præcepto & Diſpenſatione.*

Inter ſæculares nugæ nugæ ſunt; in ore Sacerdotis blaſphemiæ. *Idem Libro II. de Conſideratione, cap.* 13.

Timeant Clerici, timeant miniſtri Eccleſiæ, qui in terris Sanctorum, quas poſſident, tam iniqua gerunt, ut ſtipendiis, quæ ſuſtinere debeant, minime contenti ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impie ſacrilegeque ſibi retineant, & in uſus ſuæ ſuperbiæ, atque luxuriæ victum pauperum conſumere non verentur; duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur. *Idem Epiſtola* 2. *ad Fulconem.*

Puritatis auctori impuro corde & corpore miniſtrantes non verentur ſtare angelum Domini, qui ſecet medios, & diſperdat; ſed omnino audent agni immaculati ſacras attingere carnes, & intingere in ſanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes, pro dolor! meretricias attrectarunt. Sic altaria circuire! ſic frequenter pſallere! cum & ejusmodi laus execrabilis, & oratio ſit in peccatum. *Idem in Declamationibus ad Clericos, propius initium.*

CAPUT II.

Fontes.

Creditus Dionysius Areopagita *Libro de Eccleſiaſtica Hierarchia.*

Philo Hebræus *Libro de Sacerdotum præmiis & honoribus.*

S. Cyprianus *Epiſtola* 65, de honore etiam malis Sacerdotibus exhibendo.

Eusebius Cæsariensis *Libro* I. *Demonſtrationis Evangelicæ, cap.* 9, de matrimonio noſtris Epiſcopis & Sacerdotibus interdicto, *eleganter.*

S. Eph-

S. Ephræm *Sermone de Sacerdotio, Tomo III. novo, initio, præclare.*

S. Basilius M. *Libro II. de Baptiſmo.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 1, *ſeu Apologia de fuga ſua, & Carmine de Epiſcopis.* Item *Orationibus* 20. *&* 21. *jam citatis:* ac *Oratione* 29, *initio.*

S. Ambrosius *creditus, Libello de dignitate Sacerdotali.* Et *Epiſtola nunc* 28, *alias* 6. *&* 20. *ad Irenæum.*

S. Chrysostomus *Libris ſex aureis de Sacerdotio,* præſertim de poteſtate ſolvendi *Libro III.* De quo Petavius *Libro I. de Pœnitentia, Cap.* 8. §. 6. ait: eum ibi *hac de re eloquentia plane divina agere.*

Adde: *Homiliam in Pſalmum* 117.

Homiliam in Pſalmum 119.

Homiliam in Pſalmum 131.

Homilias 4. *&* 5. *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum.

Homiliam 85. *in Joannem, ad finem.*

Homiliam 3. *in Acta.*

Homiliam 2. *in illud:* Salutate Priſcillam & Aquilam. *Tomo III. Montfauconi.*

Homiliam 14. *in II. ad Corinthios.*

Homiliam 9. *in ad Philippenſes,* ubi nota, quæ de opibus Clericorum.

Homilia 10. *in I. ad Theſſalonicenſes.*

Homiliam 2. *in II. ad Timotheum.*

Homiliam ultimam in ad Hebræos.

S. Hieronymus *Epiſtola* 64. *ad Fabiolam, de veſtibus ſacerdotalibus.* Fuit olim 128.

Opuſculo, ſeu Epiſtola de ſeptem Ordinibus Eccleſiæ, ſeu gradibus Eccleſiaſticis; Tomo ultimo novo, pag. 114. quod eſt dignum lectu.

Epiſtola laudata ad Nepotianum.

Epiſtola laudata ad Heliodorum.

Epiſtola 83, *nunc* 69. *ad Oceanum.*

Adde ex eodem *Epiſtolam* 1, *nunc* 14. *ad Heliodorum*, qua cautione obloquendum Sacerdotibus.

SEVERUS SULPITIUS *Libro I. Hiſtoriæ ſacræ*, ubi de Levitis in avaritiam Sacerdotum *præclare*.

S. AUGUSTINUS *Epiſtola* 148, *nunc* 21. *ad Valerium Epiſcopum*: Et *Libro XX. de Civitate Dei*, *cap.* 10. Item *præclare Sermone* 351, *alias ultima ex homiliis* 50, contra eos, qui ex vitiis Sacerdotum auctoritatem vitiis ſuis accerſunt. Idem habet *Sermones duos de vita & moribus Clericorum*, 355. & 356, *alias* 49. & 50. *de diverſis*.

S. PAULINUS *Epiſtola* 1, *alias* 6. *ad Severum*, de majeſtate Sacerdotii.

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro I. Epiſtola* 52, *de bonis Clericorum*.

Libro II. Epiſtola 250. *vehementiſſime* in abuſus, ſcandala, & ſacrilegia malorum Sacerdotum.

Libro V. Epiſtola 12, de impudicitia Sacerdotum.

Libro V. Epiſtola 21, rurſum de bonis Clericorum.

Libro V. Epiſtola 278, de contemptu Sacerdotii.

Libro V. Epiſtola ultima, in ſceleſtum Sacerdotem.

Et paſſim quam plurimis aliis, *ad Zoſimum præſertim & ejus contribules* perſcriptis.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *De recta fide ad Reginas*, fuſum habet Sermonem de Sanctificatione & Sacerdotio Chriſti.

S. LEO *Sermone* 3. *de ſua Aſſumptione*: Et *Epiſtolis nonnullis*.

SALVIANUS *Epiſtola ad Salonium*, & *Libris* 2. *ac* 3. *ad Eccleſiam Catholicam*, *præclare prorſus* de bonis Clericorum.

JULIANUS POMOERIUS *in Libris de vita contempla-*

plati-

plativa. Et notandus præcipue *Libro II. a capite 9,* de recto uſu bonorum Eccleſiaſticorum.

S. Gregorius M. *in Cura paſtorali:* ſæpius item *in Epiſtolis.*

S. Isidorus Hispalensis *Libro II. de Officiis Eccleſiaſticis, pluribus capitibus.*

S. Antiochus *Homiliis* 123. & 124.

Venerabilis Beda *Libris duobus de Tabernaculo & vaſis ejus, & veſtibus Sacerdotum.*

Theodulphus Aurelianensis *in Capitulari ad Presbyteros ſuæ Parochiæ.*

S. Agobardus *Libro de Privilegio & jure Sacerdotii.*

Rabanus Maurus *Libro de ſanctis Ordinibus, Juramentis divinis, & Veſtimentis ſacerdotalibus. Item Libris tribus de Clericorum Inſtitutione, & Cerimoniis Eccleſiaſticis:* Et *Libris tribus de Diſciplina Eccleſiaſtica.*

S. Petrus Damiani *Opuſculis pluribus,* quæ ſit longum hic ſingillatim percenſere.

Goffridus Vindocinensis *Tractatu de ordinatione Epiſcoporum.*

S. Ivo Carnotensis *paſſim in Sermonibus & Epiſtolis.*

Hildebertus Cenomanensis *in Sermonibus Synodicis &c.*

Hugo a S. Victore *Tractatu de Eccleſiaſticis Ordinibus.*

S. Bernardus *Libro de Converſione ad Clericos.*
Libris quinque de Conſideratione, ad Eugenium Papam.
In Declamationibus, ad illud: Ecce nos reliquimus omnia.
Tractatu de moribus & officio Epiſcoporum, ad Henricum Senonenſem, olim Epiſtola 42.
Sermone 6, *in Pſalmum* 90: Qui habitat.
Sermone 77. *in Cantica.*

Richardus a S. Victore *Tractatu de poteſtate ligandi, atque ſolvendi.*

Petrus Blesensis *Epiſtolis* 123. 139. *& aliis compluribus.* Item *initio Explanationis in Jobum*, *& Sermonibus pluribus.*

Ekbertus, *Abbas*, *Sermone* 5. *late.*

S. Franciscus Assisias *Epiſtola ad Sacerdotes.*

S. Thomas Aquinas *Opuſculo* 65. *de Officio Sacerdotis.*

Theophanes Nicanus *Epiſtola* 3. *de Sacerdotii præcellentia*, ubi ſpeciatim: Quantus nitor requiratur in Sacerdote propter immolationem Chriſti, *ſane diſertiſſime.*

S. Laurentius Justinianus *de compunctione & complanctu chriſtianæ perfectionis, ante medium*, vehementiſſime in corruptionem Cleri.

Dionysius Carthusianus *Opuſculo de Sacerdotum dignitate.*

Joannes Trithemius *Libro de Inſtitutione vitæ ſacerdotalis.*

Quibus ultimis, loco appendicis, meretur adjungi Ubertus Folieta *in Epiſtola admirabili*, *& plusquam eleganti*, *de Sacerdotis officio.*

Porro etſi hic ſunt plurima, quæ *Sacerdotem* cum *Epiſcopo* confundunt, nihilo ſecius pleraque huc pertinent, & aptari nullo negotio poſſunt.

Vide præterea, ſi placet, Titulos: *De Abſolutione. De Communione. De Sacrificio Miſſæ. De Concionibus. De Jurisdictione Eccleſiaſtica. De Epiſcopatu. De Exemplo* &c.

Prodiit etiam *Romæ* 1672, & deinceps alibi opuſculum tenue, ex Conciliorum & Patrum verbis contextum, quæ ſacros miniſtros ſui officii commonerent.

TITU-

TITULUS LV.

De *Sacrilegiis.*

CAPUT I.

Loci.

Si adjiciam, quæ non minus conſcientiæ omnium recognoſcent; in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari; in ipſis plerumque æditorum & ſacerdotum tabernaculis, ſub iisdem vittis & apicibus & purpuris thure flagrantem libidinem expungi? Neſcio, plus ne de vobis Dii veſtri, quam de Chriſtianis querantur. Certe Sacrilegi de veſtris ſemper apprehenduntur; Chriſtiani enim templa nec interdiu norunt. Spoliarent forſitan ea & ipſi, ſi & ipſi ea adorarent. TERTULLIANUS *in Apologetico, cap.* 15.

Niſi forte apud iſtos (videlicet Ethnicos) major caſtitas virginum, aut religio ſanctior ſacerdotum; cum pæne in pluribus virginibus, & quæ inconſultius ſe viris miſcuiſſent, Veſta ſane neſciente, ſit inceſtum vindicatum. Ubi autem magis a Sacerdotibus, quam inter aras & delubra, conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, meditantur adulteria? Frequentius denique in æditorum cellulis, quam in ipſis lupanaribus flagrans libido defungitur. MINUTIUS FELIX *in Octavio.*

Quomodo Deum violat, qui hoc modo placat? *Idem ibidem, mox a medio.*

Impietas mater quædam eſt delictorum, & qui graviora peccaverit, in cetera facile prolabitur. Quomodo enim poteſt ab humanis temperare, qui divina violavit: & hominibus bonus eſſe, qui Deum læſit? S. AMBROSIUS *Libro II. de Abel & Cain, cap.* 7.

Cum eſſet propoſitum, ut vaſa Eccleſiæ jam tra-

deremus, hoc reſponſi reddidi, me, ſi de meis aliquid poſceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum: id, quod mei juris eſſet, libenter offerre; templo Dei nihil poſſe decerpere, nec tradere illud, quod cuſtodiendum, non tradendum acceperim. Deinde conſulere me etiam Imperatoris ſaluti; quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. *Idem Sermone de Baſilicis, poſt Epiſtolam hodie* 21, *alias* 32. *&* 13.

Quantum malum ſit ſacrilegium, ne dici quidem poſſit. S. Chrysostomus *Homilia* 2 *in II. ad Timotheum.*

Amico quidpiam rapere, furtum eſt; Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt. Accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis vel cautum eſſe velle, vel timidum, aut quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat. S. Hieronymus *Epiſtola* 2, *hodie* 52. *ad Nepotianum.*

Non tibi illa nunc replico, quod plures virgines ſtupraſſe narraris, quod a te nobilium violata matrimonia publico cæſa ſint gladio, quod per lupanaria impurus & helluo concurriſti. Magna quidem iſta ſunt pondere ſuo; ſed fiunt eorum, quæ illaturus ſum, comparatione leviora. Rogo, quantum crimen eſt, ubi ſtuprum & adulterium parum eſt! *Et inferius:* Prô nefas! non poſſum ultra progredi. Prorumpunt lacrimæ antequam verba... inventa eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum eſt facinus, quod nec Mimus fingere, nec Scurra ludere, nec Atellanus poſſet effari. *Idem Epiſtola* 48, *nunc* 147. *ad Sabinianum Diaconum, qui in ipſo templo Bethlehemitico ſacræ virgini vitium parabat inferre.*

Iſ gratus noſter atque improbus animus omnia Dei beneficia indigne ſuſcepit. Spiritum Sanctum accepimus, ac turpibus actionibus ipſum propulimus:

mus: Miraculorum donum conſecuti ſumus, ac perfidia noſtra & incredulitate illud rejecimus: Doctrinam & ſapientiam is, qui ejusmodi munerum auctor eſt, nobis inſpiravit, ac per impietates & ſacrilegas doctrinas eas ſubmovimus. Cœleſte ſacerdotium fidei noſtræ commiſſum eſt, ac per lubricum & periculoſum judicium illud corrupimus. Ille per vim Epiſcopatum accepit, & genere ſuo rerum ſtatum onerat. Ille diſpenſatorem agit, & famulorum gregibus altare obturbat. Hic ad illius familiaritatem ſe adjunxit, & pauperum bona intervertit. Ille huic favet, & ſpadones atque effœminatos, abjecta mancipia, in templum infert. Papæ; quot maculis divinum ſacrarium contaminatur! S. Isidorus Pelusiota *Libro I. Epiſtola* 250. *Locus iſte multo eſſet ſplendidior, ſi & homines, & adjuncta illa, ad quæ vir ſanctus reſpexit, ſingulatim noviſſemus.*

Manifeſtum eſt, per crudeliſſimam, infaniſſimamque ſævitiam omne illic cœleſtium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta eſt ſacrificii oblatio, defecit chriſmatis ſanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria. S. Leo *Epiſtola* 75, *vel* 125, *nunc* 156. *ad Leonem Auguſtum.*

Çerte quod nullus, quamquam impudentiſſimus negare audebit, poſſeſſio Eccleſiæ votum eſt fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius quomodo quisquam Deo audet auferre? hæreditatem pauperum qua temeritate præſumit invadere? unde alii ſuas animas redemerunt, cur inde alii ſuas perdunt? *Patres Concilii in Verno Palatio capite* 12. *Ex forti illa conteſtatione ad Carolum Calvum.*

Petrus Blesensis *Epiſtola* 123. *quam maxime concitatur in ſacerdotem,* qui pollutis manibus, quibus paulo ante ſcorti pudenda tractavit, ſalutem ho-

hominum tangit, & recipit ore, quo paulo ante baſia meretrici impreſſerat; qui in ore, adhuc potu heſterno fœtente, & in ſentina ventris, adhuc præcedente crapula æſtuante demergit: atque Antichriſtianum, qui, quantum in ſe eſt, Chriſtum jam factum impaſſibilem ita tractat indigne, ita probris afficit, ita crudeliter interimit, & ſepelit inhoneſte.

CAPUT II.

Fontes.

CIRCA TEMPLA.

Tertullianus *Apologetici cap.* 25, de Romanorum, cum bello viciſſent, ſacrilegiis & exſpoliationibus templorum. De quo etiam Minutius Felix *in Octavio*, & fuſe Lactantius *Libro II. divinarum Inſtitutionum, cap.* 4. Hi ipſi aliis locis ſæpe tangunt ſordes, & ſpurcitias omnis generis, quibus templa illi ſua impiarent. Vide etiam S. Gregorium Nazianzenum *Oratione* 21. *in Laudem Athanaſii*: S. Chrysostomum *Epiſtola* 1. *ad Innocentium Papam &c.* Synesium *in cataſtaſi.*

CIRCA IPSA MYSTERIA TEMPLORUM.

Clemens Alexandrinus *in Oratione exhortatoria ad Gentes*: S. Augustinus *Libris prioribus de Civitate.* de ſacrilegis ſacris: Theodoretus *Libro III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, de ſacrilegiis ſub Juliano Apoſtata, eorumque ſuppliciis: ſunt autem utraque horrenda lectu. In temerantes corpus Domini quam plurima diximus Titulo: *de Communione*, quibus adde Basilii M. *Libros duos de Baptiſmo, utrobique capite* 3: Chrysostomi *Homiliam* 3. *in ad Epheſios*, *in Morali*: ac S. Isidori Pelusiotæ *Epiſtolam* 170 *Libri I. ad Chæremonem*, a menſa dæmoniorum continuo ad menſam Domini prorumpentem; ubi laconice, quod ſolet, Judæ laqueum homini commonſtrat.

DE

DE SACRILEGIIS CIRCA HOMINES.

S. Cyprianus *creditus*, *Libro de ſingularitate Clericorum*, de ſacrilego concubitu inſignitus. Ait autem inter alia: pejus eſſe quam mœchiam, continentiam ducere criminoſam, & infamem facere ſanctimoniam. Accedit *Epiſtola* Hieronymi *ad Sabinianum* ſupra laudata, & profecto vehementiſſima. Idem quæ S. Ephræm *Tomo II. novo, Parœneſi* 42. *ad fratrem, qui excidit*, ſed & alii, puta S. Basilius M. S. Ambrosius ad ſacros homines lapſos ſcripſere. Nec omittendus S. Chrysostomus *Opuſculis duobus de illicita cohabitatione Clericorum ac mulierum*: S. Bonifacius *Epiſtola* 19. *ad Regem Merciorum*, & S. Petrus Damiani *Opuſculo XVII. de cœlibatu Sacerdotum*: & *Opuſculo XVIII. contra Clericos intemperantes*.

DE SACRILEGIIS CIRCA BONA.

S. Chrysostomus *Homilia* 20. *in Acta*: Cassiodorus *Libro XII. Epiſtola* 13: S. Bernardus *de Converſione ad Clericos, in Declamationibus ad illud*: Ecce nos reliquimus. Petrus quoque Blesensis & Guilielmus Parisiensis acerrime impetunt Clericos & Monachos, qui ſua bona ad turpia, atque impia inſumentes in ſanguine Chriſti & ſudoribus Sanctorum laſcivire conſueverunt. S. Ambrosius *Libro II. de Officiis, cap.* 28. pulcherrime oſtendit, licere ſubin vaſa ſacra frangere, & inter egenos diſpertiri.

Vide etiam Titulos: *Simonia. Bona Eccleſiaſtica. Templa. Decima* &c.

S. Isidorus Pelusiota totus eſt in ſacrilegiis Epiſcoporum & Clericorum auferendis. Lege Epiſtolas ejus *ad Euſebium, ad Zoſimum*, & adjutores eorum, quæ ſunt omnium frequentiſſimæ.

Multa etiam de ſacrilegiis hæreticorum S. Hilarius

rius Pictavienſis: S. Optatus Milevitanus: S. Basilius M. Evagrius &c. &c.

De Gnoſticorum impietate pecuina dixi alias.

TITULUS LVI.

De *Salibus*, Facetiis, Cantilenis; ſive inhoneſtis, ſive contumelioſis.

CAPUT I.

Loci.

Nullius rei aut atrocis aut vilis commemoratio melior eſt. Quod in facto rejicitur, etiam in dicto non eſt recipiendum. Tertullianus *Libro de Spectaculis*, *cap.* 18.

Quod ſi nobis impudicitia execranda eſt, cur liceat audire, quæ loqui non licet? *Idem Libro de Spectaculis*, *cap.* 17.

Nolo mireris, quæ loquuntur ore illo polluto. Quidquid jam voce delinquitur, minus eſt. S. Cyprianus *Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

Omni ratione fugiendum eſt turpium verborum profluvium, nec enim Deo inaudita erunt. S. Gregorius Neocæsariensis; *ipſe enim eſt auctor Orationis* 53. *apud Nazianzenum.*

Cantilenis meretriciis aërem conſpurcarunt. S. Basilius M. *Homilia* 14. *in ebrioſos*, *initio.*

Audire, fari, facere, non diſtant procul. S. Gregorius Nazianzenus *in Tetraſtichis*, *num.* 17.

Ridere, & jocoſa dicere verba, non manifeſtum quidem peccatum eſſe videtur; ſed in manifeſtum crimen inducit. Nempe ſæpius ex riſu turpia naſcuntur verba, a turpibus verbis actiones turpiores. Sæpius ex verbis & riſu convitia & contumeliæ: de convitio & contumelia plagæ & vulnera: de vulneribus & plagis cædes & homicidia. Si tibi igitur bene conſulturus es, non turpia tantum verba,

verba, neque turpia tantum facta, neque plagas & vulnera & homicidia, verum & ipſum intempeſtivum riſum, & verba fugies ſcurrilia. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 15. *ad populum, num.* 4.

Mallem convivari cum homine lutum edente, quam cum talia loquente. An non videtis porcos ſtercus edentes? Sic & iſti. Quid enim fœdius verbis, quæ loquntur contumelioſi? Hi curant nihil ſanum loqui, nihil purum; ſed ſi quid fœdum, ſi quid turpe, id agere, & effari. Quodque gravius eſt, dum ſeſe deturpant, alios ſe deturpare putant. *Idem Homilia* 37. *in Acta.*

Si vis nobis clare demonſtrare, te non gaudere, dum turpia dicuntur, ne auditu quidem illa feras. Quandonam probus vir eſſe poteris, in hujuſmodi turpibus audiendis enutritus? Quandonam caſtitatis ſudores ferre poteris, ſic paulatim diffluens ex riſu, cantibus, & verbis obſcœnis. Nam ſi vix anima, quæ ab his omnibus ſe puram ſervat, poteſt eſſe honeſta & caſta, quanto minus poterit, quæ hæc audire ſolet? *Idem Homilia* 38. *in Matthæum.*

Per has portas & januas ingreſſus eſt, & ingreditur ad nos Chriſtus, cum communicamus . . . Audiant, qui obſcœna loquuntur, qui convitia proferunt: & cohorreſcant, cogitantes quale os dedecorent! *Idem homilia* 30. *in II. ad Corinthios, num.* 2.

Scurrilitas atque laſcivia te præſente non habeant locum. Nunquam verbum inhoneſtum audias, aut ſi audieris, non ineſceris. Perditæ mentis homines uno frequenter, levique ſermone tentant clauſtra pudicitiæ. Ridere & rideri ſæcularibus derelinque, gravitas tuam perſonam decet. S. HIERONYMUS *Epiſtola* 8, *nunc* 130. *ad Demetriadem, poſt medium.*

Idem eadem Epiſtola, verſus finem, de colloquiis mari-

maritatarum: Matronarum maritis ac ſæculo ſervientium tibi conſortia declinentur, ne ſolicitetur animus, & audias, quid vel maritus uxori, vel uxor locuta ſit viro. Venenatæ ſunt hujusmodi confabulationes. Super quarum damnatione ſæcularem verſum aſſumens Apoſtolus fecit Eccleſiaſticum: *Corrumpunt mores bonos confabulationes peſſimæ.*

Et meruli, & pſittaci, & picæ, & hujusmodi volucres ſæpe ab hominibus docentur ſonare, quod neſciunt; ſcienter autem cantare non avi, ſed homini divina voluntate conceſſum eſt. Et quam multi mali & luxurioſi ſic cantant digna auribus ſuis & cordibus? Novimus & dolemus. Eo enim pejores ſunt, quo non poſſunt ignorare, quod cantant. Sciunt enim ſe cantare flagitia, & tamen cantant: tanto libentius, quando immundius; quoniam tanto ſe putant lætiores, quanto fuerint turpiores. S. Augustinus *Expoſitione 2, in pſalmum 18, initio.*

Facilius obtingit, ut quispiam ſeria loquens vivat obſcœne, quam valeat oſtendi, qui pariter exiſtat improbus dictis, & probus moribus. S. Sidonius Apollinaris *Libro III. Epiſtola 13.*

Earum quisque nomina frequenter habet in ore, quarum deſideria vulnerato geſtat in corde: ac turpitudinem, quam exercere verecundatur in facto, tenet in animo, reus non humano judicio, ſed divino. Julianus Pomoerius *Libro III. de vita contemplativa, cap. 6.*

Multi, cum aliis maledicunt, ſibi ipſis convitium faciunt. Nihil turpius, quam qui objicit alteri ſibi objiciendum. S. Martinus Bracarensis *in Sententiis de Moribus.*

Quam vera ſententia, Fratres, in multiloquio non effugiendum peccatum! ut enim prætercam cætera, ſi propterea eſt otioſum verbum, quod nullam rationabilem cauſam habeat: quam rationem de eo reddere poterimus, quod eſt præter rationem?

nem? S. Bernardus *Sermone de triplici cuſtodia.*

Inter ſæculares nugæ nugæ ſunt; in ore Sacerdotis blaſphemiæ. *Idem Libro II. de Conſideratione, cap.* 13. *

CAPUT II.

Fontes.

Clemens Alexandrinus *Libro II. Pædagogi, capitibus aliquot ſparſim.*

Lactantius *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, cap.* 21. *de cantilenis generatim.*

S. Gregorius Nazianzenus *Carmine in quadrageſimalis jejunii ſilentium, de malis linguæ.*

S. Ambrosius *Libro I. de Officiis, cap.* 20. graviter caſtigat turpiloquium.

S. Asterius Amasenus *Homilia* 2. *de Oeconomo iniquitatis, ante medium.*

S. Chrysostomus *Sermone* 2. *de Prophetarum obſcuritate*, de lingua intemperante & turpi.

Homilia 2. *in Matthæum,* de obſcœnis cantibus.

Homilia 38. *in Matthæum*, de iisdem, aliisque huc ſpectantibus.

Homilia 69. *in Matthæum*, de illoto ore.

Homilia 17. *in Joannem, ad finem*, de colloquiis malis.

Homilia 31. *in Acta.*

Homilic 12. *in I. ad Corinthios, poſt medium*, de canticis impuris iterum.

Homilia 27. *in I. ad Corinthios*, de Scurrilitate.

Homilia 44. *in I. ad Corinthios,* de verbis contumelioſis.

Homi-

* Vide, quæ eum in locum annotavit Vir pius, diligens, ac eruditus Jacobus Melo-Horſtius.

Homilia 6. *in II. ad Corinthios*, ubi abſterret ex ſumptione Euchariſtiæ, ne linguam inde ſacratam contaminemus.

Homilia 14. *in ad Epheſios* idem urget.

Homilia 17. *in ad Epheſios*, *fuſe*, *præſtanterque* in immodicos ſales.

Homilia poſt terræ motum, *Tomo II. Montfauconi*, de canticis ſacris.

Homilia 5. *ex* 11. *ineditis*, *Tomo XII. Montfauconi*, de canticis ſacris.

Sermone: Aſcetam facetiis uti non debere. Qui etſi ſit ſuppoſitus, non tamen eſt Chryſoſtomo indignus. In Appendice Tomi I. Montfauconi.

S. HIERONYMUS *Commentario in Caput.* 12. *Matthæi* diſtinguit probe inter verba ſolum otioſa, & verba ſcurrilia.

S. VALERIANUS CIMELIENSIS *Homilia* 5. *de oris inſolentia*: Et *Homilia* 6. *de otioſis verbis*.

JULIANUS POMOERIUS *Loco citato*, *præclare*.

S. CÆSARIUS ARELATENSIS *Homilia* 20, quam facile etiam ſtupidiſſimi, qui ſummam cauſantur difficultatem in capitibus doctrinæ chriſtianæ diſcendis, cantica impura memoriæ commendent.

S. ANTIOCHUS *Homiliis* 16. & 22. *de libertate linguæ*.

Homilia 28. *de murmuratione.*

Homilia 33. *de otioſo Sermone.*

Homilia 48. *de deriſione.*

Homilia 51. *de contumelia.*

Homilia 58. *de inſultatione in afflictione.*

S. BERNARDUS *tum locis jam ante laudatis*, *cum libro ſuppoſito de ordine vitæ*, & *morum inſtitutione*, *cap.* 3.

GUILIELMUS PARISIENSIS *Libro de Moribus*, *cap.* 8.

His junge, ſi lubet, quæ dicimus, Titulis: *Detra-*

Detractio. Colloquia pia. Oratio (cum de canticis) *Contentiones*, & *Contradictiones. Ira* &c.

Item, quæ ſupra Libro *primo* de Eloquentia Patrum, Diſſertatione *quinta*, Capite *primo*, §. *ſecundo* habentur.

TITULUS LVII.

De *Scriptura* divina.

CAPUT I.

Loci.

TERTULLIANUS *provocans Hermogenianos ad utrumque Teſtamentum*: Adoro, inquit, Scripturæ plenitudinem. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat væ illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum! *Libro contra Hermogenem, cap.* 22.

Idem de Hæretico Scripturam allegante: Ex veritate accepit, quod ad mendacium ſuum ſtruat. *Libro adverſus Praxeam.*

LACTANTIUS *de Simplicitate verborum, quæ ſæpiſſime in Scripturis deprehenditur*: Num igitur Deus, & mentis, & vocis, & linguæ artifex, diſerte loqui non poteſt? imo vero ſumma providentia carere fuco voluit ea, quæ divina ſunt, ut omnes intelligerent, quæ ipſe omnibus loquebatur. *Libro VI. Inſtitutionum divinarum, cap.* 21.

Quod ſi quis ridet, noſtram videas circa ſyllabas (ut Pſalmi verbis utar) fabulationem, ipſe quidem futurum ſciat, ut infrugiferum ſui riſus fructum metat: nos vero haudquaquam cedentes hominum convitiis, nec illorum vituperatione victi ſtudium inveſtigandi deſeramus. Tantum enim abeſt, ut me harum rerum tanquam minutarum pudeat, ut ſi vel minimam dignitatis earum partem attingam, tum mihi gratulaturus ſim, ut magna quæ-

quædam aſſecuto. S. BASILIUS M. *Libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium*, *cap.* 1. *per accommodationem.*

Hominis confirmatum teſtamentum nemo ſuperordinat: Dei tabulas tabula diverſa mutabit? Quænam in vobis hæc vincendi cupido eſt, ut tale aliquid audeatis? S. PACIANUS *Epiſtola* 3. *ad Sympronianum, Novatianum.*

Literas potuiſtis abolere; ſed fidem non potuiſtis auferre. S. AMBROSIUS *Libro III. de Spiritu Sancto*, *cap.* 11.

Enimvero qui metalla effodiunt, non in ſuperficie manent, ſed cum profunde admodum deſcenderint, & auri ramenta nanciſci potuerint, magno labore & ſedulitate ea a terra ſeparant, poſtque multum illum laborem, brevem aliquam laborum inveniunt conſolationem. Veruntamen licet hi ſciant, ſe utilitatem percepturos laboribus non reſpondentem, ſæpeque etiam poſt tot vigilias, & labores, exſpectatione ſua fruſtratos eſſe; neque ſic deſiſtunt, ſed ſpe aluntur, & ſenſu laboris carent. Quod ſi illi tantum præ ſe ferunt ſtudium in corruptibilibus, in certis, & caducis: multo magis decet nos, ubi divitiæ auferri nequeunt, & theſaurus abſumi non poteſt, & ſpe non aberratur, par vel majus ſtudium adhibere, ut hinc aliquo fructu percepto, deſiderata aſſequi poſſimus, agnitaque ineffabili benignitate Dei, gratias agentes Domino noſtro ejus nobis favorem conciliemus, & diaboli retibus non illaqueemur. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 21. *in Geneſin.*

Singuli ſermones, ſyllabæ, apices, puncta in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus, & ſpirant cœleſtia ſacramenta. S. HIERONYMUS *Commentario in Caput* 6. *Matthæi*: Similia habet *in caput* 3. *Epiſtolæ ad Epheſios*: Et *Epiſtolis* 13, *nunc* 58: atque 103, *nunc* 53. *ad Paulinum.*

Hoc,

Hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *Idem Commentario in caput* 23. *Matthæi*, *loquens de apocryphis.*

Agricolæ, cœmentarii, fabri, metallorum lignorumve cæſores, lanarii quoque & fullones, & ceteri qui variam ſupellectilem & vilia opuſcula fabricant, absque doctore non poſſunt eſſe, quod cupiunt: quod medicorum eſt promittunt medici, fabri fabrilia tractant: ſola Scripturarum ars, quam ſibi omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. Alii adducto ſupercilio grandia verba trutinantes inter mulieres de ſacris literis philoſophantur. Alii diſcunt, pro pudor! a fœminis quod viros doceant: & ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborum, imo audacia ediſſerunt aliis quod non intelligunt. Taceo de mei ſimilibus qui ſi forte ad Scripturas ſanctas poſt ſæculares literas venerunt, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quidquid dixerint hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongruum aptant teſtimonia; quaſi grande ſit & non vitioſiſſimum docendi genus depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem. *Idem Epiſtola* 103, *nunc* 53. *ad Paulinum*

Ita Scripturam ſacram lege, ut ſemper memineris Dei verba illa eſſe, qui legem ſuam non ſciri tantum, ſed etiam adimpleri jubet, *Idem creditus, Epiſtola ad Demetriadem*, *in Appendice.*

Quidquid homo extra (divinos hos libros) didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur: ſi utile eſt, ibi invenitur: & cum ibi quisque invenerit omnia quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nuſquam omnino alibi, ſed in il-

 larum

larum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur. S. AUGUSTINUS *Libro II. de Doctrina chriſtina, cap. ultimo.*

Scripturas, etiam eas, quæ ad novum pertinent teſtamentum, ſic accipiunt, ut ſuo quodam privilegio, imo ſacrilegio, quod volunt, ſumant; quod nolunt, rejiciant. *Idem Libro de dono perſeverantiæ, cap.* 11.

Quomodo ille, cui non credo, profert mihi Scripturas, quibus de illo credam: & eis ipſe conatur dare auctoritatem, cum ego ipſi non credam. *Idem ſtringens hæreticos, cum Scripturas allegant, Libro XIII. contra Fauſtum, cap.* 4.

Sed rationem dicti quæris? non reddo. Interim Deus hoc dixit, Deus hoc locutus eſt mihi; verbum illius ſumma ratio eſt. Removeo argumenta, removeo diſputationem; ſola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quærere quomodo verum ſit quod Deus dixit, cum dubitare non debeam, quin verum ſit quod Deus dixit. S. JOANNES CASSIANUS *Libro IV. de Incarnatione, cap.* 6.

Fugit ratio Græcos *, qui non animadvertunt, ſe per ea (quæ contra Fidem noſtram opponunt) ſemetipſos evertere. Nam pro nihilo habendum ajunt Scripturam divinam, tanquam ſcilicet barbaris vocibus conſtantem, & peregrinis nominum fictionibus compoſitam, & neceſſariis conjunctionibus ac velut vinculis orationis deſtitutam, & ſuperfluorum inculcatione ſenſum eorum quæ dicuntur perturbantem. Sed ab his diſcant vim veritatis! Qui enim factum eſt ut ruſtica ac ſimplex ipſa eloquentiæ perſuaſerit aſſenſum? Dicant ſapientes, quomodo ipſa tantis laborans & barbariſmis & ſoloe-

* Id eſt *Ethnicos;* ſic enim ſolent a Patribus ſæpiſſime appellari.

lœciſmis tamen vincere potuerit errorem & falſitatem tam attica inſtructam eloquentia? Qui factum ſit ut Plato ille Gentilium Philoſophorum facile princeps ne unum quidem vincere & in ſuas partes traducere potuerit tyrannum: hæc autem ruſtica licet, & barbara, & tot ſolœciſmos faciens veritas terram, & mare ſibi adjunxerit? S. Isidorus Pelusiota *Libro IV. Epiſtola* 28.

Singula Scripturæ verba, ſi libris ſingulis mandarentur, nec ſic myſteria, quæ in ipſis ſunt, perlucerent. S. Chrysologus *Sermone* 64.

Hic forſitan requirat aliquis: Cum ſit perfectus Scripturarum canon, quid opus eſt, ut ei eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam ſacram pro ipſa ſui altitudine non uno, eodemque ſenſu omnes accipiunt; ſed eadem eloquia aliter atque aliter alii interpretantur, ut pæne quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur. S. Vincentius Lirinensis *in Commonitorio I. cap.* 2.

Scripturæ divinitus inſpiratæ ſtudium opes, gloriam, imperium, ac denique res eas omnes, quas mortales amplecti ſolent, antecellit. S. Joannes Damascenus *Præfatione in Parallela ſua, ipſo initio.*

Quo ſpiritu Scripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant, ipſo etiam intelligendæ ſunt. Nunquam ingredieris in ſenſum Pauli, donec uſu bonæ intentionis in lectione ejus & ſtudio aſſiduæ meditationis ſpiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipſa experientia ipſos Pſalmorum affectus indueris: ſicque de reliquis. Et in omni Scriptura tantum diſtat ſtudium a lectione quantum amicitia ab hoſpitio, ſocialis affectio a fortuita ſalutatione. *Creditus* Bernardus *Tractatu de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei.*

CAPUT II.

Fontes.

S. JUSTINUS MARTYR *admonitione ad Gentes*, & *Apologia* 2. *egregie* tuetur divinos libros.

TERTULLIANUS *Libro IV. contra Marcionem*, de conſenſu Veteris & Novi Inſtrumenti; *paſſim* vero *contra eundem* Scripturas defendit, & quæ abſurda videri in iis poſſent, minutim declarat. Item: nec eſſe plures, nec pauciores divinos libros, quam recipiat Eccleſia. Sed etiam in *Apologetico, cap.* 20. divinitatem Scripturæ ex vaticinationibus ſtabilit.

ORIGENES *Libro VI. & VII. contra Celſum*, de Simplicitate Scripturæ. De eadem agit in *Philocalia*, *cap.* 4. Ejusdem *Libri cap.* 13. excitat ad ſtudia Scripturarum.

S. CYPRIANUS *Libro de Spectaculis*, de jucunditate & ſpectaculis divinarum literarum; ſed & in eos, qui ſive dicta ſive facta ibi contenta ad licentiam inflectunt.

LACTANTIUS *Libro III. Inſtitutionum divinarum*, *cap.* 1. de Simplicitate Scripturæ.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS ſæpiſſime in *Præparatione: Et Demonſtratione Evangelica.* Idem habet *decem Canones de conſonantia quatuor Evangeliorum.*

S. BASILIUS M. *Proœmio in Eſaiam*, quantum proſit, Scripturas non ubique claras eſſe. *Idem Homilia in illud:* In principio erat verbum, *Evangelia* Sctipturis reliquis præferenda oſtendit.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Epiſtola ad Ablabium*, de Simplicitate Scripturæ.

S. AMBROSIUS *Præfatione in Commentarios ſuper Lucam*, Qui ſint, qui non ſint divini libri.

S. CHRYSOSTOMUS *Homiliis* 3. 18. 21. 26. *in Geneſin*, nihil etiam minimum in ſacris libris negligendum eſſe.

Homiliis duabus de Prophetarum obſcuritate, Scri-

Scripturam Interprete peritiſſimo opus habere, uti rite intelligi poſſit.

Homilia 2. *in illud Eſaiæ*: Vidi Dominum, *circa medium*, quanto ſtudio ſcrutandæ ſcripturæ.

Homilia 1. *in Matthæum*, ubi doctrinam morum in divinis libris cum doctrina morum apud Ethnicos componit, atque etiam declarat, cur Novum Teſtamentum vocetur *Evangelium*.

Homilia 19. *in Joannem* hortatur ad legendam Scripturam.

Homilia 49. *in Joannem*, ne negligamus minutias Scripturarum.

Homilia 3. *de Lazaro* hortatur ad lectionem Scripturæ *fuſius*.

Homilia 8. *in ad Hebræos*, de meditatione divinarum literarum.

Homiliis duabus in illud: ſalutate Priſcillam & Aquilam. Ubi iterum de minutiis quoque ſacrorum Librorum, cura ſumma excutiendis.

Homilia in dictum Pauli: Nolo vos ignorare. *Tomo III. Montfauconi*, de connexione utriusque Teſtamenti.

Homilia in illud Apoſtoli: Habentes eundem Spiritum. *Tomo III. Montfauconi*, de divitiis Scripturæ ſacræ.

Homilia in principium Actorum Tomo III. Montfauconi, commendat lectionem Scripturæ, illiusque utilitatem oſtendit.

Homilia de mutatione nominum, rurſus de minutiis divinarum literarum.

S. Hieronymus *Præfatione in Pentateuchum*, ubi etiam de miraculo verſionis 70. Interpretum.

Præfatione in Abdiam, de ineptis accommodationibus Scripturarum.

Præfatione Commentariorum in Matthæum, ubi agit de librorum ſacrorum numero.

Præfatione in Epiſtolam ad Epheſios, de amœnitate meditationis Scripturarum.

Epiſtola 103, *nunc* 53. *ad Paulinum*, ubi varia huc *fuſe*, atque *egregie*.

Epiſtola 124, *nunc* 18. *ad Damaſum*, de amœnitate Scripturæ iterum.

Epiſtola 155, *nunc* 30. *ad Paulam*, de eadem amœnitate.

Epiſtola 3, *nunc* 60 : 7, *nunc* 107 : 22. & 146, *nunc* 21. de perpetua ſcripturarum lectione.

Dialogo adverſus Luciferianos, de hæreticis citantibus Scripturam, *ad finem*.

Sed & alia innumera habet, præſertim in *Proœmiis & Præfationibus Commentariorum ſuorum*.

S. Augustinus *Libro de moribus Eccleſiæ catholicæ, & in aliis, quæ contra Manichæos ſcripſit*, oſtendit divinitatem Scripturæ.

Libro 3. *de doctrina chriſtiana*, de Scripturæ intelligentia ; ſed in *aliis etiam ejus operis locis* varia huc affert, & præclara quidem.

Idem præſtat in *Libris de conſenſu Evangeliſtarum.*

Libro de utilitate credendi, *cap*. 7. & 17. de ſcientia ad ſcripturas requiſita. De eadem agit *Epiſtola* 120. *ad Conſentium*, *cap*. 3. *Et pulcherrime Libro XXXII. contra Fauſtum*, *cap*. 19.

Epiſtola 3, *nunc* 137. *ad Voluſianum*, de Scripturæ prærogativis.

Libro XII. de Civitate, *capitibus* 9. & 10. de divinitate Scripturæ ex vaticinatione ea, qua prædixit, a toto ſibi orbe aliquando credendum.

Libro I. de Geneſi ad literam, *capitibus* 18. 19. 20. 21.

20. 21. de diverſæ Scripturæ, ubi dubium exiſtit, intellectu.

Libro III. contra Maximinum, capite 14, atque iterum *Enarratione in pſalmum* 57. *num.* 6. præclaram dat provocationem ad Scripturam.

S. Isidorus Pelusiota *Libro* 2. *Epiſtolis* 4. & 5. de Simplicitate Scripturæ. De eadem agit *Libro IV. Epiſtolis* 28. 30. 67. 91.

Libro III. Epiſtola 388. *ad Hieracem*, de vi movendi in Scriptura.

Libro IV. Epiſtolis 33. 40. 153, de perpetua illius lectione.

Libro IV. Epiſtola 91. *jam laudata* componit Moralem Scripturæ cum Morali Ethnicorum.

S. Vincentius Lirinensis *Commonitorii I. capitibus* 35. 36. 37. 38, quomodo hæretici abutantur Scripturis.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro* 7. *contra Julianum*, de Simplicitate Scripturæ: & *Libro II. Contradictionis adverſus Neſtorii blaſphemias, cap.* 7. de temeritate eorum, qui Scripturas ad ſuum ſenſum detorquent.

S. Chrysologus *Sermone* 96, de commodis ex obſcuritate Scripturæ.

S. Prosper *creditus*, *Libro de Promiſſionibus, & Prædictionibus Dei, parte II. cap.* 31, de legis antiquæ, & Evangelii differentia.

Theodoretus *Libro II. de græcarum affectionum curatione*: *Libro IX. rurſum ejuſdem operis*: *Et Sermone* 8, *de Providentia pulcherrime* differit de ſacrorum Librorum Simplicitate.

Salvianus *Libro* 2. *ad Eccleſiam Catholicam*, de diſcrimine inter legem & Evangelium.

S. Gregorius *M. Proœmio ad Libri Job caput I.* contra eos, qui nimis anxie hærent in cortice, & theoria

theoria Scripturarum. *Homilia* 6. *in Ezechielem, eleganter,* quam ſit utilis Scripturæ obſcuritas. *Libro IV. Dialogorum, cap.* 4. Scripturam quædam dicere non ſenſu ſuo, verum noſtro, *copioſe iſtuc & eleganter:* ſervitque præcipue ad intelligentiam Eccleſiaſtici. Idem *Homilia* 15. *in Evangelia* de ſenſu ſpirituali eliciendo ex litera.

FRANCO AFFLIGINENSIS *Libro X. de Gratia, ſeu beneficentia Dei,* ubi pulchre de ſapore verbi Dei ſive lecti ſive cantati &c.

PETRUS CLUNIACENSIS *Epiſtola contra Petrobruſianos* pro divinitate Scripturæ.

S. BERNARDUS *Sermone* 67. *in Cantica,* de commodis ex Scripturæ obſcuritate.

Adjici poteſt ex *Libro octo quæſtionum* Joannis Trithemii *ad Maximilianum Cæſarem Quæſtio* 4. *de Scriptura ſacra, ejusque perſectione, ſufficientia, obſcuritate, & interpretatione.*

Plures etiam locos, eosque pulchros, de Scripturarum cognitione ex S. S. Patribus excerpit Dionyſius Petavius in *Prolegomenis Theologicorum Dogmatum, cap.* 3. §. 5. *& ſequentibus.* Fontes autem ſupplere potes ex Libro noſtro IX. Ubi de ratione Patres legendi pro cognitione Scripturarum.

TITULUS LVIII.

De *Servitute* Dei, & Mundi.

CAPUT I.

Loci.

TERTULLIANUS *perpendens, quanta a ſuis ſervis Diabolus exigeret, ita quam breviſſime & fortiſſime exclamat:* Hæc Diabolus ſuis præcipit, & auditur! *Libro I. ad uxorem, cap.* 6.

Jam vero quærere ex vobis velim, ecquid nam vobis videatur abſurdius, quam ut vos, qui a Deo facti

facti eſtis, qui animas veſtras illi debetis acceptas, & toti denique, quanticunque forte eſtis, ejus eſtis, alii cuipiam Domino ſerviatis? Præterea ut pro Rege tyrannum, pro bono peſſimum colatis? Quis enim, o per veritatem! cui ſana mens ineſt, bono derelicto malitiæ adhæret? Quis Deum fugiet, ut dæmoniorum convictu fruatur? Quis, cum Dei filiis annumerari liceat, ſervitutem ducit potiorem? Aut quis in erebum recipi contendit, cum cœli civis eſſe poſſit? Clemens Alexandrinus *in Cohortatione ad gentes, numero* 10, *juxta novam Editionem.*

Omni libertate nobilior eſt ſervitus Chriſti. Origenes *Libro I. cap.* 1. *Epiſtolæ ad Romanos.*

Quod ſi poſt hæc omnia difficilis virtus eſſe tibi videtur, cogita, difficiliorem eſſe nequitiam. S. Chryſostomus *Homilia* 39. *in Matthæum, numero* 3.

Ad exitium illi laborant: & tu ad ſalutem ſegnis ac remiſſus es? *Idem Homilia* 4. *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum, *numero* 3.

Breve eſt præſens tempus, parvus labor. Etiamſi magnus eſſet ne ſic quidem deſperare oporteret. Etiamſi enim nunc pulcherrimum laborem quem pœnitentia & virtus afferunt non ſuſcipias, in mundo certe laborabis, & alio modo ſudabis. Quod ſi & hic & illic labor eſt, cur non hunc laborem ſuſcipimus, qui multum affert fructum & magnam mercedem. Quamquam non idem hic labor qui illic. In ſæcularibus enim frequentia pericula, damna ſibi mutuo ſuccedentia, ſpes incerta, ſervitus multa, pecuniarum, corporum, & animæ diſpendia, & fructuum proventus ſpe longe minores, ſi tamen veniant; neque enim ſæcularium rerum ſudores fructum ſemper afferunt. Verumtamen etſi non excidant, etiamſi multum proventum afferant, modico tempore manent. Cum enim ſenueris, nec poſſis iis pro voto frui, tunc merce-

dem laborum recipies. Sic labor vigente corpore ſuſcipitur, fructus autem & voluptas corpore jam ſene & ſoluto, cum ſenſum tempus extinxit, etſi non prorſus extinxerit, mortis ſpes non ſinit deliciis frui. Illic vero res non ita ſe habet, ſed labor eſt in corruptione, & in mortali corpore; corona vero in non ſeneſcente, immortali, finem non habente. Labor præcedit & brevis eſt; merces autem ſequitur, & eſt immenſa, ut cum libertate demum quieſcas, nihil exſpectans injucundum. Nulla enim ibi mutatio timenda, nullus caſus ut in hoc mundo. Qualia autem ſunt hæc bona, non tuta, ſed brevia, lutea, quæ vix apparent, & evaneſcunt, ac cum multis laboribus poſſidentur? Quæ bona ſunt illis æqualia quæ ſunt immobilia, quæ nunquam ſeneſcunt, quæ nullius ſunt laboris, quæ certaminum tempore coronas tibi afferunt? Nam qui pecunias deſpicit, jam hinc mercedem recipit, ſolicitudine vacuus, livore, ſycophantia, inſidiis, invidia. Qui caſtus eſt, & ornate vivit, etiam antequam decedat coronatur, & in deliciis degit, dedecore, irriſionibus, periculis, accuſationibus, aliisque omnibus malis liberatus. Aliæ quoque virtutis partes ſimiliter jam hic nobis mercedem afferunt. Ut igitur & præſentia & futura conſequamur bona, fugiamus nequitiam, & virtutem amplectamur. *Idem Homilia 68. in Matthæum, in fine.*

Lacrimor cogitans ex quanta gloria delapſuri ſimus, ex quantorum ſpe bonorum, idque perpetuo & ſemper, ne parum ſtudii impendamus. Nam ſi multus eſſet labor, ſi gravis lex, ſic quoque oporteret nihil non agere. Attamen plerique deſides excuſationem quamdam habere viderentur; frigidam certe, ſed tamen viderentur habere, præceptorum nempe difficultatem quod magnus ſit labor, quod diuturnum tempus, & intolerabile onus: nunc au-

tem

tem nihil tale obtendere poſſumus, quod tamen magis quam gehenna nos corrodet in tempore illo, cum ob breviſſimum temporis ſpatium, & ſudorem parvum regnum amiſerimus & ineffabilia bona. Nam & tempus breve eſt & labor modicus, & tamen reſolvimur, & decidimus. In terra decertas, & in cœlis corona eſt; ab hominibus cruciaris, & a Deo honorem accipis: duobus curris diebus, & ad ſæcula infinita, bravia accipis: in corrupto corpore lucta, & in incorrupto honor. Ac præter hæc illud etiam cogitare oportet, etiamſi non propter Chriſtum aliquid pati doloris velimus, at pati nos omnino neceſſe fore. Neque enim ſi propter Chriſtum non moriaris, ideo immortalis eris, neque ſi propter Chriſtum divitias non effundas, illas tecum auferes. A te illa exigit, quæ etiam ipſo non exigente daturus es, quia mortalis es: hæc te libenter vult facere quæ neceſſario facturus es. Hoc ſolum ut adſit optat, ut propter ipſum hoc fiat; quod autem hæc omnia contingant & tranſeant ex naturæ neceſſitate fit. Viden' quam facile certamen? Quæ omnino paſſurus es, inquit, propter me patere. Hoc ſolum addatur, & id pro idonea obſequentia habeo. Quod alii mutuaturus aurum es, mihi mutuare cum majori fœnore ac ſecuritate: quod corpus alteri militiæ vis adſcribere, meæ adſcribe; nam labores tuos longe excedam mercedis magnitudine. Tu vero in aliis cum ſemper præfers qui plura retribuit, in mutuo, in emptione, in militia; Chriſtum ſolum non admittis, qui plus & infinities plus præbet, quam ceteri. Et quod hoc bellum? quæ hæc inimicitia? Undenam demum veniam & excuſationem habebis cum in iis, in quibus homines hominibus anteponis, ne Deum quidem vis hominibus anteponere? *Idem Homilia* 77. *in Matthæum.*

Nihil Deus jubet, quod ſibi proſit; ſed illi, cui jubet.

jubet. Ideo verus eſt Dominus, qui ſervo non indiget, & quo ſervus indiget. S. Augustinus *Epiſtola* 5. *nunc* 108. *ad Marcellinum.*

Nunquid conſilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam non eſt tempus, non eſt locus? Nonne, ſi vis, hodie fit? nonne, ſi vis, modo fit? Quid empturus es, ut facias? quæ emplaſtra quæſiturus? ad quos Indos navigaturus? quam navim paraturus? Ecce dum loquor, muta cor, & factum eſt. *Idem Enarratione in pſalmum* 63, *in fine.*

Juſta vita, cum volumus, adeſt; quia eam ipſam plene velle juſtitia eſt: nec plus aliquid perficienda juſtitia quam perfectam voluntatem requirit. Vide, ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt! *Idem Epiſtola* 45, *nunc* 127. *ad Armentarium & Paulinam*; ubi & alia huc egregia.

Nullo modo ſunt oneroſi labores amantium; ſed etiam ipſi delectant, ſicut venantium, aucupantium, piſcantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo ſe oblectantium. Et vide, ſi delectat labor, ut fera capiatur ut cupa aut ſacculus impleatur, ut pila jaciatur: & non delectat, ut Deus aquiratur. *Idem Libro de bono viduitatis, cap.* 21.

Deus regnum ſuum fragmento panis vendit. Quis excuſare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accuſat? S. Chrysologus *ſermone* 41.

Dum beatam quærunt vitam, beatam agunt; eamque, & dum adhuc ambiunt, jam conſequuntur. S. Eucherius *de laude eremi, ad finem.*

Et rurſum: per largiſſimam gratiam Chriſti multa ex his, quæ in futurum exoptant, in præſentiarum merentur. Rem porro jam capiunt, dum ſpem ſequuntur. Habent non parvum etiam labore ipſo præmium laboris, quia pæne jam in opere eſt, quod merces erit *Ibidem.*

O cæcitas! o inſania! Quanto ſtudio infeliciſſimi

mi homines id efficitis, ut miſeri in æternitate ſitis! Quanto minore cura, minore ambitu id vobis præſtare potuiſtis, ut ſemper beati eſſe poſſitis! Salvianus *Libro 3. ad Eccleſiam Catholicam, poſt medium.*

Sicut nihil eſt tam leve, quod ei grave non ſit, qui invitus facit: ſic nihil eſt tam grave, quod non ei, qui id libenter exequitur, leve eſſe videatur. *Idem Libro I. de Gubernatione.*

Quod non vis pati a ſervo tuo, non èſt juſtum, ut facias Domino tuo. S. Cæsarius Arelatensis *Homilia* 13.

O quanta eſt miſericordia conditoris noſtri! Servi digni non ſumus, & amici vocamur! S. Gregorius M. *Homilia 27. in Evangelia.*

Pro valetudine corporis bibis aquam, jejunas, pateris ferrum & ignem, tuam deſeris voluntatem: & hæc pro Deo non potes? Pro ambitione mundi militas indutus ferro, pateris fames & frigora, labores & miſerias, objicis te periculis & morti: & hæc pro Deo non potes? Et quare hoc, niſi quia plus mundum diligimus quam Deum? Si enim plus vel tantum Deum diligeremus, quantum mundum; plus poſſemus pati pro Deo, ipſo ſuffragante, & conſcientia conſonante, quam pro mundo contra Deum, conſcientia nobis contradicente. Radulphus Ardens *Homilia 2. in feſtum Pentecoſtes.*

Conſidera diligenter, quanto labore deſudent homines, quanto ſtudio, quanto demum non ipſius vitæ tantum, ſed & animæ periculo; ut temporalia adipiſcantur, & peritura congregent, ubi diu permanere non poſſunt nec quæ poſſidentur, nec qui poſſident. Pudeat itaque filium regni minoris ſtudii in retinenda adoptionis ſuæ gloria inveniri, quam filium perditionis in coacervandis perituris, & cumulandis ſibi ſuppliciis ſemper manſuris!

Fran-

FRANCO AFFLIGINENSIS *Libro IX. de gratia ſeu beneficentia Dei, ad calcem.*

Utinam, fratres, ſic non eſſemus cupidi gratiæ ſpiritualis, quemadmodum ſæculares homines pecuniæ temporalis! Debuimus certe, & multum debuimus vincere in bono malum, & tanto amplius deſiderare, quanto pretioſius eſt, quod deſideramus. Sed utinam vel æquales eſſe poſſimus! Magna enim confuſio, magna valde, quod ardentius illi perniciosa deſiderant, quam nos utilia; citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. S. BERNARDUS *Sermone* 36. *de diverſis, de altitudine & baſſitudine cordis.*

Similia habet *Epiſtola* 385. *ad Monachos S. Bertini, & initio Apologiæ ad Guilielmum Abbatem.*

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS, *præter librum jam laudatum ad uxorem*, ubi agit de difficultate caſtitatis, *Libro ad Martyres, capitibus* 3. 4. & 5. Item *Libro de Pœnitentia, cap.* 11, quo utroque multo nos plura pro mundo ad damnationem, quam pro Deo ad ſalutem nos docet tolerare. Rurſum *Libro de Patientia, cap.* 4. quam accurate ſerviendum ſupremo Domino.

S. CYPRIANUS *ad Demetrianum*, ex ſervitute hominum oſtendit ſervitutem debitam Deo. Idem creditus *Sermone de Baptiſmo Chriſti*, non eſſe difficilia Evangelii præcepta.

LACTANTIUS *Libro III. divinarum Inſtitutionum, cap.* 8, de difficultate virtutis ſpectatæ ſecundum ſe: Et *Libro IV. earundem, cap.* 23, Chriſtum ipſummet obſervaſſe, quæ juſſerit.

S. HILARIUS PICTAVIENSIS *in Pſalmum* 118. *ad illud:* Servus tuus ſum ego, *pulchre*, ne ſolum nomine, ſed re ipſa ſervi Dei ſimus.

S. BA-

S. Basilius M. *Homilia* 13. *in S. Baptiſma, ſub finem,* ubi, quæ virtuti opponi ſolent moleſtias minores oſtendit eſſe, quam quas in vitiis experimur.

S. Gregorius Nyssenus *Homiliis in Eccleſiaſten, præſertim* 8, de variis laboribus pro mundo.

S. Pacianus *in Paræneſi ad Pœnitentiam,* ubi veteris novæque legis difficultates inter ſe componit.

S. Chrysostomus *Libro II. de Compunctione cordis,* mandata ſervatu facilia eſſe.

Epiſtola 7. *ad Olympiadem,* virtutem ſibi ipſammet præmium, vitium ſibi ipſummet ſupplicium eſſe.

Homilia 19. *ad populum*, graviora mandari a mundo, quam a Chriſto.

Homilia 39. *in Matthæum,* de jugo & onere Chriſti, *fuſe.*

Homilia 44. *in eundem, ad finem,* tam in vitio, quam in virtute laborem eſſe.

Homilia 57. *in eundem,* virtutem facilem, nequitiam oneroſam eſſe.

Homilia 18. *in Joannem, iterum.*

Homiliis 12. & 13. *in ad Romanos*, quam facile ſervire Deo.

Homilia 11. *in I. ad Corinthios,* quam nos obliget titulus redemptionis, ut ſerviamus Redemptori.

Homilia 22. *in eandem,* virtutem vitio planiorem.

Homilia 9. *in* 2. *ad Corinthios*, de eodem argumento.

Homilia 14. *in II. ad Corinthios,* iterum de facilitate hac.

Homilia 2. *in ad Epheſios,* iterum de eadem.

Homilia 8. *in eandem*, *fuſe* de dignitate Servi Dei.

Homilia 13. *in eandem,* varia huc.

Ho-

Homilia 2. *in ad Philippenſes*, rurſum de facilitate divini ſervitii.

Adde & *Homiliam* 2. *in illud :* Vos amici mei eſtis ; ubi agit de divino ſervitio : item *Ecloga* 26. *de virtutibus & vitiis :* ubi quidem quam plurima ad hunc Titulum accommodatiſſima reperies.

S. Hieronymus *Epiſtola* 13, *nunc* 58. *ad Paulinum :* Et *Epiſtola ipſi ſuppoſita ad Demetriadem, in Appendice,* ubi varia huc & elegantia ſparſim. Accedunt *Libri Dialogorum adverſus Pelagianos, cum Epiſtola* 133. *ad Cteſiphontem, illis olim præfixa.* His enim oſtendit, quam facile cum gratia divina ſervari præcepta poſſint.

S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 69. *num.* 7. Deum ſolum eſſe verum Dominum, qui ſervis non indigeat. *Sermone* 86. *alias* 43. *de diverſis*, quanto melius ſervire Deo, quam peccato. Adde, quæ habet *Libro V. de Civitate Dei, ad calcem capitis* 17. *& capite* 18. *toto : Tractatu* 26. *in Joannem : Libro de natura & gratia, cap.* 69 : *Libro VIII. Confeſſionum, cap.* 6 : *Libro de vera religione : Sermone* 69, *alias* 47. *de diverſis : Et* 70, *alias* 9. *de verbis Domini : Enarratione in Pſalmum* 59.

S. Hieronymus *creditus, Epiſtola ad Celantiam,* quæ huc præclare facit.

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. Epiſtola* 240. *eloquentiſſime.*

S. Chrysologus *Sermone* 14, quo *eleganter* plane deſcribit ſervitutem Dei.

S. Leo *Sermone* 5. *de Epiphania,* de jugo ſuavi & onere levi Servatoris.

Salvianus *Libro* 4. *ad Eccleſiam Catholicam, in fine,* in obtendentes virtutis difficultatem.

Julianus Pomoerius *Libro II. de vita contemplativa, cap.* 10, rurſum in prætenſam difficultatem.

Pe-

Petrus Blesenis *Libro de Charitate Dei, & dilectione proximi, cap.* 10.

Adde Titulos: *Salus. Opera bona. Obedientia. Devotio. Domini. Servi. Libertas* &c. *Finis ultimus. Tepor.* &c.

TITULUS LIX.

De *Spe*, & oppoſita illi Deſperatione.

CAPUT I.

Loci.

Omnibus delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis qui pœnitentiam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit. Tertullianus *Libro de Pœnitentia, cap.* 4.

In iſto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla ſera eſt. Patet ad indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis acceſſus eſt. Tu ſub ipſo licet exitu, & vitæ temporalis occaſu pro delictis roges, & Deum, qui unus & verus eſt, confeſſione & fide agnitionis ejus implores: venia confitenti datur, & credenti indulgentia ſalutis de divina pietate conceditur, & ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur. S. Cyprianus *Libro ad Demetrianum, ſub finem.*

In eodem articulo temporis, cum jam anima feſtinet ad exitum, & egrediens ad labia exſpirantis emerſerit; pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur; nec ſerum eſt, quod verum. *Idem putatus, Sermone de Cœna Domini, verſus finem.*

Conſidera, quem judicem habeas! Nempe Chriſto dedit Pater omne judicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit a morte: pro quo ſe obtulit: cujus vitam ſuæ mortis mercedem eſſe cognoſcit?

ſcit? Nonne dicet: quæ utilitas in ſanguine meo, ſi damno quem ipſe ſalvavi? S. AMBROSIUS *Libro I. de Jacob & vita beata, cap.* 6.

Miſericordia tua ineffabilis eſt, nec ullis verbis explicari poteſt. S. CHRYSOSTOMUS *creditus, Homilia* 2. *in Pſalmum* 50, *num.* 1.

Dic tantum, offendi: dic ex animo, & ſincera mente; & ſoluta ſunt omnia. Non adeo cupis remitti tibi peccata, ut ille cupit. *Idem Homilia* 36. *in Acta, num.* 3.

Pro clementia Domini hoc dico; quia magis ex hoc offendit Deum (Judas) quia ſe ſuſpendit, quam quia Dominum prodidit. S. HIERONYMUS *in Pſalmum* 108.

Sic time Dominum, ut ſperes in miſericordia ejus . . . Si . . times Deum, & ideo times Deum, quia peccator es; a quo accepturus es auxilium adverſus Deum? Quo iturus es? quid facturus? Vis ab illo fugere? Ad ipſum fuge. Vis fugere ab irato! fuge ad placatum. Placabis autem eum, ſi ſperes in miſericordia ipſius. S. AUGUSTINUS *Enarratione in Pſalmum* 146. *num.* 20.

Grave vulnus, lethale, mortiferum! ſed omnipotens medicus. *Idem Sermone* 352, *alias Homilia* 27. *ex* 50. *num.* 8.

Major eſt Dei miſericordia, quam noſtra miſeria. *Idem creditus, Libro de Spiritu. & anima.*

Quid aliud eſt deſperare, quam Deum ſibi comparare? Nam qui de Deo non præſumit veniam, non animadvertit, plus peccato ſuo Dei poſſe clementiam. Si enim ſentiret, Deum magis bonum, quam ſe malum; quidquid in ſe juſtitiæ non inveniret, a Deo magis bono expectaret. Et quidem diffidit, quia ſummi boni bonitatem majorem ſua nequitia non ſentit. Ille enim ſolus diffidat, qui tantum peccare poteſt, quantum Deus bonus eſt. Cum ſit autem nullus, qui hoc poſſit; qui timet de

ſe

ſe malo, præſumat de meliore. *Idem creditus, Libro de vera & falſa pœnitentia, cap* 5.

Qui promiſit, Deus eſt. *Idem Enarratione in Pſalmum* 148. *num.* 8.

Quis dubitat, daturum amicis vitam ſuam, pro quibus inimicis dedit mortem ſuam? *Idem Libro XIII. de Trinitate, cap.* 16. Et pulchrius *laudata Enarratione in Pſalmum* 148. *numero eodem:* Chriſtus, ait Apoſtolus, pro impiis mortuus eſt. Qui donavit impiis mortem ſuam, quid ſervat juſtis niſi vitam ſuam?

Tales arrhas accepimus! tenemus mortem Chriſti! Erigat ergo ſe humana fragilitas; non deſperet, non ſe collidat, non ſe avertat, non dicat: Non ero beatus. Quid enim tibi promiſit Deus, homo mortalis? Quod victurus es in æternum. Non credis? crede, crede; plus eſt jam quod fecit, quam quod promiſit. Quid fecit? mortuus eſt pro te. Quid promiſit? ut vivas cum illo. Incredibilius eſt, quod mortuus eſt æternus, quam ut vivat in æternum mortalis. Jam, quod incredibilius, tenemus. Si propter hominem mortuus eſt Deus, non eſt victurus homo cum Deo? Non eſt victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus eſt, qui vivit in æternum? *Idem Enarratione in Pſalmum* 148. *jam ante laudata.*

Miſerrimus Judas! qui cum male crimen traditionis admiſerit, pejus illius criminis pœnitudinem geſſit. S. Fulgentius *Libro II. ad Euthymium de remiſſione peccatorum, cap.* 16.

Tribulationi cordis noſtri remedium miſerationis divinæ occurrit: & contra diffidentiæ malum firmiſſimæ ſpei adhibet conſolationem, promiſſionum divinarum certa nobis proponens exempla, quibus peccantium ſalutem ſe malle aſſerit, quam perditionem: quorumdam quoque correctionem ad animum reducens, quos etſi a ſtatu rectitudinis er-

ror ſubruit, conditoris tamen gratia in melius reformavit. Ecce gravium delictorum mole obrutus, & demeritorum qualitate diffiſus aſpicio Zacchæum; intueor Mariam, conſidero Petrum, perpendo latronem; in quibus miſerationis divinæ ſplendor apparuit, atque per eos ſpem veniæ peccantibus dedit. Hæ ſunt inæſtimabilis miſerationis Dei divitiæ, humano quidem generi a ſæculis abſconditæ, noviſſimis vero temporibus per Mediatorem Dei & hominum declaratæ! Quæ pro ſui immenſitate adeo incomprehenſibiles ſunt, ut in explanatione earum manus torpeat, fatiſcant ingenia, eloquentia conticeſcat. *Creditus* Gregorius M. *in Pſalmum 9. pœnitentialem.*

(Reprobus Judas) pejus de peccato pœnituit, quam peccavit. *Verus* Gregorius *Libro XI. Moralium, cap. 9.*

Quidquid igitur agendum ſit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine ſpes mea. Hæc mihi omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum: ſuſtinere ſe jactet pondus diei & æſtus: jejunare bis in ſabbatho dicat; poſtremo non eſſe ſicut ceteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Sperent in aliis alii; forte hic in ſcientia literarum, hic in aſtutia ſæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimentum feci, & ut ſtercora arbitror; quoniam tu es Domine ſpes mea. Speret qui vult in incerto divitiarum: ego vero ne ipſa quidem niſi abs te victui neceſſaria ſpero; nimirum verbo tuo confidens, in quo abjeci omnia: *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.* Nempe tibi derelictus eſt pauper; orphano tu eris adjutor. Si mihi præmia promit-

tun-

tuntur; per te obtinenda ſperabo: ſi inſurgant adverſum me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſum ſpiritum concupiſcat; in te ego ſperabo. Fratres! hoc ſapere, ex fide vivere eſt, nec alius ex ſententia dicere poteſt: *Quoniam tu es, Domine! ſpes mea*, niſi cui intus ſit perſuaſum a Spiritu, ut, quemadmodum monet Propheta, jactet cogitatum ſuum in Domino, ſciens quod enutriendus ſit ab eo, juxta illud quoque Petri Apoſtoli: *Omnem ſolicitudinem veſtram* projicientes in eum; ipſi enim cura eſt de vobis. Ut quid enim, ſi hæc ſapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias, & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei tota devotione animi, toto fervore Spiritus inhærere? Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt, quære alium, in quo ſperes! S. Bernardus *Sermone 9. in Pſalmum 90:* Qui habitat.

O quanta latronis fiducia! omnis mali, nullius boni conſcius ſibi, transgreſſor legis, vitæ ſimul & ſubſtantiæ raptor alienæ, poſitus in janius mortis, in fine vitæ deſperatus de vita præſenti, ſpem vitæ futuræ, quam toties demeruerat, nunquamque meruerat concipere, eam requirere non formidat! Quis hic deſperet, latrone ſperante? *Idem putatus, Tractatu de Paſſione, cap. 9.*

Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina clementia. Sit qui invocet, erit qui exaudiat: ſit quit pœniteat, non deerit qui indulgeat. Arnoldus, *Abbas bonæ Vallis, quem & Carnotenſem dicunt, Tractatu 2. de VII. verbis Domini.*

Et de Latrone exclamat: Simul & confitetur, & juſtificatur, & glorificatur! Vide horam! nota perſonam! *Ibidem inferius.*

Securum acceſſum homo jam habet ad Deum, ubi Mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Pa-

trem, & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus & vulnera; Mater Chriſto pectus & ubera. Nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & orant omni lingua diſertius hæc clementiæ monumenta, & charitatis inſignia. *Idem Tractatu de Laudibus Mariæ.*

CAPUT II.

Fontes.

S. ZENO *Sermone de Spe, Fide, & Charitate* eleganita quædam huc habet.

S BASILIUS M. *Regula* 13. *breviore, obiter ſed eleganter* de divina miſericordia, quam peccata exæquare nunquam poſſint.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione in eos, qui alios acerbius judicant, præclare.*

S. AMPHILOCHIUS *Oratione* 8. *de Pœnitentia, & non eſſe deſperandum.*

S. CHRYSOSTOMUS *Parœneſi utraque ad Theodorum,* ubi ſunt multa adverſus deſperationem emendationis & o quam dulciter, quam materne, quam pæne dixerim contra genium auſteriorem ſancti Doctoris perſcripta! *

Accedunt: *Liber* 1. *de Providentia ad Stagyrium.*

Homilia: Non eſſe deſperandum &c. Tomo III. Montfauconi.

Sermone de habenda cura ſalutis proximi.

Homilia 3, *nunc* 8. *de Pœnitentia, initio, præſtanter.*

Sermone 1. *de Reſurrectione mortuorum. Tomo II. novo,* omnia ſpebus agi, præſertim in futuris.

Homilia 2. *in Pſalmum* 50.

Pro-

* Similia etiam habes apud alios, quotquot fere ad lapſos ſcripſere.

Proœmio in Eſaiam.
Homilia 68. *in Matthæum.*
Homilia 24. *in Acta.*
Homilia 9. *in ad Romanos, ante Morale.*
Homilia 22. *in I. ad Corinthios.*
Homilia 31. *in ad Hebræos.*

S. Ambrosius *initio Sermonis* 11. *in Pſalmum* 118. de Spe, cum retardatur.

S. Hieronymus *Epiſtola* 46, *nunc* 122. *ad Ruſticum*, contra veniæ & emendationis deſperationem. *Idem* ſpe futurorum egregie lenit moleſtias præſentium *Epiſtola ſuppoſita ad Virginem in exilium miſſam, in Appendice.*

S. Augustinus *Libro de vera & falſa pœnitentia.*
Libro Soliloquiorum, cap. 23.
Libro de natura & gratia, cap. 25.
Libro XIII. de Trinitate, capitibus 10. *&* 16.
Libro de Agone chriſtiano, cap. 31. *obiter* in Catharos.
Epiſtola 120, *nunc* 140. *ad Honoratum.*
Enarratione in Pſalmum 39. *num.* 7. *fuſius.*

S. Proclus *Epiſtola ad Armenos de fide*, quod certitudo noſtræ ſpei omnem ali m certitudinem exſuperet.

S. Chrysologus *Sermone* 2, quam amanter pœnitentes excipiat Deus: *Sermone* 42, ubi mirum eſt elogium divinæ miſericordiæ: *Sermone* 71, ubi lenit dilationem & moram rei ſperatæ: *Sermone* 167, de venia a latrone vel in extremis obtenta.

S. Antiochus *Homiliis* 2. 27. 85.

S. Agobardus *Epiſtola de Spe & Timore, ad Ebbonem Rhemenſem.*

Amolo *de Spe & Fiducia Salutis.*

S. Paschasius Ratbertus *in Opere de Fide, Spe, & Charitate.*

S. Anselmus *in Opuſculo ad roborandam Spem.*

S. Bernardus *Sermonibus plerisque in Pſalmum* 90: Qui habitat.

Sermone in Purificatione B. Mariæ.

Sermone 3. *in Dominicam VI. poſt Pentecoſten, num.* 6.

Sermone de Aquæductu, ubi ſpeciatim de Spe in Deipara.

Sermone 13. *de diverſis, de triplici miſericordia, & quatuor miſerationibus.*

Sermone 38. *in Cantica*, ubi illud peculiare, quod detegat originem deſperationis.

S. Laurentius Justinianus *Tractatu de Spe, in Ligno vitæ.*

S. Thomas a Villa nova, *Tractatu de adventu, prorſus egregie* præcavet deſperationi.

Adde Titulos: *De Fiducia. De Timore. De Pœnitentia.* &c.

TITULUS LX.

De *Statibus*, diverſisque in Eccleſia viventium conditionibus.

CAPUT I.

Loci.

Pro *iis, qui ſe cauſa officii fere totos rebus alienis immiſcent, accommodatiſſimus eſt Laconiſmus ille* Tertulliani: Nemo alii naſcitur, moriturus ſibi. *Libro de Pallio, cap.* 5.

S Cyprianus *de Hiſtrione, qui ſumptibus Eccleſiæ alebatur, neque tamen alimento contentus cogi ſe ad inhoneſta cauſabatur:* quod ſi penuriam talis & neceſſitatem paupertatis obtendit, poteſt inter ceteros, qui alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, hujus quoque neceſſitas adjuvari. Si tamen contentus ſit frugalioribus & innocentibus cibis, nec putet ſalario ſe eſſe redimendum, ut a peccatis ceſſet; quando hoc

hoc non nobis, ſed ſibi præſtat. *Epiſtola 61. ad Euchratium.*

Ea quæ recte & cum laude gerimus a juſto & benigno rerum noſtrarum Judice ſemper ad vitæ noſtræ ſtudia atque inſtituta tanquam ad amuſſim quamdam exiguntur. Atque ita plerumque accidit ut qui in civili vita & in medio poſita aliquid honeſte & ex virtute fecerit, in meliori cauſa ſit quam qui a publicis muneribus feriatus officio ſuo non uſquequaque perfunctus fuerit. Quemadmodum, ut mea fert opinio, mirabilius eſt hominem compedibus vinctum nonnihil progredi, quam nullo onere impeditum currere: mirabilius item eum qui per cœnum incedat leviter aſpergi, quam eum qui pura via iter faciat, purum ab omni macula manere. S Gregorius Nazianzenus *Oratione 40. in ſanctum Baptiſma.*

Juſtitiæ quod majus & illuſtrius argumentum afferri poteſt, quam quod in magnis Reipublicæ muneribus verſatus ne teruncio quidem facultates ſuas auxerit? idque cum alios cerneret publicis bonis Briarei manus, ut dici ſolet, injicientes, ac malis lucris turgentes. Sic enim opes injuſtis artibus collectas voco. *Idem Oratione 19. in laudem patris.*

Cum aliæ rei familiaris augendæ laude, aliæ pietatis gloria excellant (utrumque enim aſſequi difficile eſt) utroque nomine mulieres omnes ſuperavit. Tum quod utrumque horum ad ſummum uſque præſtiterit: tum quod ſola duo iſta complexa fuerit. Rem enim domeſticam induſtria & ſolertia ſua ita auxit quaſi pietatem colere neſciret; Deo rurſum ac divinis rebus ita ſeſe addixit, tanquam a rerum domeſticarum procuratione plurimum abeſſet. Neque ab alterutro horum quidquam impedita eſt, quo minus alterum impleret;

ſcit? Nonne dicet: quæ utilitas in ſanguine meo, ſi damno quem ipſe ſalvavi? S. Ambrosius *Libro I. de Jacob & vita beata, cap.* 6.

Miſericordia tua ineffabilis eſt, nec ullis verbis explicari poteſt. S. Chrysostomus *creditus, Homilia* 2. *in Pſalmum* 50, *num.* 1.

Dic tantum, offendi: dic ex animo, & ſincera mente; & ſoluta ſunt omnia. Non adeo cupis remitti tibi peccata, ut ille cupit. *Idem Homilia* 36. *in Acta, num.* 3.

Pro clementia Domini hoc dico; quia magis ex hoc offendit Deum (Judas) quia ſe ſuſpendit, quam quia Dominum prodidit. S. Hieronymus *in Pſalmum* 108.

Sic time Dominum, ut ſperes in miſericordia ejus . . . Si . . times Deum, & ideo times Deum, quia peccator es; quo accepturus es auxilium adverſus Deum? Quo iturus es? quid facturus? Vis ab illo fugere? Ad ipſum fuge. Vis fugere ab irato! fuge ad placatum. Placabis autem eum, ſi ſperes in miſericordia ipſius. S. Augustinus *Enarratione in Pſalmum* 146. *num.* 20.

Grave vulnus, lethale, mortiferum! ſed omnipotens medicus. *Idem Sermone* 352, *alias Homilia* 27. *ex* 50. *num.* 8.

Major eſt Dei miſericordia, quam noſtra miſeria. *Idem creditus, Libro de Spiritu. & anima.*

Quid aliud eſt deſperare, quam Deum ſibi comparare? Nam qui de Deo non præſumit veniam, non animadvertit, plus peccato ſuo Dei poſſe clementiam. Si enim ſentiret, Deum magis bonum, quam ſe malum; quidquid in ſe juſtitiæ non inveniret, a Deo magis bono expectaret. Et quidem diffidit, quia ſummi boni bonitatem majorem ſua nequitia non ſentit. Ille enim ſolus diffidat, qui tantum peccare poteſt, quantum Deus bonus eſt. Cum ſit autem nullus, qui hoc poſſit; qui timet de

ſe

ſe malo, præſumat de meliore. *Idem creditus, Libro de vera & falſa pœnitentia, cap* 5.

Qui promiſit, Deus eſt. *Idem Enarratione in Pſalmum* 148. *num.* 8.

Quis dubitat, daturum amicis vitam ſuam, pro quibus inimicis dedit mortem ſuam? *Idem Libro XIII. de Trinitate, cap.* 16. Et pulchrius *laudata Enarratione in Pſalmum* 148. *numero eodem:* Chriſtus, ait Apoſtolus, pro impiis mortuus eſt. Qui donavit impiis mortem ſuam, quid ſervat juſtis niſi vitam ſuam?

Tales arrhas accepimus! tenemus mortem Chriſti! Erigat ergo ſe humana fragilitas; non deſperet, non ſe collidat, non ſe avertat, non dicat: Non ero beatus. Quid enim tibi promiſit Deus, homo mortalis? Quod victurus es in æternum. Non credis? crede, crede; plus eſt jam quod fecit, quam quod promiſit. Quid fecit? mortuus eſt pro te. Quid promiſit? ut vivas cum illo. Incredibilius eſt, quod mortuus eſt æternus, quam ut vivat in æternum mortalis. Jam, quod incredibilius, tenemus. Si propter hominem mortuus eſt Deus, non eſt victurus homo cum Deo? Non eſt victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus eſt, qui vivit in æternum? *Idem Enarratione in Pſalmum* 148. *jam ante laudata.*

Miſerrimus Judas! qui cum male crimen traditionis admiſerit, pejus illius criminis pœnitudinem geſſit. S. FULGENTIUS *Libro II. ad Euthymium de remiſſione peccatorum, cap.* 16.

Tribulationi cordis noſtri remedium miſerationis divinæ occurrit: & contra diffidentiæ malum firmiſſimæ ſpei adhibet conſolationem, promiſſionum divinarum certa nobis proponens exempla, quibus peccantium ſalutem ſe malle aſſerit, quam perditionem: quorumdam quoque correctionem ad animum reducens, quos etſi a ſtatu rectitudinis er-

ror ſubruit, conditoris tamen gratia in melius reformavit. Ecce gravium delictorum mole obrutus, & demeritorum qualitate diffiſus aſpicio Zacchæum; intueor Mariam, conſidero Petrum, perpendo latronem; in quibus miſerationis divinæ ſplendor apparuit, atque per eos ſpem veniæ peccantibus dedit. Hæ ſunt inæſtimabilis miſerationis Dei divitiæ, humano quidem generi a ſæculis abſconditæ, noviſſimis vero temporibus per Mediatorem Dei & hominum declaratæ! Quæ pro ſui immenſitate adeo incomprehenſibiles ſunt, ut in explanatione earum manus torpeat, fatiſcant ingenia, eloquentia conticeſcat. *Creditus* Gregorius M. *in Pſalmum* 9. *pœnitentialem.*

(Reprobus Judas) pejus de peccato pœnituit, quam peccavit. *Verus* Gregorius *Libro XI. Moralium*, *cap.* 9.

Quidquid igitur agendum ſit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine ſpes mea. Hæc mihi omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum: ſuſtinere ſe jactet pondus diei & æſtus: jejunare bis in ſabbatho dicat; poſtremo non eſſe ſicut ceteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Sperent in aliis alii; forte hic in ſcientia literarum, hic in aſtutia ſæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimentum feci, & ut ſtercora arbitror; quoniam tu es Domine ſpes mea. Speret qui vult in incerto divitiarum: ego vero ne ipſa quidem niſi abs te victui neceſſaria ſpero; nimirum verbo tuo confidens, in quo abjeci omnia: *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.* Nempe tibi derelictus eſt pauper; orphano tu eris adjutor. Si mihi præmia promittun-

tuntur; per te obtinenda ſperabo: ſi inſurgant adverſum me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſum ſpiritum concupiſcat; in te ego ſperabo. Fratres! hoc ſapere, ex fide vivere eſt, nec alius ex ſententia dicere poteſt: *Quoniam tu es, Domine! ſpes mea*, niſi cui intus ſit perſuaſum a Spiritu, ut, quemadmodum monet Propheta, jactet cogitatum ſuum in Domino, ſciens quod enutriendus ſit ab eo, juxta illud quoque Petri Apoſtoli: *Omnem ſolicitudinem veſtram* projicientes in eum; ipſi enim cura eſt de vobis. Ut quid enim, ſi hæc ſapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias, & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei tota devotione animi, toto fervore Spiritus inhærere? Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt, quære alium, in quo ſperes! S. Bernardus *Sermone* 9. *in Pſalmum* 90: Qui habitat.

O quanta latronis fiducia! omnis mali, nullius boni conſcius ſibi, transgreſſor legis, vitæ ſimul & ſubſtantiæ raptor alienæ, poſitus in januis mortis, in fine vitæ deſperatus de vita præſenti, ſpem vitæ futuræ, quam toties demeruerat, nunquamque meruerat concipere, eam requirere non formidat! Quis hic deſperet, latrone ſperante? *Idem putatus, Tractatu de Paſſione, cap.* 9.

Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina clementia. Sit qui invocet, erit qui exaudiat: ſit quit pœniteat, non deerit qui indulgeat. Arnoldus, *Abbas bonæ Vallis, quem & Carnotenſem dicunt, Tractatu* 2. *de VII. verbis Domini.*

Et de Latrone exclamat: Simul & confitetur, & juſtificatur, & glorificatur! Vide horam! nota perſonam! *Ibidem inferius.*

Securum acceſſum homo jam habet ad Deum, ubi Mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Pa-

trem, & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus & vulnera; Mater Chriſto pectus & ubera. Nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & orant omni lingua diſertius hæc clementiæ monumenta, & charitatis inſignia. *Idem Tractatu de Laudibus Mariæ.*

CAPUT II.

Fontes.

S. ZENO *Sermone de Spe, Fide, & Charitate* elegantia quædam huc habet.

S BASILIUS M. *Regula* 13. *breviore, obiter ſed eleganter* de divina miſericordia, quam peccata exæquare nunquam poſſint.

S. GREGORIUS NYSSENUS *Oratione in eos, qui alios acerbius judicant, præclare.*

S. AMPHILOCHIUS *Oratione* 8. *de Pœnitentia, & non eſſe deſperandum.*

S. CHRYSOSTOMUS *Parœneſi utraque ad Theodorum,* ubi ſunt multa adverſus deſperationem emendationis & o quam dulciter, quam materne, quam pæne dixerim contra genium auſteriorem ſancti Doctoris perſcripta! *

Accedunt: *Liber* 1. *de Providentia ad Stagyrium.*

Homilia: Non eſſe deſperandum &c. Tomo III. Montfauconi.

Sermone de habenda cura ſalutis proximi.

Homilia 3, *nunc* 8. *de Pœnitentia, initio, præſtanter.*

Sermone 1. *de Reſurrectione mortuorum. Tomo II. novo,* omnia ſpebus agi, præſertim in futuris.

Homilia 2. *in Pſalmum* 50.

Pro-

* Similia etiam habes apud alios, quotquot fere ad lapſos ſcripſere.

Proœmio in Eſaiam.
Homilia 68. *in Matthæum.*
Homilia 24. *in Acta.*
Homilia 9. *in ad Romanos, ante Morale.*
Homilia 22. *in I. ad Corinthios.*
Homilia 31. *in ad Hebræos.*

S. Ambrosius *initio Sermonis* 11. *in Pſalmum* 118. de Spe, cum retardatur.

S. Hieronymus *Epiſtola* 46, *nunc* 122. *ad Ruſticum*, contra veniæ & emendationis deſperationem. *Idem* ſpe futurorum egregie lenit moleſtias præſentium *Epiſtola ſuppoſita ad Virginem in exilium miſſam, in Appendice.*

S. Augustinus *Libro de vera & falſa pœnitentia.*
Libro Soliloquiorum, cap. 23.
Libro de natura & gratia, cap. 25.
Libro XIII. de Trinitate, capitibus 10. *&* 16.
Libro de Agone chriſtiano, cap. 31. *obiter* in Catharos.
Epiſtola 120, *nunc* 140. *ad Honoratum.*
Enarratione in Pſalmum 39. *num.* 7. *fuſius.*

S. Proclus *Epiſtola ad Armenos de fide*, quod certitudo noſtræ ſpei omnem ali m certitudinem exſuperet.

S. Chrysologus *Sermone* 2, quam amanter pœnitentes excipiat Deus: *Sermone* 42, ubi mirum eſt elogium divinæ miſericordiæ: *Sermone* 71, ubi lenit dilationem & moram rei ſperatæ: *Sermone* 167, de venia a latrone vel in extremis obtenta.

S. Antiochus *Homiliis* 2. 27. 85.

S. Agobardus *Epiſtola de Spe & Timore, ad Ebbonem Rhemenſem.*

Amolo *de Spe & Fiducia Salutis.*

S. Paschasius Ratbertus *in Opere de Fide, Spe, & Charitate.*

S. Anselmus *in Opuſculo ad roborandam Spem.*

hoc non nobis, ſed ſibi præſtat. *Epiſtola 61. ad Euchratium.*

Ea quæ recte & cum laude gerimus a juſto & benigno rerum noſtrarum Judice ſemper ad vitæ noſtræ ſtudia atque inſtituta tanquam ad amuſſim quamdam exiguntur. Atque ita plerumque accidit ut qui in civili vita & in medio poſita aliquid honeſte & ex virtute fecerit, in meliori cauſa ſit quam qui a publicis muneribus feriatus officio ſuo non uſquequaque perfunctus fuerit. Quemadmodum, ut mea fert opinio, mirabilius eſt hominem compedibus vinctum nonnihil progredi, quam nullo onere impeditum currere: mirabilius item eum qui per cœnum incedat leviter aſpergi, quam eum qui pura via iter faciat, purum ab omni macula manere. S GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione 40. in ſanctum Baptiſma.*

Juſtitiæ quod majus & illuſtrius argumentum afferri poteſt, quam quod in magnis Reipublicæ muneribus verſatus ne teruncio quidem facultates ſuas auxerit? idque cum alios cerneret publicis bonis Briarei manus, ut dici ſolet, injicientes, ac malis lucris turgentes. Sic enim opes injuſtis artibus collectas voco. *Idem Oratione 19. in laudem patris.*

Cum aliæ rei familiaris augendæ laude, aliæ pietatis gloria excellant (utrumque enim aſſequi difficile eſt) utroque nomine mulieres omnes ſuperavit. Tum quod utrumque horum ad ſummum uſque præſtiterit: tum quod ſola duo iſta complexa fuerit. Rem enim domeſticam induſtria & ſolertia ſua ita auxit quaſi pietatem colere neſciret; Deo rurſum ac divinis rebus ita ſeſe addixit, tanquam a rerum domeſticarum procuratione plurimum abeſſet. Neque ab alterutro horum quidquam impedita eſt, quo minus alterum impleret;

 quin

lege tua quæ Dei non potes. S. Hieronymus *Epiſtola 22. ad Euſtochium.*

Nihil nocuit militanti paludamentum & baltheus, & apparitorum catervæ; quia ſub habitu alterius alteri militabat. Sicut e contrario aliis nihil prodeſt vile palliolum, furva tunica, corporis illuvies, & ſimulata paupertas, ſi nominis dignitatem operibus deſtruant. *Idem Epiſtola 79, alias 9. ad Salvinam, de Nebridio, ejus Marito.*

Duo autem ſunt genera mandatorum, in quibus clauditur tota juſtitia. Prohibendi unum eſt, jubendi alterum. Ut enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona. Ibi otium imperatur, hic ſtudium: ibi coërcetur animus, hic incitatur: hic feciſſe, illic non feciſſe culpabile eſt. Hoc itaque duplex diverſumque præceptum, prohibendi ſcilicet & imperandi æquo omnibus jure mandatum eſt. Non virgo, non vidua, non nupta ab hoc imperio libera eſt. In quovis propoſito, in quovis gradu æquale peccatum eſt vel prohibita admittere, vel juſſa non facere. *Idem putatus, Epiſtola ad Celantiam, in Appendice, olim 14.*

Hæc vitia hominis non ſunt artis, quæ ſine his vitiis agi poteſt. S. Augustinus *Concione 1. in Pſalmum 70.*

Idem de junioribus, ad aliquod officium accedentibus: Ita ſerviant, ut eis dominari pudeat; ita dominentur, ut eis ſervire delectet. *Libro II. de Ordine, cap. 8.*

Quæ mundi Nobilitas, qui Honores, quæ Dignitas, quæ Sapientia, quæ Facundia, quæ Literæ non ſe jam ad hanc cœleſtis regni militiam contulerunt? S. Eucherius *in Parœneſi ad Valerianum.*

S. Chrysologus *de S. Joanne, qui neque publicanos neque milites juſſit deſerere conditionem ſuam, ſed tantum vitia ſuæ conditionis:* Beatus Joannes, *ait,*

ſic

ſic divina docuit, ut non turbaret humana. Inſtituit Rempublicam, non dimovit. *Sermone* 138.

In monaſteria admittuntur homines ſpe proficiendi; at officia bonos facilius recipiunt, quam faciunt. Quare ad ea viros probatos oportet deligi, non probandos. S. Bernardus *Libro IV. de Conſideratione*, *cap.* 5.

Mundum diligis, & Deum relinquis: omnium recordaris, & te ipſum obliviſceris. *Idem Sermone ſuppoſititio*, *de miſeria humana*, *in Appendice.*

Soli te negas tibi. *Idem Libro & cap. jam laudatis de Conſideratione.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Justinus *Epiſtola ad Diognetum, egregie* oſtendit, qunmodo majores noſtri, primi Chriſtiani, ita religioni vacarent, ut tamen neque officiis ſuis reipublicæ deeſſent. Idem occurrit ſæpius apud alios Apologiſtas, præcipue Tertullianum, qui & *Libro de Idololatria, cap.* 11. de abuſu negotiationis commemorat.

S. Basilius M. *Sermone de Abdicatione rerum*, ubi docet virtutem nullo certo ſtatui alligatam. *Idem* videndus *Regulis fuſioribus* 24. & 41. de diverſis officiis, & functionibus Religioſorum.

S Gregorius Nazianzenus habet *Carmen*, cui titulus: *Diverſorum vitæ generum beatitudines. Oratione* 19. *in laudem Patris* ſupra citata, ubi plura ſuperſunt huc pertinentia. *Oratione* 9, ubi prorſus egregie de ſtatuum variorum varia recte agendi ratione. *Oratione* 11. *in laudem ſororis ſuæ Gorgoniæ*, de ſtatu mulierum matrimonio junctarum.

S. Gregorius Nyssenus *Oratione* 1. *de Oratione Dominica*, unde ſcelera diverſorum ſtatuum.

S. Ambrosius *præter Sermonem laudatum Libris III. de*

III. de Officiis: Libro de fuga Sæculi, & Libro de Joſeph, cap. 4, ubi de Servis. Adde *Commentarium in Caput 3. Lucæ.*

S. Chrysostomus *Homilia 19. ad Populum,* de ruricolis, *egregie.*

Concione 3. de Lazaro, ad initium, conditionem ſæcularium nequaquam eximi a probitate ſectanda.

Homilia 43. in Geneſin.

Homilia in Pſalmum 6.

Homilia 2. in Matthæum, ſub finem, vehementer.

Homilia 18. in Matthæi Cap. 11. ubi de diverſitate vitæ Chriſti & Joannis.

Homilia 60. in Matthæum, de non ſpernendis tenuioribus, *verſus finem, præclare.*

Homilia 20. de diverſis in Matthæum locis (neſcio, quo nunc rejecta in editione Montfauconi) *fuſe* de Peccatis ſingulorum ſtatuum.

Homiliis 6. & 20. in I. ad Corinthios, de ſtatu opificum & mercenariorum.

Homilia 21. in ad Epheſios.

Homilia 12. in ad Philippenſes.

Homilia in II. ad Timotheum, nulli ſtatui deeſſe moleſtias.

Homilia 7. in ad Hebræos, ad finem.

Sermone contra Judæos, Gentiles &c. in ſuo quemlibet ſtatu perfectum & ſanctum poſſe fieri.

Adde *Librum III. adverſus Oppugnatores vitæ monaſticæ:* Et *Ecloga de virtute & vitio præclare.*

S. Hieronymus *Epiſtola 3, nunc 60. ad Heliodorum, cap. 6.* de militibus, atque Præfectis: *Epiſtola 145, aliàs 35. ad Exuperantium:* Et *Epiſtola citata ad Sabinam,* ubi maritum illius etiam ut aulicum

licum exhibet. Adde præſtantem *Epiſtolam ad Celantiam, apud eundem,* de officio Matrisfamilias.

S. AUGUSTINUS *Libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, præclare,* quomodo Eccleſia ſingulos ſtatus perficiat, *pluribus capitibus.* Adde *Sermonem* 96, *alias* 47. *de diverſis Statibus,* & *Locum citatum in Pſalmum* 70, ubi docet mercaturam minime malam eſſe.

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro V. Epiſtola* 98, de Agricolis.

S. CHRYSOLOGUS *Sermone* 26. *de fideli diſpenſatore,* ubi varios percurrit ſtatus.

S. LEO *Epiſtola* 92, *nunc* 2. *ad Ruſticum, Narbonenſem Epiſcopum,* de Mercatoribus.

SALVIANUS *Libro* 3. *de gubernatione Dei, ad finem,* de ſceleribus quorumcunque ſtatuum, *ſingulatim & vehementer.*

S. GREGORIUS M. *Homilia* 36. *in Evangelia,* de ſtatu Sæcularium: maxime vero *Parte III. Paſtoralis Curæ, a capite* 2. *ad* 42.

JONAS AURELIANENSIS *Libro III. de Inſtitutione Laicali ad Mathfredum,* quibus omnes laicos ad rite inſtituendam vitam cohortatur. Adde ejusdem *Opuſculum de inſtitutione regia,* eodem ſtilo, methodoque conſcriptum. Natalis Alexander *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sæculo IX. & X. cap* 3 *Artic.* 7. cum epitomen eorum dediſſet, iſtuc ſubdit: *Hoc ſpecimen Librorum Jonæ Aurelianenſis de Inſtitutione Laicali, quorum lectionem concionatoribus noſtris vehementer ſuadeo.*

S. BERNARDUS *Libro* 1. *de Conſideratione, præſertim cap.* 5. quam maxime huc facit. *Idem* in *Apologia ad Guilielmum Abbatem* de diverſitate Religioſorum legendus eſt.

MAPHEUS VEGIUS LAUDENSIS *Libro VI. de Educatione Liberorum, cap.* 4.

Adde Titulos: *Bellum. Magiſtratus. Matrimonium. Sacerdos. Religioſus. Religioſus. Virgo. Vidua. Epiſcopus*, & præcipue *Electio Status.*

TITULUS LXI.

De *Superbia.*

CAPUT I.

Loci.

Nec in cœlo potuit ſtare ſuperba ſublimitas. S. Cyprianus *creditus, Sermone de Nativitate Domini.*

A quibuslibet lapſibus delictorum facile ſurgitur, quando opem a reparatore ſuo poſcit eliſus; huic autem ruinæ nihil ſubvenit, quia aut difficile peccatum ſuum ſuperbus agnoſcit, aut etiamſi intellexerit, non currit ad medicum, ſed de ſe ſibi remedium pollicetur. Nec unquam ibi proficit cura, ubi morbus eſt ipſa medicina. S. Ambrosius *creditus, Epiſtola ad Demetriadem, quæ & apud Proſperum habetur.*

Arrogans & ſuperbus omnium vult eſſe maximus, neminemque ſe dignum eſſe dicit: & quantumcunque honoris conſequatur, majorem ſemper requirit & ambit, ac nihil ſe conſecutum arbitratur; ſed ſpernit homines, illorumque honorem requirit. Quo quid irrationabilius eſſe poſſit. Etenim illud ænigmati ſimile eſt. Quos enim deſpicit, ab illis gloriam quærit! Viden' quo pacto is, qui ſe altius extollit, decidit, atque humi jacet? S. Chrysostomus *Homilia 66 in Matthæum.*

Deus ſuperbis reſiſtit. Vide, frater, quale malum ſit, quod adverſarium Deum habes! S. Hieronymus *Epiſtola 45, nunc 12. ad Antonium.*

Si extollis te, Deus dejicit te; Si tu dejicis te, Deus

Deus elevat te. Sententia Domini eſt, nec addi aliquid, nec detrahi poteſt. S. AUGUSTINUS *Sermone* 354, *alias* 53. *de verbis Domini*, *cap.* 8.

Quid tam opus habens miſericordia, quam miſer? Et quid tam indignum miſericordia, quam ſuperbus miſer? *Idem Libro de libero arbitrio, cap.* 10.

Magna miſeria ſuperbus homo! ſed major miſericordia humilis Deus! *Idem Libro de catechizandis rudibus*, *cap.* 4.

Propter hoc vitium, propter hoc magnum ſuperbiæ peccatum Deus humilis venit. Hæc cauſa, hoc peccatum magnum, iſte ingens morbus animarum omnipotentem medicum de cœlo deduxit, uſque ad formam ſervi humiliavit, contumeliis egit, ligno ſuſpendit; ut per ſalutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubeſcat homo eſſe ſuperbus, propter quem factus eſt humilis Deus. *Idem Enarratione* 2. *in Pſalmum* 18.

Quæ ſuperbia ſanari poteſt, ſi humilitate filii Dei non ſanatur! *Idem Libro de Agone chriſtiano, cap.* 11.

Quo primo vitio lapſa eſt anima, hoc ultimum vincit. *Idem Enarratione in Pſalmum* 7, *ante medium.* Et pulchrius *Enarratione* 1. *in Pſalmum* 18: Hoc eſt ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.

Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior efficeris. Cetera enim vitia creſcunt vitiis, vanitas virtutibus. S. EUCHERIUS *Paræneſi ad Valerianum.*

Qui de perfectione ſe erigit, habere ſe bene vivendi nec initium oſtendit. S. GREGORIUS M. *Libro IX. Moralium*, *cap.* 3.

Qui acceptis virtutibus extollitur, non gladio ſed medicamento vulneratur. Quid enim eſt virtus, niſi medicamentum? Et quid eſt vitium, niſi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus faci-

facimus, facit ille de vulnère medicamentum; ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in uſum vitiorum; ille vitiorum illecebras aſſumit in artem virtutum, & ſalutis ſtatum percutit; ut qui humilitatem currentes fugimus, ei ſaltem cadentes hæreamus. *Idem Libro XXXIII. eorundem Moralium*, *cap.* 12. Et *Libro XXVI. cap.* 17: Multis ſæpe ſuperbia luxuriæ ſeminarium fuit; quia dum eos ſpiritus in altum erexit, caro in infimis merſit. Hi enim prius ſecreto elevantur, ſed poſtmodum publice corruunt; quia dum occultis intumeſcunt motibus cordis, apertis cadunt lapſibus corporis. Sic, ſic elati fuerant, juſta retributione feriendi, ut qui ſuperbientes ſe hominibus præferunt, luxuriando uſque ad jumentorum ſimilitudinem devolvantur. *Homo* quippe, *cum in honore eſſet, non intellexit. Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

Alia vitia eas ſolummodo virtutes impetunt, quibus ipſa deſtruuntur; ut videlicet ira patientiam, gaſtrimargia abſtinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra ſe erigit, & quaſi generalis ac peſtifer morbus corpus omne corrumpit; ut quidquid illa invadente agitur, etiamſi eſſe virtus oſtenditur, non per hoc Deo, ſed ſoli vanæ gloriæ ſerviatur. *Idem Libro XXXIV. Moralium*, *cap.* 23.

Evidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbia eſt; at contra humilitas electorum. *Idem eodem Libro & capite*, *in fine.*

Principalium ſeptem vitiorum regina & mater eſt ſuperbia, quæ omnium deterior tanto in imo jacet, quanto in altum ſe erigit... Superbia ſicut eſt origo omnium criminum, ita ruina cunctarum

virtutum. Ipſa eſt in peccato prima, in conflictu poſtrema. *Creditus* Bernardus, *Tractatu de Ordine vitæ, cap.* 9.

Videas pleroſque in Eccleſia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos ſubito intumeſcere, priſtinæ oblviſci abjectionis, genus quoque ſuum erubeſcere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines pecunioſos ad honores quoque eccleſiaſticos pervolare, moxque ſibi applaudere ſanctitatem; veſtium duntaxat mutatione, non mentium: & dignos ſe æſtimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt: quodque (ſi audeo dicere) adepti ſunt nummis, attribuere meritis. Omitto autem de his, quos excæcat ambitio, & honor ipſe ſuperbiendi eis materia eſt; ſed video, quod magis doleo, poſt ſpretam ſæculi pompam nonnullos in ſchola humilitatis ſuperbiam magis addiſcere, ac ſub alis mitis humiliſque magiſtri gravius inſoleſcere, & impatientes amplius fieri in clauſtro, quam fuiſſent in ſæculo: quodque magis perverſum eſt, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſua non niſi contemptibiles eſſe potuerunt; ut quia videlicet ubi a pluribus honores appetuntur, ipſi locum habere non meruerunt, ſaltem ibi honorabiles eſſe videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur, *Idem, ſed verus, Sermone* 4. *ſuper:* Miſſus eſt.

Intolerabilis impudentiæ eſt, ut ubi ſeſe exinanivit majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat. *Idem Sermone* I. *in Natali Domini, initio.*

CAPUT II.

Fontes.

S. Ephræm *Sermone ad everſionem ſuperbiæ. Tomo I. novo.*

S. Basilius M. *Homilia* 20. *de humilitate: Homilia*

milia 3. *in illud:* Attende tibi ipſi. *Et Homilia* 21, *quod rebus mundanis adhærendum non ſit.*

S. Gregorius Nazianzenus *habet Carmen de virtute humana*, quod huc facit.

S. Gregorius Nyssenus *Libro de Opificio hominis, & Oratione* 2. *de Beatitudinibus. præclare.*

S. Chrysostomus *Homilia* 8. *in Pſalmum* 122.

Homilia 2. *de Prophetarum obſcuritate.*

Homilia 4, *de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum.

Homiliis 15. 59. *&* 66. *in Matthæum.*

Homilia 6. *ex variis in Matthæum locis.*

Homiliis 17. *&* 20. *in ad Romanos.*

Homilia in illud Epiſtolæ I. ad Corinthios: Nolo vos ignorare.

Homilia 7. *in ad Philippenſes*, bruta magis extollere ſe poſſe propter ea, quibus nos inflamur.

Homilia 1. *in II. ad Theſſalonicenſes.*

Adde auctorem operis imperfecti apud eundem, Homilia 15. *in Matthæum.*

S. Augustinus *Libro XIV. de Civitate, cap.* 13: *Sermone* 354, *alias* 53. *de verbis Domini.*

S. Cassianus *Libro XII. de Inſtitutis Renuntiantium toto.* Nota præcipue *caput* 7.

S. Paulinus *Epiſtola* 21, *nunc* 12. *ad Amandum*, Superbiam quamdam bonam, & humilitatem malam dari.

S. isidorus Pelusiota *Libro II. Epiſtola* 18, in ſuperbientes propter ſcelera, quæ perpetrarunt.

Eusebius Gallicanus *Sermone exhortatorio contra diverſa vitia, a verbis:* In hoc ſolo videatur eſſe elatio.

S. Nilus *de octo vitioſis cogitationibus.*

S. Prosper *Epiſtola ſuppoſita ad Demetriadem*, quæ eſt tota *de humilitate christiana.*

S. Sidonius Apollinaris *præclare Libro VII. Epiſtola* 14.

Julianus Pomoerius *Libro III. de vita contemplativa, cap. 2. vehementer.*

S. Joannes Climacus *Gradu* 23.

S. Martinus Bracarensis *Libro de ſuperbia & humilitate*, quem editurum ſe promiſit Cardinalis d'Aguirre.

S. Gregorius M. *ſæpiſſime, præſertim in Libris Moralium.*

S. Isidorus Hispalensis *Libro II. Sententiarum, cap.* 38.

S. Antiochus *Homiliis* 44. 45. 46. 47.

S. Bernardus *Libro de gradibus humilitatis & ſuperbiæ: Sermone* 14. *de diverſis, de ſeptem donis Spiritus Sancti:* Et *fuſius Homilia* 37. *in Cantica.*

S. Laurentius Justinianus *in Ligno vitæ de humilitate ſpeciatim & fuſe agit.*

Plura, eaque præſtantia dant *Tituli: Ambitio. Humilitas. Gratia &c.*

TITULUS LXII.

De *Superſtitionibus.*

CAPUT I.

Loci.

Venefici plane (ſunt dæmones) & circa curas valetudinum. Lædunt enim primo; dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, ſive contraria; poſt quæ deſinunt lædere, & curaſſe creduntur. Tertullianus *in Apologetico, cap.* 22.

Melius eſt ignorare, quam a dæmonibus diſcere. Origenes *Homilia* 16. *in Numeros.*

Fiunt miſeris & religioſa delicta. S. Cyprianus *Epiſtola* 2. *ad Donatum.*

Prodeſſe eos putant, cum nocere deſinunt, qui nihil aliud poſſunt, quam nocere. Lactantius *Libro II. divinarum Inſtitutionum, cap.* 15.

S. Ba-

S. Basilius *falſiſſime in eos, qui augurantur ex volatu avium:* Ac quidem avis, quæ periculum ſibi impendens & ob oculos poſitum non novit, tibi eſt futurum prædicatura! *Id Caput 2. Eſaiæ, ad verſum 6.*

Quæ ſua ſunt, neſciunt: & quomodo aliena noverunt? Quid ſibi immineat, ignorant: quomodo poſſunt aliis quæ futura ſunt denuntiare? Ridiculum eſt credere; quia ſi poſſent, ſibi potius providerent. S. Ambrosius *Libro IV. Hexaemeron, cap. 4.*

Quin ego quidem illud longe mirabilius dicam: etiamſi vere ſanarent, ſatius tamen eſſet emori, quam ad Chriſti hoſtes accurrere, & hoc modo ſanari. Quid enim prodeſt curare corpus, anima pereunte? S. Chrysostomus *Oratione 8. contra Judæos, numero 5.*

Et quod gravius eſt errore, quando hæc admonemus & diſſuademus, putantes ſe excuſari, dicunt: chriſtiana eſt mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur, quam Dei nomen. Propterea namque potiſſimum ipſam odi & averſor, quod Dei nomine ad contumeliam utatur: quod, ſe dicens eſſe chriſtianam, Gentilium opera faciat. *Idem Homilia 21. ad populum, nunc catecheſi 2, ad illuminandos, Tomo II. novo, in fine Sermonis.*

Quidnam ergo eſt hoc ridiculum? Quod quidem nihil eſſe videtur, ideoque ingemiſco; ſed eſt principium inſaniæ & extremæ dementiæ. Lutum mulieres in balneo accipientes, nutrices & ancillæ digito tingentes, in pueri fronte imprimunt; & ſi quis interroget: quid ſibi vult lutum, quid cœnum? Malum avertit oculum, inquiunt, livoremque & invidiam. Papæ! quanta vis luti, quanta cœni poteſtas! tanta, ut totam diaboli aciem profliget. Non pudore, quæſo, ſuffundemini? non vel ſero tandem diaboli laqueos intelligetis, quo-

modo ab ineunte ætate machinas ſuas paulatim inducat? Nam ſi lutum hoc faciat, cur non tu in fronte tua idipſum facis, cum vir ſis & plena ætate, & plus quam puer invidos habeas? Cur non luto illinis totum corpus? nam ſi in fronte tantam habet virtutem; cur non te totum luto inungis? Hæc ſunt riſus & comœdia ſatanica, quæ non ad irriſionem tantum, ſed ad gehennam præcipitat eos, qui decipiuntur. Certe quod apud Græcos talia fiant, mirum non eſt; quod autem apud eos, qui Crucem adorant, & myſteriorum arcanorum participes ſunt, & tanta philoſophantur, id certe multis lacrimis eſt dignum. Deus te unguento ſpirituali honoravit; & tu luto filium deturpas? Deus te decoravit; & tu teipſum dedecoras: & cum oporteret in fronte crucem adſcribere, quæ inſuperabilem tutelam præbet; tu his demiſſis in ſatanicam amentiam decidis? *Idem Homilia* 12. *in I. ad Corinthios.*

Idem de ſimilibus impoſturis præclare Homilia 8. *in ad Coloſſenſes:* Hæc eſt cogitatio ſatanica, hæ ſunt diabolicæ inſidiæ, tegere errorem, & in melle dare venenum. Quoniam novit, ſe illa hac via non perſuaſurum, ingreſſus eſt ad amuleta & aniles fabulas. Et Crux quidem affecta eſt ignominia; literæ autem * in majori honore ſunt habitæ. Chriſtus fuit ejectus & introducitur anus ebria, & delirans. Conculcatum eſt noſtrum myſterium, & choros ducit fraus diaboli!

Si in porcos non ſunt auſi intrare dæmones, niſi a Deo permiſſionem acciperent; quis ita erit infidelis, ut eos bonos chriſtianos credat poſſe lædere, niſi Deus propria diſpenſatione permitteret? S. AUGUSTINUS *Libro de Geneſi ad literam, cap.* 17.

Quam multi cum remediis mortui ſunt: & quam

* Magicæ.

quam multi ſine remediis vixerunt? *Idem Tractatu 7. in Joannem, num.* 7.

Auctor *Operis imperfecti* de Evangeliis circa collum geſtatis falſiſſime: Nonne quotidie Evangelium in Eccleſia legitur, & auditur ab hominibus? Cui ergo in auribus poſita Evangelia nihil proſunt; quomodo eum poterunt circa collum ſuſpenſa ſalvare? Deinde ubi eſt virtus Evangelii? in figuris literarum, an in intellectu ſenſuum? Si in figuris, bene circa collum ſuſpendis: ſi in intellectu, ergo melius in corde poſita proſunt, quam circa collum ſuſpenſa. *Homilia* 43. *in Matthæum.*

Occidebatur pecus, ut, quod vivum nihil ſcierat, divinaret occiſum, & loqueretur ea vibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prolocutum. S. Chrysologus *Sermone* 6.

Quid poſſunt præſumere dæmones, qui nec porcos quidem contingere prævalent, niſi eis poteſtas divina permiſerit? Miſer eſt, qui relicto judice fruſtra carnificis requirit favorem, qui nec vexare, nec parcere: nec minuere poteſt tormenta, nec addere? ſed facit totum addictus ipſe verbero ad jus & arbitrium judicantis. *Idem Sermone* 17.

Habet hoſtis antiquus multos ex eis, quos tenacius obligavit, aptos ſuis artibus, quorum ad alios decipiendos & ingeniis utatur & linguis. Per iſtos remedia ægritudinum, indicia futurorum, placationes dæmonum & depulſiones promittuntur umbrarum. Adduntur & illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de ſtellarum pendere affectibus mentiuntur; & quod eſt aut divinæ voluntatis aut noſtræ, indeclinabilium dicunt eſſe fatorum. Quæ tamen, ut cumulatius noceant, ſpondent poſſe mutari, ſi illis quæ adverſantur ſyderibus ſupplicetur. Unde commentum impium ſua ratione deſtruitur; quia ſi prædicta non permanent, non ſunt fata metuen-

tuenda: ſi permanent, non ſunt aſtra veneranda. S. Leo *Sermone* 7. *de Nativitate.*

Diabolo noſtra nos mancipat voluntas, non ipſius poteſtas. S. Bernardus *Tractatu de Gratia & libero arbitrio, cap.* 6.

Ne miretur aliquis benedictæ aquæ aſperſione dæmonem non fugatum. Agnoſcat, tabe interius latente unguenta exterius adhibita nihil proficere poſſe. Petrus Cluniacensis *Libro I. de Miraculis ſui temporis, cap.* 6.

CAPUT II.

Fontes.

Tatianus *in Oratione ad Græcos*, de ſuperſtitionibus pro ſanitate obtinenda.

Tertullianus *Apologetici capite* 23. accommodatiſſime pro ſuperſtitioſis. Adde ejusdem *Librum de Idololatria*; *præſertim cap.* 9. & *Librum de Anima, cap.* 46.

Clemens Alexandrinus *Libro VII. Stromatum*, *præclare* de ſuperſtitioſis ominibus.

Origenes *Libro VII. contra Celſum, fere initio*, de propudio illo Oraculi Delphici. * Item *Homilia* 5. *in Jeſu Nave, in fine*, de deſiderio cognoſcendi futura; Et in *Jobi caput* 38. adverſum Aſtrologos.

Eusebius Cæsariensis *Libro VI. Præparationis Evangelicæ*, *a capite* 6. in aſtrologiam judiciariam.

S. Basilius M. præter citatum *commentarium* in auguria, *Homilia* 6. *Hexaemeron*, & ipſe contra Aſtrologos.

Cæsarius *creditus*, *frater Nazianzeni*, *Dialogo* 2. contra eosdem.

S. Gre-

* De quo etiam poſt ingentem verecundiæ luctam Chryſoſtomus *Homilia* 29. *in I. ad Corinthios* aliquid commemorat.

S. Gregorius Nyssenus *Epiſtola, ſeu Libro contra Fatum.*

S. Ambrosius *loco ſupra laudato.*

S. Chrysostomus *fuſiſſime Oratione* 8. *adverſum Judæos.*

Homilia olim 21. *ad populum, nunc Catecheſi* 2. *ad illuminandos, vehementer.*

Homilia 8. *in ad Coloſſenſes, præclare.*

Homilia 3. *in I. ad Theſſalonicenſes.*

Homilia 8. *in II. ad Timotheum.*

Sermone de Pſeudoprophetis, Tomo VIII. novo: Libro item contra Gentiles, ſeu in S. Babylam.

S. Hieronymus *in vita S. Hilarionis Abbatis, cap.* 16.

S. Augustinus *Libro de divinatione dæmonum, Tomo VI. novo.*

Libris prioribus de Civitate Dei, ubi ſunt plurima de ſuperſtitionibus Gentilium. *Libro autem V.* habet *octo capita* contra Aſtrologos.

Libro de Geneſi ad literam, cap. 17.

Libro II. de Doctrina chriſtiana, a capite 20.

Quæſtione 45. *ex* 83; contra Aſtrologos.

Libro de Medicina Animæ, pulcherrime in Sortilegos.

Epiſtola 138. *ad Marcellinum,* de ludibriis magicis.

Enarratione 2. *in Pſalmum* 26, *poſt medium,* ubi illud ſpeciatim, ne timeamus dæmones, cum recedimus a ſuperſtitione.

Sermone 4, *alias* 44. *de Diverſis, num.* 36.

Adde, quæ habet *Libro VII. Confeſſionum, cap.* 6.

S. Cyrillus Alexandrinus *Homiliis Paſchalibus* 6. & 14: *Libro VI. de adoratione in ſpiritu & veritate:* Et *Libro V. in Joannem, cap.* 1.

THEODORETUS *Quæſtione 15. in Geneſin*, in Aſtrologos. *

S. LEO *Sermone 19. de Paſſione*, qui & ipſe de metu dæmonis, ſi ab illo recedatur, *præclare*.

S. MAXIMUS TAURINENSIS *Sermone in Circumciſione, ſeu de Kalendis Januarii*.

S. MARTINUS BRACARENSIS *Epiſtola adverſus ſuperſtitiones*, quam editurum ſe promiſit Cardinalis d' Aguirre.

S. AGOBARDUS *Libro de judaicis ſuperſtitionibus, & Libro de divinis ſententiis*, contra eos, qui putant judicium Dei ferro, igne, aqua patefieri.

MICHAEL BSELLUS *Dialogo de Operatione dæmonum*.

PETRUS CLUNIACENSIS *in Tractatu adverſus Petrobruſianos*.

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro I. & II. Policratici, pluribus capitibus*.

PETRUS BLESENSIS *Epiſtola 65.* contra auguria & ſomnia.

DIONYSIUS CARTHUSIANUS *Opuſculo de ſuperſtitionibus*: Et *Opuſculo contra Magos*.

TITULUS LXIII.

De *Temperantia* generatim.

CAPUT I.

Loci.

Nolite conqueri de infirmitate carnis: nolite dicere, quia volumus, ſed non poſſumus. Volumus quidem continenter vivere, ſed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur ſtimulis ejus. Tu das

* Sed contra judiciariam Aſtrologiam alias, ſaltem quod ſufficiat; nam omnia, quæ in eam ſcripſerunt Patres, afferre quis poſſit? quis velit?

das ſtimulos carni tuæ, tu eam adverſus ſpiritum tuum armas, & potentem facis; cum eam carnibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris. ORIGENES *Homilia 9. in Leviticum, poſt medium.*

Convivia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria; nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, ſed gravitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore. MINUTIUS FELIX *in Octavio.*

Continentior diſciplina eſt adhibenda. ut non voluptatem, ſed neceſſarium in ſingulis uſum, delectationis modum & terminum conſtituamus. Sin autem cum neceſſitate jucunditas ſæpe commixta eſt, oportet, neque propter oblectationem, quæ conſequitur, neceſſitatem abjicere, neque propter ipſam neceſſitatem voluptatem perſequi; ſed ex omnibus eligendo, quod utile eſt, illa quæ ſenſum oblectant negligere nos debemus. S. GREGORIUS NYSSENUS *Libro de Virginitate, cap.* 21.

Quid prodeſt tenuari abſtinentia corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbia? quam laudem merebimur de pallore jejunii, ſi invidia lividi ſimus? quid virtutis habet vinum non bibere, & ira atque odio inebriari? Tunc, inquam, præclara eſt abſtinentia, tunc pulchra atque magnifica caſtigatio corporis, cum eſt animus jejunus a vitiis. HIERONYMUS *creditus, Epiſtola ad Celantiam, olim* 14, *nunc in Appendice, num.* 22.

Generaliter quidem, ſed breviter, ſtrictimque dicendum eſt: In bonis quoque rebus, quidquid modum exceſſerit, vitium eſt. *Idem creditus, Epiſtola ad* DEMETRIADEM (*quæ eſt pariter in Appendice*) *verſus finem.*

Habet igitur vir temperans hujuſcemodi in rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam, utroque teſtamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil

nihil per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ hujus, atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet, utentis modeſtia non amantis affectu. S. AUGUSTINUS *Libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap.* 21.

Neſcit cupiditas, ubi finiatur neceſſitas. *Idem Libro IV. contra Julianum, cap.* 4.

In omnibus talibus non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. *Idem Libro III. de Doctrina chriſtiana, cap.* 12.

Honeſtum igitur eſt ac laudabile, intra neceſſitatis terminos ſe continere, eosque minime tranſilire. Si quis enim cupiditate ductus ad ea, quæ in vita jucunda ſunt, paulisper deflexerit, nulla deinde ratione retineri poterit, quo minus ad ulteriora progrediatur; cum enim uſui, ac neceſſitati præſcriptos fines exceſſeris, nullus amplius terminus invenitur, ſed omnia vaſta, atque infinita; ut inani labore cupiditas non expleatur, ſed aſſidue magis augeatur inſtar flammæ, quæ, quo plus materiæ ſuggeritur, eo fit major. S. NILUS *in Libro aſcetico, verſus finem. Ex interpretatione Petri Franciſci Zini.*

In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia. Et ideo æternis bonis inſeparabiliter inhærendum, temporalibus vero tranſeunter utendum eſt; ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de proſperitatibus mundi occurrerit, viaticum ſit itineris, non illecebra manſionis. S. LEO *Sermone* 5. *de Jejunio.*

Tene medium, ſi non vis perdere modum. Locus medius tutus eſt: medium ſedes modi, & modus virtus. S. BERNARDUS *Libro II. de Conſideratione, cap.* 10.

CA-

CAPUT II.

Fontes.

Clemens Alexandrinus *paſſim in Pædagogo* ad temperantiam conatur Chriſtianos adducere. Nota *caput* 1. *Libri II.*

Lactantius *Libro VI. Inſtitutionum divinarum*, de temperantia tam generatim, quam circa ſingulos corporis ſenſus.

S Ephræm *de virtutibus & vitiis, numero XXI. & XXII. de temperantia & continentia, deque vitiis contrariis, egregie, Tomo I. novo, a pag.* 15. Sed & alibi ſæpius de temperantia agit.

S. Basilius M. *de Inſtitutione Monachorum, capitibus* 10. *&* 50.

S. Gregorius Nyssenus *Libro laudato de Virginitate, cap.* 8, de temperantia generatim. Item de eadem *Homilia* 6. *in Eccleſiaſten : Oratione de mortuis*, poſt medium, præclare: *de vita Moſis, prope finem.*

S. Chrysostomus *Homilia* 24. *in ad Romanos, in Morali*, ubi perquam facili ratione explicat temperantiam.

S. Hieronymus *Libro* 2. *adverſus Jovinianum, idque fuſe & eleganter.* Adde *Epiſtolam ei ſuppoſitam ad Demetriadem.*

S. Augustinus *Loco citato contra Julianum, & Libro X. Confeſſionum, capitibus* 31. 32. *&* 35. Adde ejusdem *Librum de Continentia.*

S. Cassianus *Collatione XXI. capitibus* 22. *&* 23. Item *Libro V. de Inſtitutis Renuntiantium, paſſim.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro IV. Epiſtola* 210.

Julianus Pomoerius *Libro III. de vita contemplativa, cap.* 19.

S. Martinus Bracarensis *Libro de quatuor* Vir-

Virtutibus Cardinalibus, ubi caput peculiare de Temperantia habet.

HILDEBERTUS CENOMANENSIS *Opuſculo de honeſto & utili.*

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Tractatibus de Continentia, & de Sobrietate, in Ligno vitæ.*

Addantur & Tituli: *Paſſiones. Mortificatio. Caro*, & ſimiles.

TITULUS LXIV.

De *Templis*, Reverentia ibi exhibenda &c.

CAPUT I.

Loci.

Oporteret autem tales in tota vita, & videri & effingi eos, qui Chriſto initiantur, quales ſe in Eccleſiis ad gravitatem & honeſtatem componunt: & eſſe, non autem videri eſſe tales, adeo mites, adeo pios ac religioſos, adeo charitati deditos. Nunc autem neſcio quomodo una cum locis habitum & mores mutant, non ſecus ac polypos dicunt petris, quibus adhæreſcunt, aſſimilatos videri quoque colore eſſe tales. Poſtquam itaque exceſſerunt e congregatione, depoſita illa quæ in ea erat divinitus inſpirata quaſi ſanctitate multitudini, cum qua verſantur, aſſimilantur: vel potius depoſita falſa ac ſimulata gravitatis perſona deprehenduntur quales eſſe ignorabantur: & cum qui de Deo habitus eſt ſermonem venerati ſunt, eum illic relinquunt, ubi audierunt: foris autem impiis modis & amatoriis canticis ſe oblectant, tibiarum cantu, plauſu, temulentia, & quovis cœno ac ſorde oppleti. CLEMENS ALEXANDRINUS *Libro III. Pædagogi, cap. 11, ad finem.*

S. ZENO *ad fœminam, quæ ad omnem vanitatem compoſita in templum Domini ingreditur*: Ancilla Chri-

Chriſti! falſum idolum reſpuis? Mihi crede in te colis, cujus ornatum, cujus imaginem non deponis. Ad Eccleſiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onuſta: ubique delicata; ſub mollibus fortis. Denique ipſo cultus rigore in Oratione non flecteris, non manus tendis, tumidum monilibus pectus proſternere dedignaris. Sane cervicem curvas, non religione, ſed pondere. Quando exomologeſin facies, quæ plus pro ornatu es, quam pro ſalute ſolicita? Quid autem a Deo impetrare te poſſe credis, quæ eum per id, per quod iraſcitur, deprecaris. Aperi tandem oculos cordis! invenies, te inſultare potius, quam rogare. *Sermone 2. de Avaritia.*

Loca ſancta officinam obſcœnitatis ſuæ effecere. S. Basilius M. *Homilia 14. in ebrioſos, initio.*

Neque enim ſolum hoc peccatur, quod quæ hic fiunt, parum pro dignitate peraguntur, verum etiam alius quidam gravis obambulat morbus. Quis tandem iſte? Quod qui propoſuerunt cum Deo colloqui, eique gloriam referunt, mox hoc omiſſo ſuum quisque vicinum arripiunt, ordinantque res domeſticas, quæque fiunt in foro, quæ in populo, quæ in theatris, quæ in exercitu, & quomodo alia quidem ſunt adminiſtrata, alia rurſus neglecta, & quid in gerendis rebus plus ſatis fuerit, quid diminutum: in ſumma, de rebus omnibus, vel publicis vel privatis, hic colloquuntur. Et qua tandem venia digna ſunt iſta? Atqui is, qui cum rege terreno colloquitur, de his tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire, & de quibus rex fuerit percontatus. Quod ſi quis auſit aliquid injicere, ſecus quam ille velit, extremo ſupplicio afficietur. Tu vero Regi regum colloquens, cui cum tremore ſerviunt Angeli, omiſſo cum illo cæpto ſermone de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris? Nihil enim aliud ſunt hujus vitæ negotia. Et quomodo

modo ſuſtinebis iſtius contemptus pœnam? quis autem te ab hac vindicta liberabit? S. Chrysostomus *Homilia 1. de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum, *num.* 4.

Quid dicis, Deum precatura accedis, & ornamenta aurea circumfers? Num ad choreas agendas veniſti? num ad nuptias celebrandas? num ad pompam? Illic aurea, illic torti crines, illic magnifica veſtimenta adhiberi ſolent. Nunc autem iis nihil opus eſt. Veniſti ad orandum & peccandum, ſupplicatura pro peccatis, & pro offenſis tuis, rogatura Dominum, ut propitium illum tibi reddas. Cur te ipſam ornas? Non ſunt hæ veſtes ſupplicantis. Quomodo potes ingemiſcere? quomodo lacrimari? quomodo intente orare tali ornata veſtimento? Si lacrimaris, riſu dignæ videbuntur lacrimæ; non enim aurum geſtare oportet lacrimantem. Illud quippe ad ſcenicam & hiſtrionicam pertinet. Quomodo enim non ſcena fuerit, quando ab eo ipſo animo, quo tanta magnificentia, tanta ambitio monſtratur, etiam lacrimæ funduntur? Illam omnem hiſtrionicam aufer. Deus non irridetur. *Idem Homilia* 8. *in I. ad Timotheum.*

Rurſum præmiſſis aliis ſane acerrimis, exponit locum Apoſtoli: An non domos habetis ad comedendum & bibendum? An Eccleſiam Dei contemnitis, & eos qui non habent pudore afficitis? *Atque iſta ſubjicit:* Mihi quoque concedite, ut dicam de iis, qui hic cient tumultus, & loquuntur. An non habetis domos ad nugandum? an Dei Eccleſiam deſpicitis, & eos etiam corrumpitis, qui volunt eſſe modeſti & quieti? At vobis eſt ſuave & jucundum alloqui eos, qui ſunt vobis noti? Non hoc prohibeo, ſed domi, ſed in foro, ſed in balneis fiat. Eccleſia enim non eſt colloquii locus, ſed doctrinæ. Nunc autem nihil differt a foro; & ſi non ſit dictum audacius, forte neque a ſcena; adeo iis, quæ

illic

illic ſcortantur, laſcivius & impudicius ornantur quæ hic conveniunt. Ideo multos quoque impudicos hic attrahunt: & ſi quis tentet, aut velit corrumpere mulierem, nullus, ut puto, ei videtur locus aptior Eccleſia. *Homilia* 36. *in I. ad Corinthios.*

Idem, loquens de profanis illis, qui mulierum & puerorum formas in Eccleſia contemplantur: An non miraris, quomodo fulmina non jaciantur, nec omnia a fundamentis evertantur? nam digna ſunt illa fulminibus & gehenna. Sed Deus patiens & multæ miſericordiæ iram ſuam retinet, ut ad pœnitentiam & emendationem te adducat. Quid facis homo! formam mulierum curioſe reſpicis, & non horreſcis tanta templum Dei afficiens contumelia? An proſtibulum eſſe putas Eccleſiam, & foro ipſo ignobiliorem? In foro erubeſcis, ne videaris mulierem curioſe ſpectare; in templo autem Dei, dum Deus ipſe tecum loquitur, tibique circa rem hanc comminatur, fornicaris & mœcharis eodem tempore, quo audis ab his eſſe abſtinendum, neque horreſcis, neque ſtupes! Hæc vos docent theatra laſciviæ, peſtis illa curatu difficilis, venenata pharmaca, graves illi irretitis laquei, voluptuoſa laſcivorum pernicies. Idcirco incuſans Propheta dicebat: *Neque oculi tui, nec cor tuum bonum eſt.* Melius eſſet hujusmodi homines eſſe cæcos, melius & ægros eſſe, quam ad hanc rem oculis abuti. Oporteret utique intus eſſe murum, qui vos a mulieribus ſequeſtraret; quia vero id non vultis, neceſſarium eſſe putarunt patres noſtri, ut ſaltem ligneis tabulis vos ſepararemus. Ut a ſenioribus ego audivi, initio parietes non fuere: *In Chriſto enim Jeſu non eſt mas, neque fœmina.* Apoſtolorum quoque tempore una viri & mulieres erant; nam tunc viri vere viri erant, & mulieres mulieres; nunc vero contra mulieres meretricum ſibi mores aſſumpſe-

runt, viri autem ab equis furentibus nihil differunt. *Homilia 74. in Matthæum, num. 3.*

Sed quouſque increpamus? quouſque reprehendimus? An non ut peſtes, an non ut corruptores, an non ut corruptos & pernicioſos hujusmodi homines, innumeriſque malis onuſtos ab Eccleſia pelli oportuiſſet? Quandonam illi a riſu abſtinebunt, qui in hora tremenda rident? quando a nugis abſtinebunt, qui in tempore benedictionis garriunt? Non præſentes reverentur? non Deum timent? an non ſufficit nobis mentis ſocordia? non ſatis eſt, quod orantes alio evagemur, ſed & riſum & cachinnos multos ingerimus? *Idem Homilia 24. in Acta.*

Infeliciſſime mortalium! tu ſpeluncam illam, in qua Dei Filius natus eſt, & veritas de terra orta eſt, & terra dedit fructum ſuum, de ſtupro condicturus ingrederis? Non times, ne de præſepi infans vagiat: ne puerpera virgo te videat: ne mater Domini contempletur? Angeli clamant, paſtores currunt, ſtella deſuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hieroſolyma conturbatur: & tu in cubiculum virginis, decepturus virginem, irrepis? Paveo miſer, & tam mente quam corpore perhorreſco, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum. Tota Eccleſia nocturnis vigiliis Chriſtum Dominum perſonabat, & in diverſarum gentium linguis unus in laudibus Dei ſpiritus concinebat. Tu inter oſtia quondam præſepis Domini, nunc altaris, amatorias epiſtolas fulciebas, quas poſtea illa miſerabilis quaſi flexo adoratura genu inveniret, & legeret: & ſtabas deinceps in choro pſallentium, & impudicis nutibus loquebaris. Prô nefas! non poſſum ultra progredi. Prorumpunt ſingultus antequam verba, & indignatione pariter ac dolore in ipſo meatu faucium ſpiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi tor-

rens

rens fluvius Demoſthenis? Nunc profecto muti eſſetis ambo, & veſtra lingua torpeſceret. Inventa eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat. Repertum eſt facinus, quod nec mimus fingere, nec ſcurra ludere, nec Atellanus poſſet effari. S. Hieronymus *Epiſtola* 48, *nunc* 147. *ad Sabinianum.*

Prope periculoſius laſcivis puellis, ad loca religionis, quam ad publicum procedere. *Idem Epiſtola* 8. *nunc* 130. *ad Demetriadem.*

S. Augustinus *ad mulieres juvenculas.* Ut filias chariſſimas moneo, juvenilia deſideria fugite . . . nec in publicum propterea procedatis, ut florem fœni veſtri oculis hominum oſtentare cupientes in domo vitæ mortem quæratis! Quid ergo facietis, cum fœnum aruerit, flos deciderit? *Sermone* 391, *alias* 246. *de tempore.*

Si negotiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? *Idem Tractatu* 10. *in Joannem.* *

In templa autem, vel potius in altaria atque in ſacraria Dei paſſim omnes ſordidi ac flagitioſi ſine ulla penitus reverentia ſacri honoris irrumpunt; non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant, ſed quia, qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque enim ejusdem officii eſt, indulgentiam poſcere, & iracundiam provocare. Salvianus *verſus finem Libri* 3. *de Gubernatione.*

Si ea, quæ alibi libere geri poterant, Dominus in domo ſua temporalia negotia geri non patitur:

Cc 2 quan-

* *Reperio & iſtuc in adverſariis meis ex eodem S. Patre; verum libro, aut ſermone nullo adſcripto:* Qui pſallere diſſimulat; vel taceat, & ſilentium præbeat. Et ſi ſe non ædificat; vel alios malo exemplo non deſtruat. *Item illud forte pro Domicellis noſtris faciens:* Diabolo ductore in Eccleſiæ conventum pergitis!

quanto magis ea, quæ nunquam fieri licet, plus cœleſtis iræ merentur, ſi in ædibus Deo ſacratis aguntur? *Venerabilis* Beda *Libro III. Commentariorum in caput* 11. *Marci.*

Fulget Eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro; & ſuos filios nudos deſerit. De ſumptibus egenorum ſervitur aulis divitum. Inveniunt curioſi, quo delectentur, & non inveniunt miſeri, quo ſuſtententur. S. Bernardus *Apologia ad Guilielmum Abbatem, num.* 11.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus & Minutius Felix de flagitiis gentilium, quæ in templis perpetrabant. Locos dedi ſupra Titulo: *De Sacrilegiis.*

S Ephræm *Sermone de ſanctiſſimis & vivificantibus Sacramentis, ad calcem Tomi III. novi.*

S. Basilsus M. *Homilia* 1. *in Pſalmum* 28. *ad verba:* Et in templo ejus omnes dicent gloriam, *præclare.*

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 19. *in laudem Patris*, de condito ab eodem templo.

S. Gregorius Nyssenus *de Vita Moſis*. ubi de Tabernaculo fœderis &c. *fuſe.*

S. Ambrosius *Libro II. de Officiis, cap.* 28. Licere, cum urget neceſſitas, vaſa Templi confringere, atque pauperibus elargiri.

S. Chrysostomus *Homilia* 1. *in illud Eſaiæ:* Vidi Dominum.

Homiliis 24. 33. 74. *in Matthæum.*
Homilia 24. *in Acta.*
Homilia 36. *in I. ad Corinthios, fuſiſſime & præclariſſime.*
Homilia 3. *in II. ad Theſſalonicenſes.*
Homilia 9. *in I. ad Timotheum, initio.*

Ho-

Homilia 15. *in ad Hebræos.*
Homilia in Encæniis.

Adde *Eclogam* 9. *Tomo XII. Montfauconi.*

S. Hieronymus *Epiſtola* 3, *nunc* 60. *ad Heliodorum,* de nitore & ornatu templi. Adde *Epiſtolam* 4, *nunc* 125. *ad Ruſticum,* de Muſica Templorum.

S. Paulinus *Epiſtola* 31. *alias* 11. *ad Severum,* præclare de profanatis locis ſacris, ubi natus Servator, & mortuus eſt.

S. Augustinus *Epiſtola celebri, & recens inventa ad Alipium,* de epulis Leontinis. *Eſt numero* 29.

S. Isidorus Pelusiota *Libro I. Epiſtola* 174. mavult ædificari, ornarique viva templa, quam lapidea, *præclare.*

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro* 9. & 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16, *de Adoratione in ſpiritu & veritate.*

Salvianus *Libro* 3. *de Gubernatione Dei.*

Venerabilis Beda *Libris tribus de Tabernaculo & vaſis ejus, & veſtibus ſacerdotalibus.* Item quæ ſcripſit *de Templo Salomonis.*

S. Bernardus *fuſiſſime* adverſum vanos ſumptus, & pompam ſæcularem in Eccleſiis Monachorum *Apologia ad Guilielmum Abbatem jam ſupra laudata, ſub finem.* Idem Epiſtola *Epiſtola* 312. *egregie* oſtendit, qualem ipſe cantum, qualem muſicam in Templis exigeret. Habet etiam ſermonem de reverentia ſacris locis debita, qui eſt *ſextus in Dedicatione Eccleſiæ.*

Guerricus *Abbas Sermone de excitanda devotione ad pſallendum.*

Richardus a S. Victore *Expoſitione difficultatum ſuborientium in Deſcriptione Tabernaculi fœderis.* Item *de Templo Salomonis ad literam: De Viſione Ezechielis: De Templo Ezechielis.*

Petrus Cellensis *Libris duobus Expoſitionis myſticæ Moſaici Tabernaculi.*

Adde *Feſtum Dedicationis Eccleſiæ.*

TITULUS LXV.

De Tempore.

CAPUT I.

Loci.

Fuiſtis infantes, deinde pueri, deinde puberes, deinde viri; boni autem nunquam. Clemens Alexandrinus *in Oratione exhortatoria ad gentes.*

O impedimenta prava! o turpem & interminatam occupationem! quouſque tandem voluptates? uſquequo deliciæ? viximus multum tempus mundo; reliquum vivamus & nobis ipſis. S. Basilius M. *Oratione* 13. *in S. Baptiſma, num.* 3.

Qui dudum infans, ſubito puer; qui puer, repente juvenis, & uſque ad ſenectutem per ſpatia mutatur incerta, & ante ſe ſenem intelligit, quam juvenem non eſſe ſe miretur. S. Hieronymus *Commentario in caput* 40. *Eſaiæ.*

Debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri ſumus: & quod (velimus, nolimus) abeſſe longius non poteſt. Nam ſi nongentos vitæ excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus, & Mathuſalem nobis tempora donarentur: tamen nihil eſſet præterita longitudo, quæ eſſe deſiiſſet. Etenim inter eum, qui decem vixit annos, & eum, qui mille, poſtquam idem vitæ finis advenerit, & irrecuſabilis mortis neceſſitas, tranſactum omne tantumdem eſt; niſi quod ſenex magis onuſtus peccatorum faſce proficiſcitur. *Idem Epiſtola* 3, *nunc* 60. *ad Heliodorum.*

Quotidie morimur, quotidie commutamur; & tamen æternos nos eſſe credimus. Hoc ipſum, quod dicto, quod ſcribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum

rum damna ſunt temporum. Scribimus atque reſcribimus; tranſeunt maria epiſtolæ, & ſcindente ſulcum carina per ſingulos fluctus ætatis noſtræ momenta minuuntur. *Idem ibidem.*

Quidquid temporis vivitur, de ſpatio vivendi demitur: & quotidie fit minus, quod reſtat; ut nihil ſit aliud tempus, quam curſus ad mortem. S. Augustinus *Libro XIII. de Civitate, cap.* 10.

Inepti homines gratulantur plurimis natalitiis, tam ſuis quam filiorum ſuorum. O virum prudentem! ſi tibi vinum minuatur in utre, triſtaris; diem perdis, & gaudes? *Idem Sermone* 84, *alias* 17. *de verbis Domini.*

Quod amas ad tempus, quid prodeſt? Aut ſubduceris illi: aut ſubducitur tibi. Cum fueris tu ſubtractus, perit ipſe amator; cum fuerit illud ſubtractum, perit quod amaſti. Ubi ergo aut amator perit, aut quod amatur, non eſt amandum. Sed quid eſt amandum? quod nobiſcum poteſt eſſe in æternum. *Idem Sermone* 368, *alias Homilia* 37. *ex* 50.

Rurſum ad verba impiorum: Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, *elegantiſſime addit:* Modo dicamus, tranſeunt omnia tanquam umbra. Modo fructuoſe dicamus: tranſeunt! ne tunc dicamus infructuoſe: omnia tranſierunt! *Concione* 1. *in Pſalmum* 32. *poſt medium.*

Quiſquis es amator longæ vitæ, eſto potius bonæ vitæ. Nam ſi male vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, ſed erit longum malum. *Idem Sermone* 16, *alias Homilia* 1. *ex* 50.

Si tanta cura ineſt hominibus, ut quotidianis, magnis, perpetuiſque laboribus cupiant, ut tardius moriantur: quanta cura agendum eſt, ut nunquam moriantur? *Idem Sermone* 108, *alias* 39. *de verbis Domini.*

Dedimus corpori annos; demus animæ dies.

Impendimus nobis tempora: tempus deputemus auctori. Vivamus Deo paululum, qui ſæculo viximus totum. S. Chrysologus *Sermone* 12.

Non eſt tanti vita, ſi ad hoc vivat homo, ut in paucis vitæ hujus annis conſumat æternos, & ſub brevi fine congreget ſibi pœnas ſine fine manſuras. Eusebius Gallicanus *Homilia de Latrone beato.*

Vitæ hujus principium mortis exordium eſt: nec prius incipit augeri ætas noſtra, quam minui. Cui ſi quid adjicitur ſpatii temporalis, non ad hoc accedit, ut maneat; ſed in hoc tranſit, ut pereat. *Creditus* Prosper *Libro II. de vocatione omnium gentium, cap.* 21.

Hoc ipſum, morituros vivere, quaſi ad mortem ire eſt: & quot dies vitæ peragimus, quaſi in itinere ad locum propoſitum tot paſſibus propinquamus. Ipſa quippe augmenta detrimenta ſunt temporum; quia vitæ noſtræ ſpatia, quanta eſſe cœperunt, incipiunt jam tanta non eſſe. S. Gregorius M. *Libro XXV. Moralium, cap.* 3.

Diu cum rebus noſtris durare non poſſumus; quia aut nos illas moriendo deſerimus, aut illæ nos viventes quaſi deſerunt pereundo. *Idem Libro XVIII. Moralium, cap.* 18.

Nihil pretioſius tempore; ſed heu! nihil hodie vilius æſtimatur. S. Bernardus *Libro de contemptu mundi ad Clericos, ſeu in Declamationibus, num.* 44.

Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat! nemo ſibi non reditura momenta periiſſe cauſatur! *Idem ibidem.*

Volat tempus irremeabile; nec advertit inſipiens, quid amittat! Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec pertranſeat tempus! o donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad aquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio condito-

ditoris indulget! *Idem Sermone* 17. *de diverſis, de triplici cuſtodia: manus, linguæ, & oris.*

Etſi Facere in tempore fuit; ſed Feciſſe in ſempiternum manet. *Idem Libro V. de Conſideratione, cap.* 12.

Tantum valet modicum tempus, quantum Deus; quippe in tempore bene conſumpto comparatur Deus. S. Bernardinus Senensis *Tomo IV. Sermone* 18. *pag.* 1.

Quis mente aſſequatur, ut pretioſum eſt tempus? Norunt, qui amiſerunt. S. Laurentius Justinianus *de vita ſolitaria, cap.* 10.

CAPUT II.

Fontes.

S. Basilius M. *Homilia* 1. *Hexaëmeron, ante medium: Homilia* 21, *quod rebus mundanis adhærendum non ſit*: Et *Homilia* 13. *in Sanctum Baptiſma*, ex qua ſupra aliquid excerpſimus.

S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 40. *in S. Baptiſma.*

S. Gregorius Nyssenus *Oratione adverſus eos, qui differunt Baptiſma.*

S. Ambrosius *Enarratione in Pſalmum* 1. *ad verba:* Et in via peccatorum non ſtetit.

S. Chrysostomus *Homilia* 2. *in illud Eſaiæ:* Vidi Dominum. Quis ſit fructus ex notitia temporum, ſeu chronologia.

S. Hieronymus *Commentario in caput* 30. *Ezechielis, & Epiſtola* 139, *nunc* 140. *ad Cyprianum.*

S. Augustinus *Libro XI. Confeſſionum, cap.* 14. & 15. de temporis natura.

Loco citato de Civitate Dei, quam ſit fluxum & fugax tempus.

Libro XI. de Civitate, capitibus pluribus.

Enarratione in Pſalmum 38. *ante medium*, de breviſſima temporis duratione.

Enarratione in Pſalmum 65. *ad illud:* In flumine pertranſierunt pede. De temporis continua defectione.

Enarratione in Pſalmum 76. *circa* [illegible]*ium,* quam parum duret.

Enarratione in Pſalmum 109. *ad finem*, comparatur fluvio.

Sermone 157, *alias* 23. *de verbis Apoſtoli, cap.* 4. De temporis diminutione.

Sermone 108, *alias* 39. *de verbis Domini*, de defectione temporis.

Sermonibus 16. & 24. *jam laudatis.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro V. Epiſtola* 329, *a verbis:* Ad ultimum tendit finem mundus. *Idem Epiſtola* 266, *Libri ejuſdem,* ex temporis defectione rationem illius haberi quam maximam cupit.

S. Cyrillus Alexandrinus *Homilia Paſchali* 27. de uſu opportuni temporis.

S. Eucherius *in Parœneſi ad Valerianum, præclare* de curſu & converſione temporis.

S. Gregorius M. *Libro XI. Moralium*, *capitibus* 48. 49. 50.

S. Isidorus Hispalensis *Libro III. Sententiarum, cap.* 65.

S. Dorotheus *Doctrina* 11. *poſt initium.*

S. Petrus Damiani *Opuſculo* 23. *quod inſcribitur:* de brevitate vitæ humanæ.

S. Laurentius Justinianus *de compunctione & complanctu*, *verſus finem.* Item *de vita ſolitaria*, *cap.* 10: Et *de incendio divini amoris*, *cap.* 6.

Accedunt Tituli: *Vita humana. Mundus. Mors. Senectus &c.*

TITU-

TITULUS LXVI.

De *Tentationibus.*

CAPUT I.

Loci.

Major cura ineſt Deo, ut homines ad veram pertrahat ſalutem, quam diabolo, ut nos ad æternam damnationem impellat. ORIGENES *Homilia* 20. *in Numeros.*

Adverſarius vetus eſt, & hoſtis antiquus. Sex millia annorum plene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia jam genera tentandi, & artes & inſidias dejiciendi uſu ipſo vetuſtatis edidicit. S. CYPRIANUS *Libro de Exhortatione Martyrii.*

Neque enim perſequitur & impugnat Chriſti adverſarius, niſi caſtra & milites Chriſti; hæreticos, proſtratos ſemel, & ſuos factos contemnit, & præterit: Eos quærit dejicere, quos videt ſtare. *Idem Epiſtola* 58. *ad Lucium, Papam.*

Non ſic eſt (præſens Dominus) ut ſervos ſuos tantum ſpectet; ſed & ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter, & coronatur. *Idem Epiſtola* 8.

Quis inter tot paſſiones hujus corporis, inter tantas illecebras hujus ſæculi tutum, atque intemeratum ſervare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus, & ſenſum mentis evertit. Audivit auris, & intentionem deflexit. Inhalavit odor, & cogitationem impedivit. Os libavit, & crimen reddidit Tactus contigit, & ignem adolevit. S. AMBROSIUS *Libro de fuga ſæculi, cap.* 1.

Quomodo poteſt ſuperare mundum ſævientem, qui non poteſt ſuperare mundum blandientem? blanditur hic mundus pollicendo honores, divitias, vo-

voluptates; minatur hic mundus intentando dolores, egeſtates, humilitates. Qui non contemnit, quod pollicetur: quomodo ſuperare poteſt, quod minatur? S. AUGUSTINUS *Sermone* 335, *alias* 50. *de Sanctis*.

Alligatus eſt (diabolus) tanquam innexus canis catenis: & neminem poteſt mordere niſi eum, qui ſe ad illum mortifera ſecuritate conjunxerit. Jam videte, Fratres! quam ſtultus homo ille eſt, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te ad illum per voluptates & cupiditates ſæculi noli conjungere: & ille ad te non præſumet accedere. Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere non poteſt, niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet a nobis conſenſum, ſed petit. *Idem Sermone* 37. *Appendicis novæ; alias* 197. *de tempore. Eſt Cæſarii Arelatenſis, numero* 18.

Idem de Deo in tentationibus nos adjuvante inſigni ſententia dicit: Magnum ſpectaculum eſt, videre Deum armatum pro te! *Sermone* 1. *in Pſalmum* 34. *ad verba*: Apprehende arma & ſcutum.

(Homini) utique non expedit, contra hoſtem ſuum ſine protectore confligere. Cum illo enim habet certamen, a quo aliquando ſuperatus eſt. Non ergo fidat de viribus ſuis, quæ, etiam cum eſſent integræ, non ſteterunt; ſed per illum quærat victoriam, qui ſolus non eſt victus, & omnibus vicit. *Creditus* PROSPER *Libro I. de vocatione omnium gentium, cap.* 8.

Donet licet Sanctis ſuis quotidianam gratia divina victoriam; non aufert tamen dimicandi materiam. Quin & hoc ipſum de miſericordia protegentis eſt, qui naturæ mutabili, ne de confecto prælio ſuperbiret, ſemper voluit ſupereſſe quod vinceret. S. LEO *Sermone* 1. *de jejunio Pentecoſtes*.

Exercitantur in certamine, ut majoribus cumulentur præmiis in retributione. Labor protrahitur pugnæ,

pugnæ, ut creſcat corona victoriæ. S. Gregorius M. *Libro XXVI. Moralium, cap.* 19.

Quem tentare non audeat, qui Dominum Chriſtum auſus eſt tentare? S. Paschasius Ratbertus *in Caput* 4. *Matthæi.*

Primus continentiæ noſtræ hoſtis caro eſt, adverſus ſpiritum concupiſcens. Quam domeſticus hoſtis! quam periculoſa lucta! quam inteſtinum bellum! Hoſtem hunc crudeliſſimum nec fugere poſſumus, o anima! nec fugare. Circumferre illum neceſſe eſt; quoniam alligatus eſt nobis. Nam quod periculoſius eſt & miſerabilius, hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare. Perimere illum non licet. S. Bernardus *Sermone* 3. *in Dominica VI. poſt Pentecoſten.*

Idem de ſerpente, homines tentante, aurea voce inquit: Offert prohibitum, & aufert conceſſum. Porrigit pomum, & ſurripit paradiſum. *Idem Tractatu de Gradibus humilitatis ac ſuperbiæ, Gradu* 1. *Superbiæ.*

Omnium tentationum hæc periculoſiſſima eſt, aut non tentari, aut neſcire ſe tentari. S. Laurentius Justinianus *Libro de caſto connubio, cap.* 7.

CAPUT II.

Fontes.

S. Cyprianus *Libro de mortalitate, poſt initium, egregie.* Item *Libro de zelo & livore, initio.* Rurſum *Libro de unitate Eccleſiæ, initio*, de tectis Tentationibus. Adde de Tentationibus ipſius Domini *Sermonem illi ſuppoſitum, de Jejunio & Tentationibus Chriſti.*

Lactantius *Libro VI. divinarum Inſtitutionum, cap.* 4. *ad finem*, ubi graviter deſcribit tentationes varias diaboli.

S. Eph-

S. Ephræm: *Quomodo anima cum lacrimis debet orare Deum, quando tentatur ab inimico, Tomo I. novo, pagina* 183, qui ſermo affectibus tenerrimis eſt refertus. Adde *Tomo II. novo, pag.* 279: *De morbo linguæ & pravis affectibus*, ubi agit de diverſitate Tentationum.

S. Basilius M. *Homilia* 21: *Quod rebus mundanis adhærendum non ſit*, de diaboli tentantis inſidiis.

S Gregorius Nazianzenus *Carmine* 19. *adverſus diabolum.* *

S. Asterius *Homilia de œconomo iniquitatis*, ubi pulchre de cuſtodia ſenſuum ad tentationes ſcilicet prævertendas.

Prudentius Clemens *in Hamartigenia, ſive de origine peccatorum.*

S. Ambrosius *Libro citato de fuga ſæculi. Enarratione* 8. *in Pſalmum* 118. *ad verba*: Cogitavi vias meas. *Libro item* 4. *in Lucam*, ubi fuſe agit de Tentationibus. *Libro I. de Pœnitentia, cap.* 13. de diabolo.

S. Chrysostomus *Libro I. de Providentia*: Et *Oratione* 5. *de fato & providentia*, cur Deus tentationes permittat.

Libro VI. de Sacerdotio, ubi *fuſe, præclareque* componit bella noſtra externa cum bellis internis diaboli.

Homilia 2. *de diabolo tentatore, Tomo* 2. *novo.*

Homilia 3. *in illud Eſaiæ*: Vidi Dominum, *egregio Simili* oſtendit; cur dæmon præcipue inſidietur jam provectis.

Homilia 13. *in Matthæum, præclare* de tentationibus.

Homilia 87. *in eundem.*

Homi-

---

* Qui tamen 52. *ex Tetraſtichis, quam breviter tam eleganter*, ejus cauſam ſuſcipit, quod ſane immerito peccata illi omnia adſcribantur.

Homilia 5. *ex variis in eundem*, de tentationibus Chriſti, & quidem *eleganter.*

Homilia 7. *in II. ad Corinthios*, de carnalibus tentationibus, quomodo frangendæ.

Homilia 22. *in ad Epheſios*, de vigilantia diaboli tentationibus opponenda.

Lege etiam, quæ habet *Epiſtola* 3. *ad Olympiadem*, ubi *fuſe admodum & diſertiſſime* de vehementia tentationum carnalium in juvenibus, & inter irrritamenta concupiſcentiæ.

Sulpitius Severus *Epiſtola* 1. *ex nuper repertis, ad Claudiam ſororem*, ubi animat præclare inter tentationes, *cap.* 4.

S. Hieronymus *Epiſtola* 1, *nunc* 14. *ad Heliodorum*, ubi fuſius de tentationibus occultis.

Epiſtola 22. *ad Euſtochium*, ubi varia, eaque elegantia de cavendis tentationibus atque inſidiis, præſertim iis, quæ ſpectant caſtitatem.

Epiſtola 4, *nunc* 125. *ad Ruſticum*, iterum de ratione tentationes carnis ſuperandi.

Epiſtola 10, *nunc* 54. *ad Furiam*, tentationes carnis eſſe ceteris periculoſiores.

Epiſtola 41, *nunc* 3. *ad Ruffinum*, de pugna cum diabolo.

Epiſtola 47, *nunc* 117. *de vitando ſuſpecto contubernio*, tentationes carnis plus cavendas inexpertis.

Adde, quæ habet *Libro II. adverſus Jovinianum: Libro contra Vigilantium:* Et *Epiſtola ſuppoſita ad Demetriadem*, *a verbis:* Ab eo tempore, quo primum per virginitatis profeſſionem &c. Ubi docet, tentationes initio probitatis eſſe majores. In Libris autem adductis habet varia de tentationibus præcavendis.

S. Augustinus *Libro II. de Sermone Domini in mon-*

monte, *cap.* 9. *præclare*: *Libro de vera Religione*, *a cap.* 38 *fuſe*. Idem *Homilia* 12. *ex* 50., *nunc Sermone* 253. *appendicis novæ egregie* defendit diabolum a criminationibus noſtris.

S. Paulinus *Epiſtola* 2, *nunc* 24. *ad Severum*, quæ pericula, tentationes &c. militaturis pro Chriſto.

S. Isidorus Pelusiota *Libro II. Epiſtola* 164. Unde etiamnum tanta poteſtas diabolo. Item *Libro V. Epiſtola* 226. In tentatione recurrendum præcipue ad Deum. Rurſum *Libro I. Epiſtola* 75. animat & ſolatur eleganter in tentationibus.

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro IX. in Joannem*, de Tentatore. Item *Homiliis Paſchalibus* 11. & 19. de tentationibus naturæ cognatis.

S. Nilus *de octo vitioſis cogitationibus*. Idem vir ſanctus *Epiſtola* 1. *egregie* addit animos ad tolerantiam, fiduciamque in tentatione exhibendas. Iterum *Epiſtola* 13. hoc ipſum præſtat. Denique *Epiſtola* 22. tentationes docet eſſe graviores poſt initia converſionis.

Eusebius Gallicanus *Homilia* 5. *ad Monachos, in fine*, de tentationibus Monachorum. Item *Homilia* 8. *ad eosdem*, cur vehementius tententur, qui virtuti ſe dederunt.

S. Leo *Sermonibus* 1. 2. 3. 4. *de Quadrageſima*.

S. Faustus Rejensis *Libro I. de gratia & libero arbitrio*, *cap.* 4, *a medio*, ubi pulchre deſcribit aſtutum genium tentatoris.

S. Cæsarius Arelatensis *Homilia* 23. ubi hortatur, ne dæmonem adeo horreamus in corpore alieno, in cor proprium admittamus.

S. Joannes Climacus *Gradu* 15. Ubi æſtum tentationum carnalium, cum inflammantur a dæmone, ſane ad vivum deſcribit.

S. Gregorius M. *Homilia* 16. *in Evangelia*, de tentationibus Servatoris.

Libro

Libro V. in Reges, cur Deus ſinat ſuos tentari.

Præfatione Librorum Moralium in Job, cap. 3. idem habet argumentum.

Libro XXIII. eorumdem, capitibus variis habet varia.

Libro XXIV. eorumdem, cap. 11. *novo, egregie* de Tentationibus noſtris.

S. Isidorus Hispalensis *in Alphabeto Orationis ad tentamenta repellenda adverſarii, & Dei gratiam promerendam.* (*apud Bollandianos in Actis SS. ad diem ejus feſtum*) Item *Oratione brevi contra inſidias diaboli, ibidem.*

Alcuinus *Tractatu de virtutibus & vitiis.*

Halitgarius *Libris V. de vitiis & virtutibus.*

Franco Affligiinensis *Libris VIII. & XII. de gratia, ſeu beneficentia Dei, fuſe utrobique.*

S. Bernardus *Sermonibus in Pſalmum* 90: Qui habitat, *ſparſim.* Adde *Sermonem* 2. *de S. Andrea,* ubi illud urget, ne nos minus curemus noſtram ſalutem, quam hoſtes curant noſtram perniciem. *Sermone* 5. *in Quadrageſima*, de tentationibus noſtris, & quæ arma illis opponenda. *Sermone* 64. *in Cantica,* qui præcipui hoſtes noſtri.

Petrus Blesensis *Epiſtola* 57. Tentationes augeri, poſtquam converti qui cœperit &c.

Guilielmus Parisiensis *Libro de Tentationibus & Reſiſtentiis.*

S. Laurentius Justinianus *Libro de interiori conflictu: Libro de triumphali Chriſti agone: Libro de diſciplina & perfectione monaſticæ converſationis, capitibus* 11. 12 13: *Libro de caſto connubio, capitibus* 6. 7. 8. *atque alias frequenter.*

Dionysius Carthusianus *de remediis Tentationum.*

S. Thomas a Villanova *Concione* 2. *Dominica I. Quadrageſimæ*, de Tentationibus noſtris.

Adde Titulos: *Caro. Occaſio. Paſſiones. Indoles* &c.

TITULUS LXVII.

De *Tepore*, Acedia, & ſimilibus.

CAPUT I.

Loci.

Ad nugas expediti ac validi, ad preces fundendas pigri: ad vagandum alacres, ad quieſcendum infirmi: ad delicias parati ac prompti, ad temperantiam triſtes: ad charitatem frigidi, ad iracundiam fervidi: ad bona ſegnes, ad mala ſtudioſi & diligentes. Quis igitur non lamentetur, quis non deploret conditionem noſtram, torpore & negligentia plenam? S. Ephræm *Tomo I. Græcolatino novo, Sermone priori in Patres defunctos.*

Mali principium ex boni incuria; non ſecus ac tenebrarum principium eſt lucis ſeceſſio. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 9. de ſuis ſermonibus, & ad Julianum.*

Recuſare non debet, qui labore victum requirit, brevem ſi laborem pro vita ſubeat æterna. S. Ambrosius *Præfatione in Lucam.*

Si mundanas res, fluxas & corruptibiles, ſine labore & ſudore non poſſunt homines aſſequi, multo magis res ſpirituales. S. Chrysostomus *Homilia 12. in I. ad Timotheum.*

Ne quis ſpectet ad laborem virtutum; ſed lucrum inde partum cogitans, prompte labores ſuſcipiat. Nam ſi ii, qui in terrenis verſantur negotiis, & ad colligendas opes inſaniunt, omnia prompte ſuſcipiunt facienda, & pericula maris, naufragia, piratarum inſidias proſpicientes non franguntur, nec ſegniores fiunt, quamvis de fine nihil certi habeant; qualem nos habituri ſumus defenſionem,

ſionem, ſi non omni ſtudio & alacritate accingamur ad virtutum ſtudia & agones propter æterna illa bona? *Idem Homilia in Geneſin*, *num.* 1.

Ne igitur fidamus, etſi ſtemus; ſed nobis ipſis dicamus: *Qui videtur ſtare, videat ne cadat!* Ne deſperemus, qui proſtati jacemus; ſed dicamus: *Nunquid qui cadit, non reſurget?* Etenim multi, qui ad ipſum cœli verticem aſcenderant, qui patientiam magnam exhibuerant, deſertum occupaverant, mulierem ne in ſomnis quidem viderant, ex parva negligentia ſupplantati ſunt, & in ipſum nequitiæ barathrum dejecti. Alii contra ex eodem barathro in cœlum aſcenderunt, atque a ſcena & orcheſtra ad angelicam vitam converſi ſunt, tantamque virtutem exhibuerunt, ut dæmones pellerent, multaque alia ſimilia ſigna ederent. His exemplis plenæ ſunt ſcripturæ, plena hominum vita. *Idem Homilia* 27. *in Matthæum.*

Subitus calor longum vincit teporem. S. Hieronymus *Epiſtola* 13. *nunc* 58. *ad Paulinum.*

Cum continuo videamus contra nos draconem, ore aperto paratum ad devorandum; nihilominus dormimus, & laſcivimus in pigritiis noſtris, tanquam ſecuri ante eum, qui nihil aliud deſiderat, quam ut nos perdat. Inimicus, ut occidat, ſemper vigilat ſine ſomno: & nos, ut cuſtodiamus nos, nolumus evigilare a ſomno. S. Augustinus *Libro Soliloquiorum*, *cap.* 16.

Quid diutius immoramur in his, quæ nobis experimento ſatis comperta ſunt ac probata? Frequenter enim vidimus, de frigidis atque carnalibus, id eſt, de ſæcularibus ac paganis, ad ſpiritualem perveniſſe fervorem; de tepidis atque animalibus omnino non vidimus. S. Cassianus *Collatione IV.* *cap.* 19. *

* *Confirmat id* S. Bernardinus Senensis: Ego vidi, *inquit*,

Utinam, Fratres! ſic nos eſſemus cupidi gratiæ ſpiritualis, quemadmodum ſæculares homines pecuniæ temporalis. Debuimus certe, & multum debuimus vincere in bono malum: & tanto amplius deſiderare, quanto pretioſius eſt, quod deſideramus; ſed utinam vel æquales eſſe poſſimus! magna enim confuſio, magna valde, quod ardentius illi pernicioſa deſiderant, quam nos utilia: citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. S. BERNARDUS *Sermone de altitudine & baſſitudine cordis. Eſt* 36. *de diveeſis.*

Unde nobis iſta diſſimulatio eſt, fratres mei? unde hæc tam pernicioſa tepiditas? unde hæc ſecuritas maledicta? *Idem Sermone* 28. *de diverſis, in illud Jobi:* In ſex tribulationibus.

Tempus omne conſumit, nunc ſcurrilia loquendo, nunc pertractando inania. Otio tabeſcit, vigilias abhorret, jejunia refugit, ſilentium non cuſtodit, diſciplinæ morum ſubeſſe non patitur. Fit miro Dei judicio, ut dum nullis ſe vult pro acquirendis virtutibus dare laboribus, amplius otiando & dormitando laboret. S. LAURENTIUS JUSTINIANUS *Libro de caſto connubio, cap.* 7.

CAPUT II.

Fontes.

S. EPHRÆM *Sermone ſupra allegato*; atque etiam aliis nonnullis; non enim eſt infrequens in hoc noſtro argumento.

S. BASILIUS M. *in Proœmio Regularum fuſius diſputatarum,* ubi ſat efficaciter pellit teporem.

S. CHRY-

inquit, multos uſurarios, crudeliſſimos milites, meretrices, paganos converti ad Dominum, & fieri bonos ſervos Dei; ſed tremo, cum nunquam viderim tepidum ad Deum converti. *Sermone* 7. *Tomi VI.*

S. Chrysostomus *Homilia 9. in II. ad Corinthios, inſigniter & fuſe, in Morali.*

Sermone contra ignaviam.

Homilia 1. in I. ad Theſſalonicenſes, de ſomnolentia excutienda.

Homilia 79. in Joannem.

Homilia in illud Apoſtoli: Oportet hæreſes eſſe, *egregie.*

S. Augustinus *Concione 2. in Pſalmum 36.* Ubi ex mercedis & quietis æternitate, ab exemplo item hic laborantium atque patientium, prorſus efficaciter depellit ignaviam noſtram. *Locus eſt inſignis.*

S. Cassianus *Libro de ſpiritu acediæ, qui eſt decimus de octo principalium vitiorum remediis*, ubi tepidum & acediæ deditum Monachum elegantiſſime deſcribit. Adde & *Collationem, & caput* paulo ante allegata.

S. Cyrillus Alexandrinus *Homiliis iisdem paſchalibus* 2. 15. 18. 26. 29. ſed & aliis, quas Titulis: *Mollities* & *Fortitudo* adduxi.

S. Nilus *de octo vitioſis cogitationibus, capite* 6. *de Acedia.*

S. Joannes Climacus *Gradu* 13 *&* 27.

S. Gregorius M. *Paſtoralis III. Parte, admonitione* 35. teporem creſcentem atque decreſcentem admirabili ſimilitudine declarat.

S. Antiochus *Homiliis 26. & 36. de Acedia.*

S. Bernardus *Sermone 3. de Aſcenſione.*

Sermone 5. de eadem aſcenſione, ubi tepidos diſertiſſime depingit.

Sermone 2. de S. Andrea, ante finem.

Sermone 63. in Cantica.

Epiſtola 253. ad Guarinum Abbatem.

S. Bernardinus Senensis *Tomo III. Sermone 5. extraordinario.*

Adde Titulos: *Fervor. Somnus. Otium. Vita mollis. Fortitudo* &c.

TITULUS LXVIII.

De *Traditionibus* in re fidei & morum.

CAPUT I.

Loci.

Age nunc omnes erraverint, deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonio reddendo: nullam (Eccleſiam) reſpexerit Spiritus ſanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus a Chriſto, ad hoc poſtulatus a Patre, ut eſſet doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Chriſti vicarius, ſinens Eccleſias aliter intelligere, aliter credere, quod ipſe per Apoſtolos prædicabat: equid veriſimile eſt, ut tot ac tanta in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt. Exitus variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Ceterum, quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos erraſſe, qui tradiderunt. Tertullianus *Libro de Præſcriptionibus adverſus hæreticos, cap.* 28.

Si ad divinæ Traditionis caput & originem revertamur, ceſſat error humanus, & ſacramentorum cœleſtium ratione perſpecta, quidquid ſub caligine ac nube tenebrarum obſcurum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copioſe prius & largiter profluebat, ſubito deficiat; nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noſcatur, utrumne areſcentibus venis in capite unda ſiccaverit: an vero integra inde & plena procurrens in medio itinere deſtiterit; ut, ſi vitio interrupti aut bibuli canalis effectum eſt, quo minus aqua continua perſeveranter ac jugiter flueret, refecto & confirmato canali ad uſum atque ad potum civitatis, aqua collecta eadem ubertate atque integritate repræſentetur, qua de fonte proficiſcitur. Quod & nunc facere oportet Dei ſacerdotes, præ-

præcepta divina ſervantes; ut, ſi in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam & Evangelicam, & apoſtolicam traditionem revertamur: & inde ſurgat actus noſtri ratio, unde & ordo & origo ſuccrevit. S. CYPRIANUS *Epiſtola* 74. *ad Pompejum* *

Laconice S. ATHANASIUS: Sufficit, his duntaxat verbis ad illa reſpondere: Hæc catholicæ Eccleſiæ non ſunt, neque ea eſt Patrum ſententia. *Epiſtola ad Epictetum*, *Tomi I. Parte* 2. *pag.* 903.

Abſterreat te Traditio! ſic Dominus docuit, prædicavere Apoſtoli, Patres conſervavere, confirmavere Martyres. Satis habeas, loqui ita, ut edoctus es. S BASILIUS M. *Homilia* 24. *contra Sabellianos, Arium & Anomœos, num.* 6.

Veneranda ſunt quodammodo vetuſta dogmata, quæ ob antiquitatem, ceu canitiem quamdam, habent quiddam reverendum. *Idem Libro de Spiritu S. cap.* 29.

Si nihil aliud eſt receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur: ſin plurima arcana citra ſcriptum recepta ſunt nobis, cum aliis pluribus & hoc recipiemus. *Idem ibidem, ſuperius.*

Eſt perſpicuum, quod non omnia tradiderunt per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis. Quamobrem Eccleſiæ quoque Traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt Traditio; nihil quæras amplius. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 2. *in II. ad Theſſalonicenſes, num.* 2. *ad Verba:* Itaque fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.

Etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius

* Neque dicas mihi, hoc ipſo loco manifeſte impugnatam a Cypriano Traditionem de hæreticis non rebaptizandis. Nam, ut veriſſimum id fit; Traditionem eam, ceu falſam ex Traditione alia convellere ſeſe opinabatur. Igitur quam maxime pro nobis facit.

tius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret. Nam & alia multa, quæ per Traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt S. Hieronymus *in Dialogo adverſus Luciferianos*, *cap.* 4.

Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiſcum apud iſtos judices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. Tu ergo reſponde, quid facias: dic, quo confugias. Ego a Pelagianis ad iſtos: tu ab iſtis ad quos? S. Augustinus *Libro II. contra Julianum*, *cap.* 9.

Id proprium chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed a majoribus accepta ſervare S. Vincentius Lirinensis *Commonitorio I. cap.* 6.

Idem, *commendans illud S. Stephani Pontificis de baptiſmo hæreticorum:* Nihil invenitur, niſi quod traditum eſt, *ſane eleganter ſubjecit:* Intelligebat vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, quæ fide a Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur: noſque religionem, non qua vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium chriſtianæ modeſtiæ & parvitatis, non ſua poſteris tradere, ſed a majoribus accepta ſervare. *Commonitorio I. cap.* 9.

S. Leo, *ut oſtenderet*, *opus haud eſſe*, *de conſueto jejunio pluribus verba facere*, *ita ait eleganter:* Quod enim dudum & Traditio decrevit, & conſuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit. *Sermone* 9. *de jejunio* 7. *menſis*.

Quod indifferenter ab Eccleſia tam nobis quam vobis traditum eſt, aut indifferenter totum ſuſcipiendum, aut totum rejiciendum eſt. Sed Evangelium rejiciendum eſſe non conceditis. Quia ergo

Evan-

Evangelium rejiciendum eſſe vos non conceditis, quidquid cum Evangelio ab eadem Eccleſia, quæ Evangelium tradidit, traditum eſt, invicta ratione cogente a vobis ſuſcipiendum eſt. PETRUS CLUNIACENSIS *Epiſtola, ſeu Tractatu contra Petrobruſianos, ad errorem eorum quintum, ante medium.*

CAPUT II.

Fontes.

S. IRENÆUS *Libro III. adverſus hæreſes, cap. 2. & deinceps.* Cum autem verſio ſola extet, eaque coacta, impedita, ac obſcura; non eſt hic ad verba, ſed ſententias attendendum.

TERTULLIANUS *Libro de Præſcriptionibus adverſus hæreticos toto, præſertim capitibus* 19. 21. 37. Et *Libro de Carne Chriſti, cap.* 2. Ac *Libro de corona militis, capitibus* 3. & 4. *fuſius.*

EUSEBIUS CÆSARIENSIS *Libro I. Demonſtrationum Evangelicarum, cap.* 8.

S. ATHANASIUS *in Epiſtola ad omnes orthodoxos, cum per Arianos perſecutio fieret:* Et *Libro de Decretis Nicenæ Synodi.*

S. BASILIUS M. *Libro de Spiritu ſancto, cum citato jam capite* 29, *tum etiam* 27. Item *Libro I. adverſus Eunomium, num.* 3.

S. PACIANUS *Epiſtolis tribus ad Sympronianum, Novatianum.*

S. GREGORIUS NYSSENUS *Libro III. contra Eunomium.*

S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* 52. *ſub finem fortiſſime* pro Traditione.

S. HIERONYMUS *apud Cornelium Schultingum in confeſſione Hieronymiana.*

S. AUGUSTINUS *Epiſtolis* 118. & 119. *nunc* 54. & 55. *ad Januarium: Libro I. contra Creſconium,*

 Adde

cap. 33 : *Libro de natura & gratia*, *cap.* 39, ubi agit de piis traditionibus, quæ fidem non tangunt. Adde, quæ ex eo adducit Hieronymus Torrenſis in *Confeſſione Auguſtiniana.*

S. VINCENTIUS LIRINENSIS *in Commonitorio paſſim, præſertim verò I. capitibus* 27. & 25. *Idem ibidem fuſe capite penultimo,* ubi ſermo habetur de Epheſino Concilio.

S. JOANNES DAMASCENUS *Oratione* 2. *de Imaginibus*, *verſus finem*, *graviter.*

S. BERNARDUS *Epiſtola* 190. *ad Innocentium ſummum Pontificem, a medio. Idem Libro de Præcepto*, & *diſpenſatione* commemorat de quibusdam Traditionibus, in quibus diſpenſare Pontifices ſolent.

RADULPHUS RIVIUS *Propoſitionibus II. III. IV. V. de Canonum obſervantia.*

TITULUS LXIX.

De Veritate, Mendacio, Simulatione.

CAPUT I.

Loci.

Exurge jam veritas, & quaſi de patientia erumpe! TERTULLIANUS *Libro de velandis Virginibus*, *cap.* 4.

Nihil veritas erubeſcit, niſi ſolummodo abſcondi. *Idem Libro adverſus Valentinianos*, *cap.* 3.

Omnia adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt. *Idem in Apologetico*, *cap.* 47.

Detecti atque confuſi Romam cum mendaciorum ſuorum merce navigaverunt, quaſi veritas poſt eos navigare non poſſet. S. CYPRIANUS *Epiſtola* 55. *ad Cornelium.*

Nullus ſuavior animo cibus eſt, quam cognitio veritatis. LACTANTIUS *Libro I. divinarum Inſtitutionum*, *cap.* 1.

Ignem

Ignem licet corpori aut ferrum admoveris, quo veraci linguæ vim afferas, ſtabit ille contra, & libera conſtantique voce exclamabit:

Occurrat ignis, gladius occurrat! ſeca,
Exure corpus: ſanguine ardentem ſitim
Reſtingue noſtro. Sidera in terram prius
Labentur: ante ſiderum tellus plagam
Invadet, ore quam noſtro excidat
Vox ulla mendax.

Eusebius Cæsariensis *Libro VI. Præparationis Evangelicæ, cap.* 6.

Bonorum optimum veritas, & extremus pravitatis terminus mendacium. S. Basilius M. *in Proœmio Libri de Spiritu ſancto, ſive cap.* 1.

Nihil adverſum animæ tuæ ſalutem captioſe comminiſcere, nihil machinare. Nam ut aliis fucum faciamus, nobis quidem ipſis nunquam poterimus. S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* 40. *in S. Baptiſma.*

Veritas claudi & ligari poteſt; vinci non poteſt: quæ & ſuorum paucitate contenta eſt, & multitudine hoſtium non terretur. S. Hieronymus *in Proœmio Commentariorum in Librum V. Hieremiæ.*

Antiquus ſermo eſt: Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur. *Idem Epiſtola* 37, *nunc* 6. *ad Julianum Diaconum.*

Mentiri atque jurare lingua tua prorſus ignoret, tantusque in te ſit veri amor, ut, quidquid dixeris, juratum putes. *Idem creditus, Epiſtola ad Celantiam, in Appendice.*

Jam clamat veritas: & adhuc quæritur vanitas! S. Augustinus *Sermone* 72, *alias* 12. *de verbis Domini, num.* 6.

Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quam Helena Græcorum. Pro iſta enim fortius noſtri Martyres adverſus hanc Sodomam, quam

quam pro illa heroës adverſus Trojam dimicaverunt. *Idem Epiſtola 9, nunc 40. ad Hieronymum.*

Sic amatur veritas, ut quicunque aliud amant, hoc quod amant, velint eſſe veritatem. *Idem Libro X. Confeſſionum, cap. 23.*

Multos invenimus, qui fallere velint; qui autem falli, neminem. Cum vero hoc ſciens faciat alius, alius neſciens patiatur: ſatis apparet, in una eademque re illum, qui fallitur, eo qui mentitur, eſſe meliorem. Quandoquidem pati melius eſt iniquitatem, quam facere. *Idem in ſententiis a Proſpero collectis.*

Quid glorioſius, fratres, quam ſubjici, & vinci a veritate? Superet te veritas volentem; nam & invitum ipſa ſuperabit. *Idem Enarratione in Pſalmum 57, num. 20.*

Incredibile eſt non mentiri hominem, ne capiatur, qui mentitur, ut capiat. *Idem ibidem.*

Nimis perverſe ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat. Quanto enim melius & utilius, ut, ubi ipſe erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat. Quod ſi noluerit, ſaltem comites erroris non habeat. *Idem Epiſtola 7, nunc 143. ad Marcellinum, num. 2.*

O ubi eſtis fontes lacrimarum! Et quid faciemus? quo ibimus? ubi nos occultabimus ab ira veritatis, ſi non ſolum negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere perjuria? *Idem Libro contra mendacium, cap. 18.*

Negligentius veritas quæreretur, ſi mendaces adverſarios non haberet. *Idem Sermone 51, alias 63. de diverſis.* Hoc ipſum fere dicit S. Macarius *Homilia 17.*

Semper veritas ventilata plus rutilat. S. Cassianus *Libro I. de Incarnatione, cap. 6.*

O quanta, & quam inoffenſa lux veritatis eſt, ſi non adverſus eam ultro ſeſe offerentem imbecilli infe-

infeliciter oculi clauderentur! Orosius *Libro VI. adverſus Paganos, cap.* 1.

Quid miraris, quia fallimur, qui homines ſumus? S. Gregorius M. *Libro I. Dialogorum, cap.* 4.

Intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur. Habent illa duo certam veritatem; ſed fides clauſam & involutam, intelligentia nudam & manifeſtam. Ceterum opinio, certi nihil habens, verum per veriſimilia quærit potius, quam apprehendit. S. Bernardus *Libro V. de Conſideratione, cap.* 3.

Quam multi hodie ſunt, quos magis puderet, in oratione feciſſe barbariſmum contra regulam Priſciani, quam protuliſſe mendacium in ſermone ſuo contra regulam Chriſti! Richardus a S. Victore *Libro de Benjamin juniore, cap.* 46.

CAPUT II.

Fontes.

Tertullianus *Libro citato de velandis virginibus.* Idem *Libro de Pudicitia* præclare docet, honori eſſe non dedecori, ſi agnita veritate palinodiam canas.

Lactantius *Libro I.* varia paſſim de veritate. *Libro VI. cap.* 18 de veritate, & mendacio, & fidelitate. *Epitomes cap.* 4. de iisdem. Adde, quæ habet *initio Libri V.* contra eos, qui data opera claudunt oculos, ne videre debeant veritatem.

S. Ephræm de veritate & mendacio quædam habet *Tomo I. novo. ubi de virtutibus & vitiis.*

S. Basilius M. *in Moralibus, Regula* 24. *cap.* 1.

S. Hieronymus *Epiſtolis ad Auguſtinum,* in cauſa Petri reprehenſi a Paulo.

S. Augustinus *Libro contra Mendacium, ad Conſentium.*

Libris

Libris II. de mendacio.

Libris III. contra Academicos, de inquiſitione & perceptione veritatis.

Epiſtolis 8. *& ſequentibus*, *uſque ad* 20. quas ſcripſit de mendacio officioſo.

Libro XXII. contra Fauſtum a cap. 33.

Libro X. Confeſſionum, *cap.* 23. *egregie*, cur veritas pariat odium, & quomodo ſe contra hoſtes ſuos ulciſcatur.

Libro II. de Sermone Domini in monte, de occultanda ſubin veritate, *cap.* 21.

Libro II. ſoliloquiorum toto, de vero & falſo.

In Enchiridio, *capitibus* 18. *&* 22.

Enarratione in Pſalmum 5. *ad verba:* Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Adde, quæ habet *Libro II. de libero arbitrio*, *cap.* 13. de illecebris, & jucunditate veritatis.

S. JOANNES CLIMACUS *Gradu* 12. de Mendacio.

S. GREGORIUS M *Libro XVIII. Moralium, cap.* 3. *ad verba:* Donec ſupereſt halitus in me &c. non loquentur labia mea iniquitatem &c.

S. ISIDORUS HISPALENSIS *Libro II. Synonimorum habet caput integrum de mendacio*, *ſcilicet* 10.

S. ANTIOCHUS *Homiliis* 42. *de Mendacio, &* 66. *de veritate.*

S. DOROTHEUS *Sermone*, *ſeu doctrina* 9.

S. ANSELMUS *in Dialogo de veritate.*

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro I. Policratici*, *cap.* 1. quam remota ab aulis veritas.

S. BERNARDINUS SENENSIS *Tomo IV. Sermonibus* 18. *&* 19. *de veritate &c.*

MAPHEUS VEGIUS LAUDENSIS *Libro de veritate inviſa, & exulante.*

Adde Titulum: *Hypocriſis.*

TITULUS LXX.

De *Veſtibus*, & quocunque ornatu corporis.

CAPUT I.

Loci.

Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum uſurarum ſubſtantiam uno & muliebri corpuſculo bajulare. Tertullianus *Libro de cultu fœminarum, capite ultimo.*

Video & inter Matronas & proſtibula nullum de habitu diſcrimen relictum. *Idem Apologetici, cap. 6.*

Omnia iſta damnatæ & emortuæ mulieris impedimenta ſunt, quaſi ad pompam funeris conſtituta. *Idem Libro de habitu muliebri, cap. 1.*

Vos ſolis maritis veſtris placere debetis. In tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaveritis. *Idem Libro ſupra dicto de cultu fœminarum, cap. 4.*

Pudicitiæ chriſtianæ ſatis non eſt, eſſe, verum & videri. Tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, ut emanet ab animo in habitum, & eructet a conſcientia in ſuperficiem, ut & foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam. *Idem ibidem, capite ultimo.*

Deus, ſi fuerit in pectore, cognoſcetur & in capite fœminarum. *Idem Libro de virginibus velandis, capite ultimo.*

Propter ipſum conventum & mutuum videre ac videri omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat. *Idem ibidem, cap. 11.*

Projiciamus ornamenta terrena, ſi cœleſtia optamus. *Idem ibidem, capite ultimo.*

Pudicitia nihil ornamentorum quærit. Decus ſuum ipſa eſt. S. Cyprianus *Libro de diſciplina & habitu virginum.*

Mirum negotium! mulieres ad omnia delicatæ ad

ad vitiorum ſarcinas fortiores ſunt viris. *Idem Libro de bono Pudicitiæ, ad finem.*

Ornamentorum ac veſtium inſignia & lenocinia formarum non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt: & nullarum fere pretioſior cultus eſt, quam quarum pudor vilis eſt &c. Fugiant caſtæ virgines & pudicæ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium inſignia, ornamenta meretricum. *Idem Libro de diſciplina & habitu virginum jam laudato.*

O quantarum neces animarum in phaleris pendent ornatæ matronæ! Ornamentum ejus unum ſi ſolvas in pretium, diſtribuasque neceſſitatibus ſingulorum: ex eorum reſpiratione cognoſces, quantorum malo iſte conſtet ornatus! S. ZENO *Sermone de Juſtitia.*

Cum externos multos & varios mulierum ornatus cognitos haberet, nullum tamen moribus ſuis atque intus condito ſplendore præſtantiorem agnoſcebat. Unus illi rubor placebat, quem pudor affert: unus candor, quem parit abſtinentia. S. GREGORIUS NAZIANZENUS *Oratione* II. *in laudem Gorgoniæ.*

Rejecta decoris cura plus placet: & hoc ipſum, quod vos non ornatis, ornatus eſt. S. AMBROSIUS *Libro I. de Virginibus*, *cap.* 9.

Difficile enim eſt, dilecti, difficile eſt, imo fortaſſe impoſſibile, ut ſic ornato corpore ſimul quoque ornetur anima; ſed neceſſe eſt, alterum negligere eum, qui alterius curam habet. Neque enim ex natura ſua hæc ſimul eſſe poſſunt. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 18. *in II. ad Corinthios circa medium.*

Cave, ne aures ejus perfores: ne ceruſſa & purpuriſſo ora Chriſto conſecrata depingas: ne collum auro & margaritis premas: ne caput gemmis oneres: ne irrufes capillum, & ei aliquid de gehen-

hennæ ignibus auſpiceris. S. Hieronymus *Epiſtola 7. nunc* 107. *ad Lætam*, *num.* 5.

Spernat bombycum telas, ſerum vellera, & aurum in fila lenteſcens. Talia veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur. *Idem ibidem.*

Quid facit in facie chriſtiana purpuriſſus & ceruſſa, quorum alterum ruborem genarum, labiorumque mentitur, alterum candorem oris & colli, ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicium? Quomodo flere poteſt pro peccatis ſuis, quæ lacrimis cutem nudat, & ſulcos ducit in facie? Ornatus iſte non Domini eſt, velamen iſtud Antichriſti eſt. Qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos conditor non agnoſcit? *Idem Epiſtola* 10, *nunc* 54. *ad Furiam*, *poſt initium.*

Aut loquendum nobis eſt, ut veſtiti ſumus: aut veſtiendum, ut loquimur. Quid aliud pollicemur, & aliud oſtendimus? Lingua perſonat caſtitatem, & totum corpus prætert impudicitiam. *Idem ibidem.*

Rurſum de Judith, plerumque habitu lugubri ſordidata: Video armatum gladio manum, cruentam dexteram. Recognoſco caput Holofernis, de mediis hoſtibus reportatum. Vincit viros fœmina, & caſtitas truncat libidinem, habituque repente mutato ad victrices ſordes redit, omnibus ſæculi cultibus mundiores. *Ibidem.*

Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ munditiæ conveniunt Chriſtiano. *Idem Epiſtola* 22. *ad Euſtochium.*

In ornatum virorum: Penſate, quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, a quo curavit Paſtor Eccleſiæ & fœminas prohibere? S. Gregorius M. *Homilia* 6. *in Evangelia.*

De eodem S. Bernardus: De operibus vermium & murium pellibus ingloriam plane gloriam

 men-

mendicare non erubeſcunt, cultu indigno viris, interdicto & mulieribus; ſemetipſos dehoneſtantes potius, quam ornantes. *Sermone 2. de verbis Eſaiæ:* Vidi Dominum, *in Dominica I. Novembris.*

In veſtibus ei paupertas ſemper placuit, ſordes nunquam. GOFFRIDUS *Libro III. vitæ S. Bernardi, cap. 2. num. 5.*

Melior eſt purpurata humilitas, quam pannoſa ſuperbia. PETRUS BLESENSIS *Invectiva in Depravatorem operum ſuorum, circa medium.*

CAPUT II.

Fontes.

TERTULLIANUS *Libro de Pallio.*
Libro de Virginibus velandis.
Libro de habitu muliebri.
Libro de cultu fœminarum.

CLEMENS ALEXANDRINUS *Libro II. Pædagogi, pluribus capitibus:* Et rurſum *Libro III. ejusdem, pariter pluribus capitibus.*

ORIGENES *Homilia 4. in Matthæum, ad verba:* Exterminant facies ſuas.

S. CYPRIANUS *Libris ſupra laudatis, & Libro de lapſis, ſub finem.*

S. BASILIUS M. *Libro de Virginitate, & Homilia 7. in divites.*

S GREGORIUS NAZIANZENUS *Carmine præſtanti* adverſus mulieres ambitioſius ſe ornantes. Item *Oratione 11. in laudem Gorgoniæ: Parœneſi ad Olympiadem, & exhortatione ad Virgines.*

S. ASTERIUS AMASENUS *Homilia de Divite & Lazaro, initio, eleganter & fuſe.*

S. PACIANUS *in Parœneſi ad pœnitentiam.*

S. AMBROSIUS *Libro VI. Hexaëmeron, cap. 8.*
Libro de Nabuth, cap. 5.
Libro I. de Virginibus, cap. 6.

Epiſto-

Epiſtola 69, *alias* 15. *atque etiam extra ordinem Epiſtolarum, ad Irenæum,* ne veſtes cujusvis ſexus permutentur.

Commentario ei ſuppoſito in caput II. prioris ad Timotheum.

S. Chrysostomus *Homiliis* 18. 21. 37. & 41. *in Geneſin.*

Homiliis 17. 31. & 50. *in Matthæum.*

Homiliis 21. & 50. *in Matthæum.*

Homilia 25. *in Acta, acriter.*

Homilia 30. *in ad Romanos.*

Homilia 18. *in I. ad Corinthios.*

Homiliis 7. & 10. *in ad Coloſſenſes.*

Homilia 3. *in II. ad Theſſalonicenſes.*

Homiliis 2. 4. 7. & 8. *in I. ad Timotheum.*

Homilia 28. *in ad Hebræos.*

Adde: *Librum de Virginitate, capitibus* 61. 62. 63.

Opuſculum: Quod regulares feminæ viris cohabitare non debent.

Epiſtolam 2. *ad Olympiadem.*

Catecheſin 2. *ad illuminandos, Tomo II. nova, præclare, atque etiam fuſe.*

S. Hieronymus *Libro II. Commentariorum in caput* 3. *Eſaiæ.* Item *Epiſtolis compluribus ad Nepotianum, ad Ruſticum, ad Demetriadem, ad Salvinam, ad Furiam, ad Euſtochium &c.* Nec omittenda *Epiſtola altera ad eundem Demetriadem, in Appendice Hieronymi.*

S. Augustinus *Epiſtola* 73, *nunc* 245. *ad Poſſidium: Libro II. de Sermone Domini in monte, cap.* 12: *Sermone alias* 247. *de Tempore, nunc* 74. *Appendicis novæ: Sermone* 161, *alias* 18. *de verbis Apoſtoli, cap.* 11.

S. Paulinus, aut quisquis eſt auctor *Epiſtolæ ad Celantiam.*

S. Isidorus Pelusiota *Libro V. Epiſtola* 200.

S. FULGENTIUS *Epiſtola* 3. *ad Probam, cap.* 14.

S. PETRUS DAMIANI *Opuſculo XII. capitibus* 15. 16. 17 de vano veſtitu Monachorum.

S. IVO CARNOTENSIS *Sermone* 24. *de adulterino habitu virorum vel mulierum.*

S. BERNARDUS *Homilia* 3. *ſuper:* Miſſus eſt, *ſub finem:* vanitas veſtium in Monachis. *Epiſtola* 42, *quæ nunc eſt inter Tractatus* de veſtibus Sacerdotum, præclare. *Apologia ad Guilielmum Abbatem*, de munditiis & vanitatibus in veſtibus Monachorum. Idem *Epiſtola* 113. *ad Sophiam*, *præclare* in pompam, & luxum veſtium.

JOANNES SARESBERIENSIS *Libro VIII. Policratici*, *cap.* 12. de veſtibus virorum.

INNOCENTIUS III. *de vilitate conditionis humanæ.*

Mitto *Sermones plures* S BERNARDINI SENENSIS *contra vanitatem, pompam, atque ornatum in veſtitu.*

TITULUS LXXI.

De *Zelo*, vero & falſo.

CAPUT I.

Loci.

Cujuslibet eorum, qui ſacrum ordinem ſortiti ſunt, in hoc ſita perfectio eſt, ut ad divinam pro captu quisque ſuo promoveatur imitationem; quodque divinius eſt omnium, ipſius etiam Dei, ut eloquia loquuntur, cooperator exiſtat. DIONYSIUS, *dictus* AREOPAGITA, *de cæleſti Hierarchia*, *cap.* 3.

Ne, qui ovium paſtores eſſe debent, lanii fiant. S. CYPRIANUS *Epiſtola* 4.

Quod ſi duodecim homines totum orbem fermentarunt, cogita, quanta ſit nequitia noſtra, quod cum tanto numero ſimus, non poſſimus tamen eos, qui

qui ſuperſunt, emendare, quos oportuiſſet vel mille mundis ad fermentationem ſufficere. S. CHRYSOSTOMUS *Homilia* 47. *in Matthæum*, *numero* 2.

Ne quis mihi dicat: Nihil mihi cum eo eſt negotii; utinam contingat mihi, mea ipſius negotia recte gerere! Nemo ſuum ipſius negotium recte gerere poteſt, neglecta proximi dilectione & ſalute. Ideo & Paulus ait: *Nemo, quod ſuum eſt, quærat, ſed quisque, quod alterius;* ſciens, quod ſua cujusque utilitas in proximi utilitate ſita eſt. *Idem Oratione* 7. *adverſus Judæos, num.* 6.

Homo eſt toto mundo pretioſior. Hujus enim cauſa & cœlum, & terra, & mare condita ſunt, & ſol, & ſtellæ. Perpende igitur, quanta ſit dignitas ejus, cujus ſaluti conſulitur, & ne contempſeris illius curam. Nam, etiamſi pecuniæ vim immenſam dinumeraverit aliquis, nihil tale præſtitit, quale is, qui ſervat animam, & abducit ab errore ad pietatem. *Idem Oratione* 6. *adverſus Judæos, ad finem.*

Et vero nunc in tantam multitudinem projectum ſemen fieri non poteſt, quin mihi ſegetes proferat. Tametſi omnes non audiant, dimidia pars audiet: & licet non dimidia, pars tertia: & licet nec tertia, decima: & licet nec decima, licet unus ex ea multitudine auditurus ſit, audiat; non enim exiguum eſt, vel unam ovem ſervari; quandoquidem & paſtor ille, qui nonaginta novem reliquerat oves, ad unam cucurrit, quæ aberraverat. Hominem non contemno: licet unus ſit, homo eſt animal Deo cariſſimum. Licet ſervus ſit, contemnendus mihi non videtur. Non enim dignitatem quæro, ſed virtutem: non dominationem aut ſervitutem, ſed animam. Licet unus ſit, homo eſt, propter quem cœlum extenſum eſt, ſol lucet, luna decurrit, aër effuſus eſt, fontes ſcaturiunt, expanſum eſt mare, Prophetæ miſſi ſunt, & lex data

 eſt:

eſt: & quid opus eſt cuncta perſequi? propter quem unigenitus Dei filius factus eſt homo. Dominus meus immolatus eſt, ac ſanguinem ſuum pro homine fudit: & illum ego contemnam? Qua vero dignus venia fuero. *Idem Homilia in terræ motum. numero* 2.

Reſtat illud neceſſario, ut vos, qui adeſtis, adhortemur, ut multam ſolicitudinem habeatis pro membris noſtris. Ne dixeritis, quid mea refert? Cur autem ego rerum alienarum curioſus ſim & ſolicitus? Dominus propter nos mortuus eſt; tu vero ne ſermonem quidem profers? Et quam invenies veniam, aut quam reperies excuſationem? Quomodo ad Chriſti tribunal ſtabis cum fiducia, dic mihi, tot animarum exitium diſſimulans? Utinam mihi contingat, eo currentes * videre! nequaquam vobis opus eſſet, ſed celerrimam adhiberem correctionem. Quoties frater eſt emendandus, etiamſi vita ſit impendenda, ne recuſes. *Idem Oratione* 4. *adverſus Judæos prope finem.*

Noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt! S. Hieronymus *Epiſtola* 58, *nunc* 16. *ad Damaſum.*

Contra zelum amarum Augustinus, *alludens ad illud Pſalmi:* Perfecto dio oderam illos. Quoniam, *inquit*, nemo natura, ſed quisquis malus eſt, vitio malus eſt: perfectum odium debet malis, qui ſecundum Deum vivit, ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem; ſed oderit vitium, amet hominem. Sanato enim vitio totum, quod amare, nihil autem, quod debeat odiſſe, remanebit. *Libro XIV. de Civitate Dei, cap.* 6.

Idem in zelum eorum, qui peccatores continuo puniri volunt. Enarratione in Pſalmum 93; *num.* 7: Tu quando (idem) faciebas, ideo vixiſti, ut poſtea non

* ad peccandum videlicet.

non faceres. Noli, quia tu tranſiſti, velle miſericordiæ Dei pontem ſubvertere. Neſcis illac multos tranſituros, qua & tu tranſiſti? Eſſes modo, qui murmurares, ſi adverſus te audiretur, qui prior de te murmuravit?

Si quæ ſunt in te viſcera pietatis nobis, ſi qua eſt in nobis contemplatio humanitatis, ſi qua nos habet fraternæ ſalutis affectio: abſtrahamus eos, qui ſic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, feſtini ſunt in gehennam. S. Chrysologus *Sermone* 155.

Quamvis cana nivibus juga Alpium tranſituris minaretur exitium mortiferum frigus, & concretas algore glebas fidei ardor exuperat. Neſcivimus parcere ſanguini noſtro, dum ſervamus alienum. Nam in tanta circumſpectione ſalutis omnium ſolum pro nobis timere non novimus. S. Ennodius Ticinensis *Opuſculo* 3.

Si ad Deum tenditis, curate, ne ad eum ſoli veniatis. S. Gregorius M. *Homilia* 6. *in Evangelia.*

Si magnæ mercedis eſt, a morte eripere carnem, quandoque morituram: quanti eſt meriti, a morte animam liberare, in cœleſti patria ſine fine victuram? *Idem Libro XIX. Moralium*, *cap.* 20.

Qua mente is, qui proximis profuturus eniteſceret, utilitati ceterorum ſecretum præponit ſuum, quando ipſe ſummi Patris Unigenitus, ut multis prodeſſet, de ſinu Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum? *Idem Paſtoralis Curæ Parte I. cap.* 5.

Iræ ſuæ ſtimulum cœlum putant: & cum vitium virtus creditur, ſine metu culpa cumulatur. *Idem Paſtoralis Curæ III. Parte, admonitione* 17.

Quid autem de Epiſcopis, qui verberibus timeri volunt, Canones dicant, bene veſtra fraternitas novit. Paſtores etenim facti ſumus, non perſecutores. Et egregius prædicator dicit: *Argue, obſe-*

obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Nova vero atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. *Idem Libro III. Indictione* 11. *Epiſtola* 53, *alias* 52. *ad Joannem Epiſcopum.*

Quanti putas pro ovibus ſemetipſos impenderunt? Reſperſa ſunt ovilia ſanguine paſtorum, maduerunt campi cædibus paſtorum, commentata ſunt paſcua vulneribus paſtorum, ſacrata eſt terra corporibus paſtorum, ditatum eſt cœlum animabus, quas paſtores pro ovibus poſuerunt. S. Rupertus Tuitiensis *Libro IX. Commentariorum in Evangelium S. Joannis cap.* 10.

Scilicet ſic factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat? Vides zelum Eccleſiaſticorum fervere ſola pro dignitate tuenda. Honori totum datur, ſanctitati nihil, aut parum. S. Bernardus *Libro IV. de Conſideratione, cap.* 2.

Curritur in Clero paſſim ab omni ætate & ordine, a doctis pariter & indoctis ad Eccleſiaſticas curas; tanquam ſine curis jam quiſque victurus ſit, cum ad curas pervenerit. *Idem Epiſtola* 42. *ad Henricum Senonenſem, quæ eſt hodie inter Tractatus.*

Mira res! ſatis ſuperque Epiſcopi ad manum habent, quibus animas credant: & cui ſuas committant facultatulas, non inveniunt! Optimi videlicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. Sed ut liquido datur intelligi, patientius ferimus Chriſti jacturam, quam noſtram. Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio, & continua dominici gregis detrimenta neſcimus. De pretio eſcarum, & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt; rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit aſina, & eſt qui ſublevet eam; perit anima, & nemo eſt qui reputet! *Idem Libro IV. de Conſideratione, cap.* 6.

Scio,

Scio, ubi habitas. Increduli * & ſubverſores ſunt tecum. Lupi, non oves ſunt. Talium tamen tu paſtor. Utilis conſideratio, qua forte inveneris, quomodo, ſi fieri poſſit, convertas eos, ne ipſi ſubvertant te. Quid diffidimus poſſe reverti in oves, e quibus verti in lupos potuerunt? Hîc, hic non parco tibi, ut parcat Deus. Paſtorem te populo huic certe aut nega, aut exhibe. *Idem Libro VI. de conſideratione, cap.* 3.

CAPUT II.

Fontes.

S. Cypriamus *Epiſtola* 54. *ad Cornelium*, de neceſſitate moderandi Zelum.

S. Ambrosius *Sermone* 18. *in Pſalmum* 118. prolixe de Zelo agit.

S. Chrysostomus *Libris de Sacerdotio.*

Libris 1. & 3. *adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ.*

Orationibus 4. 6. 7. 8. *adverſus Judæos, præclare.*

Libro contra Gentiles, ſeu in S. Babylam, ubi pulchre, miſcendas Zelo diſcretionem ac lenitatem.

Homilia 3. *de laudibus Pauli*, ubi Specimen dat admirabilis zeli in hoc S. Apoſtolo.

Homilia 6. *de laudibus Pauli* oſtendit graviſſime, quanta in zelo magnanimitas requiratur.

Homilia 3. *in Geneſin*, egregie.

Homiliis 8. 60 & 80. *in Matthæum.*

Concione 1. *in Lazarum, fuſiſſime.*

Homilia 44. *in Acta.*

Homi-

* Nota iſtuc diebus noſtris, ſi paræciam in quapiam urbe adminiſtras.

Homilia 29. *in Epiſtolam ad Romanos*, ubi toto Morali ad ſummam ſuorum curam Paſtores hortatur.

Homilia 4. *in ad Philippenſes.*

Homilia 30. *in ad Hebreos*, ubi quam popularis, tam fuſa atque egregia eſt admonitio, uti fratres noſtros peccantes lucrari adlaboremus.

Homilia 10. *ex* 11. *ineditis apud Montfauconum. Tomo XII. novo.*

Homilia adverſus eos, qui Eccleſia relicta ad Circenſes ludos & theatra transfugerunt. Tomo VI. novo.

Adde *Eclogam ejus* 40. *Tomo XII. Montfauconi: Quod oporteat omnia facere & operari pro ſalute fratrum noſtrorum &c.*

S. AUGUSTINUS *Tractatu de Paſtoribus, cap.* 7. *præclare* oſtendit ſuaviſſimum zelum ſuum.

S. GREGORIUS M. *Homilia* 17. *in Evangelia, pulcherrime* in defectum zeli. *Idem Libro XXIV. Moralium, cap.* 16. exhibet ſpecimen diſcretionis in zelo Pauli. Plura etiam habet *in Libro Paſtoralis curæ.*

S. BERNARDUS *Epiſtolis quam plurimis.*

Libris V. de Conſideratione.

Tractatu de moribus & officio Epiſcoporum, ad Henricum Senonenſem. Erat olim Epiſtola 42.

Libro de Converſione ad Clericos.

Sermonibus 18. 19. 49. & 70. *in Cantica.*

RICHARDUS A S. VICTORE *in Benjamino juniore, cap.* 44. Quam magna reconvertere animam.

GOFFRIDUS *Libro III. vitæ S. Bernardi, cap.* 6. Mirabile ſpecimen zeli veri, eloquentia ſingulari exornatum.

GUILIELMUS PARISIENSIS *Libro de Moribus, cap.* 8. Stilo rudi, verum potenter & fuſe in zelum aſperum, indiſcretum, furioſum.

Adde

Adde Titulos: De *Apoſtolis.* De *Magiſtratibus.* De *Amore proximi.* De *Conceptione.* De *Sacerdotio.* De *Epiſcopatu.* De *Dominis* &c. Item, quæ Libro noſtro primo, Diſſertatione quinta, Capite primo, §. quarto. Sed præcipue quæ habentur inter affectus ad Chriſtum patientem, loco ultimo, ubi proprie *de Zelo.*

NOTA.

Alii Tituli, iſto libro requirendi, vel in dictis jam contenti ſunt, vel ſequentibus in Libris, aut certe in præcedenti, inter ceteros reperientur. Sic verbi gratia Titulum

Abnegatio vide verbo: Mortificatio.

Adulterium vide verbo, Matrimonium.

Affectus vide verbo: Passiones.

Beatitudo vide verbis: Coelum & Finis Ultimus Hominis.

Christiani *Nomen Partes* atque *Officia* vide verbis: Baptismus. Opera Bona. Servitium Divinum. Devotio vera et falsa. Nomina & Appellationes *morali ſenſu.* Vita Mollis &c.

Cogitationes Pravæ vide verbo: Peccata, quæ sola Cogitatione admittuntur.

Concupiscentia vide verbis: Peccatum Originale. Passiones. Mortificatio &c.

Constantia vide verbis: Perseverantia. Fortitudo.

Contemplatio vide verbis: Oratio. Devotio.

Contritio vide verbo: Poenitentia.

Desideria Prava vide ſupra verbo: Cogitationes Pravæ.

Desperatio vide verbis: Spes. Fiducia.

Diabolus vide verbis: Tentationes. Festum S. Michaelis. Festum SS. Angelorum Custodum.

Dignitates vide verbo: Ambitio.

Felicitas vide verbis: Prosperitas. Finis Hominis. Coelum.

Fraudes vide verbis: Justitia. Odium. Contentiones. Sapientia.

Gloria Humana vide verbis: Ambitio. Superbia &c.

Honores vide verbis: Ambitio. Superbia. Humilitas.

Injuriæ vide verbis: Justitia. Odium. Contentiones. Judicium Temerarium. Detractio &c.

Inspirationes Divinæ vide verbis: Occasiones Recte Agendi. Eletio Status. Gratia.

Lex Naturæ vide verbo: Conscientia.

Luctus vide verbis: Mors Carorum. Tristitia.

Meditatio vide verbis: Oratio. Devotio.

Mendacium vide verbis: Veritas. Hypocrisis. Sapientia.

Merita vide verbis: Gratia. Opera Bona, et Similibus.

Murmuratio vide verbis: Detractio. Adversa. Providentia. Crux, & præcipue Conformatio ad Divinam Voluntatem.

Negotia, Curæ vide verbis: Salus. Servitium Divinum. Status. Divitiæ.

Ordines Regularium vide verbis: Religiosi. Moniales.

Perfectio vide verbis: Fervor. Devotio. Tepor. Perseverantia. Amor Dei &c.

Perfectiones Divinæ vide verbo: Deus.

Persecutiones Bonorum vide verbis: Adversa. Crux. SS. Martyres.

Profusio & Prodigalitas vide verbo: Liberalitas vera et falsa.

Pro-

PROPOSITA vide verbis: POENITENTIA, PERSEVERANTIA.

PUSSILLANIMITAS vide verbis: FIDUCIA. SPES.

RENOVATIO SPIRITUS, quam & Animi Recollectionem dicunt, vide verbis: SALUS. SERVITUS DEI. TEPOR. FERVOR &c.

RESURRECTIO vide verbo: PASCHA.

SANCTITAS vide paulo ante verbo: PERFECTIO, & FESTUM OMNIUM, ac DEVOTIO VERA ET FALSA.

SANCTORUM CULTUS & INVOCATIO vide FESTUM SS. OMNIUM.

SCHISMA vide verbis: ECCLESIA. PAX.

SUSPICIONES vide verbo: JUDICIUM TEMERARIUM.

VIDUITAS vide verbis: FESTUM SS. VIDUARUM. MATRIMONIUM.

VIRGINITAS vide verbo: FESTUM SS. VIRGINUM.

VISITATIONES vide verbo: FESTUM VISITATIONIS B. V. MARIÆ.

UNIO vide verbis: AMOR PROXIMI. PAX &c.

VOCATIO vide verbis: ELECTIO STATUS. GRATIA. OCCASIONES AGENDI BONUM &c.

VOLUPTAS vide verbis: LÆTITIA, LUXURIA. BACCHANALIA &c.

Finis LIBRI XI. *de Eloquentia Patrum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata in Libro XI.

Pagina	Linea		Lege:
3	22	inſtuamus	inſtruamus
8	32	excéramur!	execramur!
12	13	*geregie.*	*egregie.*
15	34	diligit, animam	diligit, .
20	5	ſerum,	ſerum,
24	12	in unaquaque exercebitur,	in unaquaque 12 exercebitur,
45	12	3. & 9.	3. 4. & 9.
	13	*Impatiabilis,*	*Impatibilis,*
58	32. 33	novit.	norit.
57	21	quam	quem
70	8	corruptione	correptione
79	5. 6	honeſtarurat;	honeſtarunt;
81	11	lallaræ	lallare
84	31	infirmo	infimo
88	9	rogat	negat
	19	non	& non
97	27	17.	18.
108	16	*Gradibus* 13.	*Gradibus* 1. 13.
114	15	cavendo.	carendo.
	32	dat.	det.
127	31	ſiſtere	ſi ſtare
129	2	*Deleatur:* an & 2?	
170	2	tranſitis.	tranſiſtis.
175	3	natalibus.	natatilibus.
176	21	Sic	Sic ſic
184	24	anima	animal
195	16. 17	*officiis*	*officio*
202	32	*Odium.*	*Otium.*
204	17	poſthac	poſt hæc
211	30	vigore	rigore
212	28	corripimur	corrigimur
213	5	conſequatur	conſequetur
216	23	CAPUT I.	CAPUT II.
	24	*Loci.*	*Fontes.*
225	8	*Epiſtolam*	*Epiſtola*
246	18	*in Pſalmum* 92.	*in Pſalmum* 82.
268	27	luctu	lucta
274	18	*cap.* 48.	*cap.* 40.
276	25	mereamur.	meremur.
278	8. 9	*poſt:* calamitatem. *deeſt:*	S. AMBROSIUS
292	31	*Libro*	*Lege: Libro reſponſionum*
294	25	*deplorandum.*	*eſt deplorandum.*
301	5	nulla	ulla
311	14	tu	tu bone
312	17. 18	*Conſolatione Eccleſiæ,*	*Conſolatione Philoſophiæ,*
313	20	*Statum:*	*Fatum:*
332	37	judicavit,	judicarit,
344	4	atque	aitque
351	26	videas	videns
354	26	habendum	habendam,

Pagina

Pagina :	Linea :		
355	10. 11	perlueerent.	*Lege :* audientibus perlucerent.
357	11	*Homilia* 19.	*Homilia* 10.
359	31	*poſt : curatione :*	*deeſt : Libro VIII. ejusdem Operis, initio.*
371	12. 13	*poſt :* mortem Chriſti !	*deeſt :* tenemus ſanguinem Chriſti !
	22. 23	in·redibilius,	*Lege :* incredibilius eſt,
373	29	quit	qui
375	22	*poſt : num. 7. fuſius.*	*deeſt : Enarratione in Pſalmum* 50.
380	23	nullo	*Lege :* nulli
381	37	*Sabinam*	*Salvinam,*
387	28	*Epiſtola* 18.	*Epiſtola* 28.
391	16	*Se·mone* 6.	*Sermone* 5.
399	34	Regi	Rege
400	10	peccandum,	precandum,
410	12	16. & 24.	12. & 84.
416	6. 7.	*poſt :* pro Chriſto.	*deeſt :* S. CASSIANUS *Collatione V. de octo principalibus vitiis, atque alibi paſſim ac fuſe.*

Digitized by Google

4-1